





INSTITUTIONES THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD

USUM ECCLESIASTICORUM

IMPRESSÆ

TOMUS I.

Anno 1808.





VILNÆ

IN TYPOGRAPHIA DIÆCESANA AD DOMUM CONGR:
MIS: MONTIS SALVATORIS.

Institutiones Theologiæ Dogmaticæ, ad usum Ecclesiasticorum conscriptas, Typis mandari posse censeo. Vilnæ in Ædibus Academicis. 8. Februarii 1808. —

Ph: N. GOLANSKI S. P.

Per Diæc: & in Imp: Univer: Censor

mpr:



IMPRIMATUR

JOANNES EPISCOPUS

mpr:



ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO

STANISLAO
A
BOHUSZ

SIESTRZENCEWICZ

METROPOLITANO ECCLESIARUM
ROMANO-CATHOLICARUM
IN TOTA ROSSIA

ARCHI-EPISCOPO MOHILOVIENSI
PRÆSIDENTI COLLEGII ROMANO-CATHOLICI
PRIMI DEPARTAMENTI.

EQUITI ORDINUM S. ANDREÆ, ALEXANDRI NEVENSIS, AQUILÆ ALBÆ, S. JOANNIS JEROSOLIMITANI, M. CRUCIS AC S. STANISLAI EP: MARTYRIS

ILLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME,
AC REVERENDISSIME DOMINE,
PROTECTOR GRATIOSISSIME!

Eo maxime sublimitas, ac Celsitudo Illustrissimi Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini *elucet, ac splendescit ubique, quod in sublimi positus, ima, & humillia non dispicis, sed gratanter respicere ac intueri dignaris. Minîma Congregatio Missionis S. Vincentii à Paulo,* Tuis Excellentissime Domine *obsequiis semper dedita,* Te *quoque semper gaudens, & exultans venerabatur, sed &* Tua *semper perfruebatur gratiosissima protectione, multis â* Te *cumulata beneficiis, quorum semper memor, semperque ex animo grata, in publicum eximiæ suæ erga* Te Illustrissime Excellentissime ac Reverendissime Domine, *utpote suum gratiosissimum* Protectorem *gratitudinis testimonium, hoc opus*

Theo-

Theologicarum Institutionum; minimi quidem prætii, sed non posterioris necessitatis; TIBI ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME DOMINE *offert, ac dedicat, pro magnanimitate* TUA *ac summa benevolentia* TUA *respice ac suscipe illud, nostramque minimam Congregationem cujus Magnus semper fuisti* PROTECTOR *sicut ab initio cæpisti, ita in finem protegere ac tueri digneris —*

ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI
AC REVERENDISSIMI DOMINI

Humillimus, ac obsequentissimus servus

ANDREAS POHL Visitator
Congr: Miss:

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc opere continentur.

Prolegomena Theologiæ.

CAPUT I. *De Natura ac divisione Theologiæ, deq; varijs veritatum generibus ac errorum gradibus qui in Theologicis rebus contingere possunt.* - - 1
ARTICULUS I. *De Natura ac divisione Theologiæ.* ibid:
Quæres 1. Quid sit Theologia? - - - ibid:
Quæres 2. Quomodo Theologia dividitur? - - 2
ARTICULUS 2. *de Varijs veritatum generibus, quas Theologia complectitur.* - - - 2
Quæres I. Quotuplices sunt veritates quas Theologia complectitur? - - - - - ibid:
Q. 2. Quotuplicis generis sunt veritates revelatæ? ibid:
Q. 3. Quot modis aliquid in veritatibus immediate revelatis contineri possit? - - - - 3
Q. 4. An utriusq; generis prænominatæ propositiones ad fidem pertineant? - - - - ibid:
Q. 5. Quotuplicis generis sunt articuli fidei? - 4
Q. 6. Quid de Propositionibus Theologicis sentiendum sit? - - - - - - ibid:
ARTICULUS 3. *De Varijs errorum gradibus in Theologia occurrentibus, eorumq; notis ac censuris.* - ibid:
Quæres 1. Quot sunt notæ seu censuræ quibus errores in rebus Theologicis occurrentes perstringuntur? ibid:
Q. 2. Quid sit Propositio Hæretica? - - 5
Q. 3. Quid sit propositio erronea, temeraria? - ibid:
Q. 4. Quid sit propositio scandalosa, male sonans, piarum aurium offensiva? - - - - - 6

De Locis Theologicis.

CAPUT 1. *De Natura Sacræ Scripturæ, ejus argumento atq; scopo, deq; ipsius Authore.* - - 7
ARTICULUS 1. *de Natura Sacræ Scripturæ, ejus argumento, atq, ipsius Scopo.* - - - ibid:
Quæres 1. Quibus Nominibus Sacra Scriptura ejusque libri solent denotari? - - - - ibid:
Q. 2. Quæ sunt præcipuæ Sacrorum Librorum dotes? 8

Q. 3.

Q. 3. Quomodo Sacra Scriptura definitur? - ibid:
Q. 4. Quod est Sacræ Scripturæ Argumentum? - 9
Q. 5. Quis sit finis seu Scopus Sacræ Scripturæ? ibid:
ARTICULUS 2. *De Authore Sacræ Scripturæ* - 11
Quæres 1. Quis sit Author Sacræ Scripturæ? - ibid:
Q. 2. Quotuplici modo possit Deus censeri Author Sacræ Scripturæ? - - - - - ibid:
Q. 3. Quotuplicis generis sunt ea quæ in Sacris Scripturis continentur? - - - - - ibid:
Q. 4. Qua igitur ratione Deus est Author Sacræ Scripturæ? - - - - - - 12:
CAPUT 2. *de Authoritate Sacræ Scripturæ* - 15
ARTICULUS 1. *de Genuitate Librorum Sacræ Scripturæ* - - - - - - ibid:
Quæres 1. Quando liber censeri debet genuinus? - ibid:
Q. 2. Libri Sacræ Scripturæ, quos habemus, an sint genuini? - - - - - - ibid:
ARTICULUS 2. *de Integritate Librorum Sacræ Scripturæ* - - - - - - 20
Quæres 1. Quid sit Sacrorum Librorum integritas, & quid illi opponitur? - - - - - ibid:
Q. 2. An Libri Sacræ Scripturæ sint integri ac incorrupti? - - - - - - ibid:
Q. 3. Nonne saltem quoad accidentalia, nævos aliquos; atq; menda in Sacris Libris reperire liceb t? - 24
ARTICULUS 3. *de Veracitate Sacrorum librorum.* ibid:
Quæres 1. Quid per veracitatem Sacrorum Librorum intelligi debeat? - - - - - ibid:
Quæres 2. Libri Sacræ Scripturæ an omnino veram in se contineant historiam? - - - - 25
ARTICULUS 4. *De Divinitate Librorum Sacræ Scripturæ.* - - - - - - 26.
Quæres 1. Qua ex causa Libri Sacræ Scripturæ haberi debeant ut Divini? - - - - ibid:
Q: 2. Libri Sacræ Scripturæ an sunt vere Divini Divinæq; Authoritatis. - - - - - 27
ARTICULUS 5. *De Numero Librorum Sacræ Scripturæ* 31
Quæres 1. Qui nam Libri pro Sacris ac Divinis habendi sunt? - - - - - - ibid:
Quæres 2. Quos ergo Libros Ecclesia vere Sacros ac Divinos esse declaraverat? - - - 32
Q. 3. An merito Concilium Tridentinum hos omnes libros declaravit esse Sacros ac Divinos? - - 33
CAPUT 3. *De Scripturæ Sacræ Sensu.* - ibid:
ARTICULUS 1. *De varijs Scripturæ Sacræ sensibus* ibid:
Quæ-

Quæres 1. Quot ſunt Sacræ Scripturæ ſensus? - ibid:
Q. 2. Ex quo ſensu haberi potest aliquid Divina fide credendum? - - - - - - 34
ARTICULUS 2. *An ſensus Sacræ Scripturæ sit ubiq, clarus* - - - - - - 35
Quæres 1. Quid de Sacræ Scripturæ claritate moderni ſentiunt Hæretici? - - - - ibid:
Q. 2. An Scriptura Sacra sit ubique clara? - ibid:
Q. 3. Unde ista oritur Scripturæ Sacræ obscuritas? 36
Q. 4. Ad quem pertinet genuinum Sacræ Scripturæ ſensum tradere ac definire? - - - 37
CAPUT 4 *de Traditionibus* - - - 39.
ARTICULUS 1. *Quid sit & quotuplex Traditio?* ibid:
Quæres 1. Quid sit Traditio? - - - ibid:
Q 2. Quotuplices ſunt Traditiones? - - 40
Q. 3. Quis discernere debeat Traditiones? - 41
Q. 4. Nonne ſuppetunt aliquæ regulæ, ex quibus & ipsi aliquomodè de Traditionibus dijudicare poſsimus? ibid:
ARTICULUS 2. *De existentia & authoritate Traditionum.* - - - - - - - 42
Quæres 1. An convenit inter omnes dari Traditiones? ibid:
Q. 2. An revera dantur & admitti debeant Traditiones? 43
Q. 3. Ad quid Traditiones neceſsariæ eſsè poſsunt? 44
Q. 4. Cujus Authoritatis ſunt Traditiones Divinæ. - 46
ARTICULUS 3. *de Authoritate Sanctorum Ecclesiæ Patrum.* - - - - - - 49
Quæres 1. Qui Sanctorum Patrum loco habendi ſunt? ibid:
Q. 2. In quot ætates distingvi debeant Ecclesiæ Patres? - - - - - - ibid:
Q. 3. Quotupliciter ſpectari poſsunt Patres? - 50
Q. 4. In rebus fidei & morum qualis sit Ecclesiæ Patrum authoritas? - - - - - ibid:
Q. 5. Quæ sit authoritas Sanctorum Patrum in rebus naturalibus, Philosophicis & indifferentibus? - 52

De Conciliis.

CAPUT 1. *De Natura & Forma Conciliorum* - 53
ARTICULUS 1. *De Natura Conciliorum* - ibid:
Quæres 1. Quid sit Concilium? - - - ibid:
Q. 2. Conciliorum usus estne in Ecclesia antiquus? ibid:
Q. 3. An Concilia sint absolutè neceſsaria? - 54
Q. 4. Quotuplicia ſunt Concilia? - - - ibid:
Q. 5. Quot modis Concilium dici, & eſse poſsit Generale? - - - - - - - ibid:
Q. 6. In quot claſses dividuntur Concilia Generalia? 55
Q. 7. Quæ neceſsaria ſunt, ut Concilia legitima censeantur? - - - - - - - ibid

Q. 8. Qualis diligentia Examinis requiritur? - ibid:
Q. 9. Cur in Concilijs requiritur libertas Suffragij - 56
Q. 10. Qua ratione certo nobis constare potest Concilium quodpiam Generale esse ac legitimum - ibid:
ARTICULUS 2. *de Forma Conciliorum* - - 57
Quæres 1. Quæ ad formam Conciliorum spectare ac pertinere censentur? - - - - ibid:
Quæres 2. Ad quem pertinet Concilia convocare? ibid:
Q. 3. Potestas Concilia Generalia convocandi cui ex Præsulibus Ecclesiæ competit? - - - 59
Q. 4. An non possit dari casus, in quo Concilium Generale ab alio, quam à Romano Pontifice possit convocari? - - - - - - 61
Q. 5. Quinam debent ad Concilia vocari? - ibid:
Q. 6. Qui ut Judices ex Divina institutione jus habent in Concilijs decisivum ferendi Suffragium - ibid:
Q. 7. Ad Concilium Generale quot Episcopi debent vocari? - - - - - - 63
Q. 8. Num requiritur, ut omnes prorsus totius Ecclesiæ Episcopi Concilio Generali intersint - 64
Q. 9. Quis in Concilio Generali præsidere & illi præesse debeat? - - - - - - ibid:
CAPUT 2. *de Conditionibus ad Concilium Generale requisitis, illiusque authoritate.* - - - - 69
ARTICULUS 1. *de Conditionibus ad Concilium Generale requisitis* - - - - - - - ibid:
Quæres 1. Quot sunt conditiones ut aliquod Concilium Generale sit? - - - - - - ibid:
Q. 2. Qualis ista debet esse Convocatio? - - ibid:
Q. 3. Quid ad legitimam Concilij Generalis celebrationem requiritur? - - - - - - ibid:
Q. 4. Cujus præsidentia necessaria est ut Concilium Generale sit legitimum? - - - - - 70
Q. 5. Qualis acceptatio requiritur ut Concilium & Generale sit, & legitimum censeatur? - - - ibid
Q. 6. Cur præsertim Romanæ Ecclesiæ acceptatio & consensus requiritur? - - - - - - 71
Q. 7. Unde constare nobis potest, conditiones ad Concilium Generale requisitas, ut ipsum legitimum sit, omnes fuisse observatas? - - - - 72
ARTICULUS 2. *de Authoritate Conciliorum.* - ibid:
Quæres 1. Quæ sit Authoritas Conciliorum Particularium? - - - - - - - - ibid:
Q. 2. Concilia Generalia cujus sunt authoritatis? - ibid:
Q. 3. An etiam Concilia particularia possint esse æqualis
autho-

authoritatis, ac ſunt Concilia Generalia? - 75
Q. 4. Unde repetenda est Conciliorum Generalium infallibilitas? - - - - - - - - 78
Q. 5. Quæ sit authoritas Conciliorum Generalium in rebus, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, definiendis? - - - - - - - - 79
Q. 6. Quale est discrimen inter fidei & morum decreta, quæ in Conciliis Generalibus definiuntur, & statuta quæ ad disciplinam ſpectantia conduntur? - ibid:
Q. 7. An omnia quæcunque in Conciliis Generalibus proferuntur, res fidei tractando, ad fidem pertinere censeri debent? - - - - - - - 80

De Judice Controversiarum.

CAPUT 1. *de Supremo Controversiarum fidei Judice, quem moderni statuunt Hæretici.* - - 81
ARTICULUS 1. *de Ratione naturali, atque privato Spiritu.* - - - - - - - - ibid:
Quæres 1. In quem modum moderni Hæretici statuunt rationem naturalem velut controversiarum fidei Judicem? - - - - - - - - ibid:
Q. 2. Utrum per Divinam revelationem poſsint proponi fide credenda, quæ ſunt ſupra humanam rationem? ibid:
Q. 3. An illa quæ à Deo revelata ſunt, eo ipso sint contra rationem, quia ſunt ſupra rationem? - 83
Q. 4. Utrum humana ratio poſsit eſse Judex in fidei controversijs dirimendis? - - - - - - 85
Q. 5. Quid per Spiritum privatum intelligi debeat, quem moderni Hæretici velut Judicem statuunt in dirimendis fidei controversijs? - - - - 86
Q. 6. Spiritus privatus estne legitimus Scripturæ Sacræ interpres, ac fidei controversiarum Judex? - 87
ARTICULUS 2. *de Sacra Scriptura, utrum ipsa poſsit eſse Judex controversiarum fidei?* - - 90
Quæres 1. Qua ratione moderni Hæretici affirmant Sacram Scripturam eſse fidei controversiarum Judicem? ibid:
Q. 2. Sola Scriptura Sacra potestne eſse Judex controversiarum fidei? - - - - - - - ibid:
CAPUT 2. *de Legitimo controversiarum fidei Judice, quem Catholici agnoscunt.* - - - - 93
Quæres 1. Quis apud Catholicos est legitimus controversiarum fidei Judex? - - - - - ibid:
ARTICULUS 1. *de Suprema Ecclesiæ authoritate in decidendis fidei morumque controversiis.* - ibid:
Quæres 1. An Ecclesia ſupremam habeat authoritatem fi-

dei,

dei, ac morum controversias decidendi? - ibid:
Q. 2. Potestas definiendi fidei ac morum controversias, cui in Ecclesia competere censetur? - - 96
ARTICULUS 2. de *Infallibilitate Ecclesiæ in definiendis fidei ac morum controversijs.* - - - 99
Quæres 1. Ecclesia in definiendis fidei & morum controversijs estne infallibilis? - - - - ibid:
Quæres 2. Ecclesiæ infallibilitas in definiendis fidei ac morum controversijs quibus competat? - - 101
Q. 3. In rebus fidei ac morum communis Episcoporum per Orbem dispersorum sensus estne infallibilis? - 102
Q. 4. Judicium Romani Pontificis in definiendis fidei ac morum controversijs estne infallibile? - - 105
ARTICULUS 3. *De his in quibus definiendis Ecclesiæ infallibilitas agnoscenda sit.* - - - 109
Quæres 1. In quibus rebus agnoscenda sit Ecclesiæ infallibilitas? - - - - - - ibid:
Q. 2. An in ijs recipiendis atq; credendis, quæ ab Ecclesia definita sint, aliqua indifferentia, & tollerantia admitti posfit? - - - - - - - 110
Q. 3. Utrum omnia fidei ac morum dogmata ab Ecclesia definita, recipi ab omnibus, ac firmiter credi debeant? - - - - - ibid:
Q. 4. In definiendis quibusvis factis quæ est Ecclesiæ authoritas? - - - - - - 113
CAPUT UNICUM *De Symbolis Fidei Catholicæ.* 114
Quæres 1. Quid sunt Symbola fidei Catholicæ? ibid:
ARTICULUS 1. *de Symbolo Apostolorum.* - 115
Quæres 1. Quid sit Symbolum Apostolorum? ibid:
Q. 2. Symbolum hoc, quod Apostolorum efse creditur, an reipsa opus est Apostolorum? - ibid:
ARTICULUS 2. *de Symbolo Constantinopolitano* 118
Quæres 1. Quid est Symbolum Constantinopolitanum? ibid:
Q. 2. Quis fuerit Symboli Constantinopolitani usus? ibid:
Q. 3. Cur Ecclesia Symbolum Apostolorum fubmifsa nonnisi recitat voce, Constantinopolitanum vero publice & folemniter decantat? - - - ibid:
ARTICULUS 3. *De Symbolo vulgo Athanasiano.*
Quæres 1. Quodnam Symbolum vulgo Athanasianum vocitatur? - - - - - ibid:
Q. 2. Utrum S. Athanasius Symboli *Quicunque:* sit verus ac genuinus Author? - - - 119
Q. 3. Quis ergo Symboli *Quicunque:* verus est Author? 120
Q. 4. Præter tria prænominata Symbola, funtne alia publica auctoritate comprobata? - - ibid:

TRA-

TRACTATUS DE RELIGIONE.

CAPUT I. *De Natura Religionis, ejus existentia, atque neceſsitate?* - - - - - - 121

ARTICULUS I. *De natura Religionis, atqué ipsius existentia* - - - - - - ibid:

Quæres 1. Quid ſit Religio? - - - ibid:

Q. 2. Quomodo Religio dividi ſoleat? - - ibid:

Q. 3. Quotuplex est cultus quem Deo debitum Religio præscribit? - - - - - - 122

Q. 4. Quod est Religionis objectum? - - ibid:

Q. 5. Existitne reipsa Deus qui ab hominibus colatur? ibid:

Q. 6. An & qualis Deo debetur cultus? - 123

Q. 7. Utrum ſemper extiterit Religio? - ibid:

Q. 8. Quis Religionem instituit? - - - 124

ARTICULUS 2. *de Neceſsitate Religionis.* - 127

Quæres 1. Quid de Religionis neceſsitate ſentiunt Increduli? - - - - - - ibid:

Q. 2. Religio estne hominibus utilis ac neceſsaria? ibid:

Q. 3. Religio privatis etiam hominibus estne omnino neceſsaria? - - - - - 128

Q. 4. An liberum sit quamcumque amplecti ac ſequi Religionem? - - - - - - ibid:

Q. 5. Qui ſunt characteres veræ Religionis? - 130

Q. 6. Quis est ergo finis hominis, & quæ ipsius vera felicitas? - - - - - - - 131

ARTICULUS 3. *De Religione naturali atque revelata* ibid:

Quæres 1. Quid ſit Religio naturalis? - - ibid:

Q. 2. Quid ſit Religio revelata? - - ibid:

Q. 3. In quibus Religio naturalis ac revelata inter ſe differant ac discrepant? - - - 132

Q. 4. An ſemper extitit & nunc etiam existit Religio naturalis? - - - - - - ibid:

Q. 5 Utrum in Mundi exordio Deus præter naturalem Religionem, aliam etiam positivam ſuperaddiderit ac hominibus manifestaverit? - - 133

Q. 6. Religio sive naturalis interius hominibus inspirata, sive positiva exterius ab ipso manifestata, an diu pura & incontaminata permanserit? - - 134

Q. 7. In tanta veræ Religionis contaminatione quid egerit miſericordiſsimus Deus? - - - 135

ARTICULUS 4. *De inſufficientia Religionis Naturalis & neceſsitate Religionis Revelatæ* - - 137

Quæres 1. Quid hodie Increduli ſentiunt, ac docent circa Religionis naturalis ſufficientiam? - - ibid

Q. 2.

Q. 2. Utrum sine superna Dei revelatione omnia Religionis naturalis præscripta cognosci possint? 138
Q. 3. An igitur Religio naturalis sufficit homini ad consequendam suam felicitatem, atque veram adipiscendam beatitudinem? - - - - 141
Q. 4. An igitur omnino necessaria sit Religio supernaturalis, quæ nonnisi Dei revelatione innotescere potest? 147
CAPUT 2. *De existentia Religionis Revelatæ.* 151
Quæres 1. Quid de existentia revelatæ Religionis moderni sentiunt Philosophi? - - - ibid:
ARTICULUS 1. *De Possibilitate & existentia Divinæ Revelationis* - - - - - 152
Quæres 1. Utrum possibilis est Divina revelatio? 152
Q. 2. Utrum reipsa revelata Religio existat? ibid:
Q. 3. Religio à Deo revelata potestne continere Mysteria quæ nostram rationem longe superent? - 155
ARTICULUS 2. *De veræ Religionis criteriis* 156
Quæres 1. Quid & quotuplicia sunt veræ à Deo revelatæ Religionis criteria? - - - - ibid:
Q. 2. Quæ sunt intrinseca veræ à Deo revelatæ Religionis criteria? - - - - - ibid:
Q. 3. Quæ sunt extrinseca Religionis à Deo revelatæ criteria? - - - - - - 158
Q. 4. Miracula & Vaticinia quid probant ac evincunt? ibid:
Q. 5. Utrum Miracula sint certum & indubitatum à Deo revelatæ Religionis criterium? - - 161
Q. 6. Utrum Vaticinia sint certissimum veritatis atquè Divinitatis criterium? - - - 165
CAPUT 3. *De Veteri Judæorum & Nova Christianorum Religione.* - - - - - 166
Quæres 1. Quid intelligi debeat per veterem Judæorum & novam Christianorum Religionem? - ibid:
ARTICULUS 1, *De Veteri Judæorum Religione?* 167
Quæres 1. An reipsa Moyses extiterit? - ibid:
Q. 2. Utrum Moyses revera Pentateuchum scripserit? 170
Q. 3. Utrum scripta Moysis ad nos integra ac incorrupta pervenerint? - - - - 172
Q. 4. Utrum Vaticinia per Moysen edita, ac per ipsum patrata miracula, sint plane certa? - 175
Q. 5. Utrum Moyses vere à Deo missus fuerit, Religionemqué Judæis tradendam ab eo accepit? 178
Q. 6. Vetus Judæorum Religio estne reipsa Divina ac Supernaturalis? - - - - - 182
ARTICULUS 2. *De nova, quæ est Christianorum, Religione?* - - - - - - 182
Quæ-

Quæres 1. Utrum Lex vetus aliam futuram atque perfectiorem promittebat, ac prænuntiabat Religionem? - - - - - - ibid:
Q. 2. An reipsa abrogata veteri Judæorum lege, nova lex ac Religio constituta fuit? - - 184
Q. 3. Quis sit Author Religionis Christianorum? 185
Q. 4. Utrum Apostoli & Evangelistæ sint veri Authores Scriptorum, quæ iis à Christianis tribuuntur? 186
Q. 5. Utrum Apostoli ac Evangelistæ sinceritatis ac veracitatis characteribus præditi fuerint? - 187
Q. 6. Utrum ſcripta Apostolorum ac Evangelistarum, integra ac incorrupta ad nos pervenerant? 188
Q. 7. Utrum ſcripta Apostolorum ac Evangelistarum omnia vera contineant? - - - 189
Q. 8 Utrum Scripta Apostolorum ac Evangelistarum fuerint ex Divina revelatione, ac inspiratione conscripta? - - - - - - 191
Q. 9. Doctrina Religionis Christianæ qualis censeri debeat, & quod de ipsa ferendum sit Judicium? - - 192
Q. 10. Quos effectus produxit Doctrina Christiana? 193
Q. 11. Doctrina Religionis Christianæ quali modo propagata fuerit? - - - 196
Q. 12. Utrum Religio Christiana sit vere & certiſsime Divinitus revelata? - - - - 197
Q. 13. Quod est præcipuum Christi Miraculum, quo ejus Divina Doctrina, ac instituta Religio corroboratur? 202
CAPUT 4. *De cæteris à Christiana diversis Religionibus.* - - - 207
Quæres 1. Quæ sunt aliæ à Christiana diversæ Religiones? - - - ibid:
ARTICULUS 1. *De recenti Judæorum Religione.* ibid:
Quæres 1. Quis sit status recentis Judæorum Religionis? - - - ibid:
Q. 2. Unde ortum habent Rabbanitæ & Karei? - 208
Q. 3. Quæ sit sors modernorum Judæorum? - 209
Q. 4. Quæ sint Dogmata modernorum Judæorum - ibid:
Q. 5. Qui sunt errores Judæorum? - - 210
Q. 6. Quid igitur sentiendum est de moderna Judæorum Religione - - - ibid:
ARTICULUS 2: *De Religione Gentilium* - - 211
Quæres 1. In quo sita est Religio Gentilium? - ibid:
Q. 2. In quot clases dividebantur Dii Gentium - 212
Q. 3. Qua ratione Gentiles adorabant Idola sua? ibid:
Q. 4. Quando cæpit Idololatria - 213

Q. 5.

Q. 5. Quid de Gentilium Religione sentiendum sit? ibid:
ARTICULUS 3. *De Religione Persarum, Indorum, atqué Sinensium.* - - - 215
Quæres: 1. Quæ & qualis est Religio Persarum? - ibid:
Q. 2. In quo sita est Religio Jndorum? - 216
Q. 3. Quæ & qualis est Religio Sinensium? ibid:
ARTICULUS 4. *De Religione Mahumedana* - 217
Quæres 1. Quis sit Author Religionis Mahumedanæ? ibid:
Q. 2. Qui sunt præcipui Religionis Mahumedanæ errores? - - - 218
Q. 3. Qualis fuit progrefsus Religionis Mahumedanæ? ibid:
Q. 4. Utrum Religio Mahumedana sit vera & Divinitus manifestata? - - 219
EPILOGUS. Quæres. Ex adductis Religionibus, quæ unicé vera ac Divina est? - - ibid:

TRACTATUS DE DEO.

CAPUT 1. *De Dei Efsentia atqué illius Existentia.* 221
Quæres 1. Quid Nomine Dei intelligendum sit? ibid:
ARTICULUS 1. *De Dei existentia?* - ibid:
Quæres 1. Utrum Dei existentia demonstrari pofsit? ibid:
Q. 2. Qui Deum efse minime confitentur, quomodo vocitantur? - - - 222
Q. 3. Quæ & quales sunt istæ demonstrationes, quibus Dei Existentia comprobatur? - 223
Q. 4. Quomodo primum instituitur argumentum, ad demonstrandam Dei existentiam? - ibid:
Q. 5. Quod est secundum argumentum, quo Dei existentia demonstratur? - - 225
Q. 6. Quale sit tertium morale argumentum ad Dei existentiam comprobandam? - 229
Q. 7. Utrum efse pofsit, Deum ab aliquo hominum invincibiliter, & inculpate ignorari? - 232
ARTICULUS 2. *De variis Atheorum Systemmatibus.* 233
Quæres 1. Ad impugnandam Dei existentiam, quæ & qualia Athei excogitârunt Systemmata? ibid:
Q. 2. Quod est alterum Atheorum Systemma? 234
Q. 3. Quæ sunt alia Atheorum Systemmata? - 235
Q. 4. Quondam est recens Atheorum Systemma? 236
ARTICULUS 3. *De Dei Efsentia.* - 238
Quæres 1. Quis sit præcipuus circa Divinam Efsentiam error? - - ibid:
Q. 2. Qua ratione prædictum Spinosæ Systemma refelitur? - - - ibid:

Q. 3.

Q. 3. In quo sita sit Divina Esentia? - - 240
Q. 4. Quid illud in Divina Essentia primum sit, quod cæterarum omnium perfectionum sive attributorum quasi radix censeri debeat? - 241
Q. 5. Quid & quotuplicia sunt Dei attributa? - ibid:
Q. 6. Quid sit & quotuplex perfectio? - 242
Q. 7. An inter attributa Divina admitti debeat distinctio? - - - ibid:
Q. 8. Qua tandem ratione attributa Dei inter se & ab Essentia Divina distingvuntur? - 243
CAPUT 2. *De præcipuis Dei Attributis.* - 245
Quæres 1. Quæ sint præcipua Dei Attributa? - ibid:
ARTICULUS 1. *De Dei Unitate* - ibid:
Quæres 1. An Deus unus est? - ibid:
Q. 2. Quinam circa Dei unitatem erraverint? - 246
Q. 3. Quid sentiendum sit de Idolorum cultu quem Gentiles exhibebant? - - - - 247
Q. 4. Duo Summa principia bonum et malum suntne admittenda? - - 248
ARTICULUS 2. *De Immaterialitate ac simplicitate Dei.* - - - 250
Quæres 1. Quid et quotuplex est simplicitas? ibid:
Q. 2. An Deus ita sit simplicissimus, ut natura illius etiam Methaphysicam excludat compositionem? - 251
Q. 3. Estne Deus Immaterialis ac Incorporeus? - ibid:
Q. 4. Cum Deus sit immaterialis estne etiam Incorruptibilis? - - - 252
ARTICULUS 3. *De Dei Immensitate, æternitate, atqué immutabilitate.* - - 253
Quæres 1. Quid sit Immensitas? - ibid:
Q. 2. An revera Deus sit ubiqué substantialiter præsens? - - - - ibid:
Q. 3. Quid est æternitas? - - 254
Q. 4 Utrum Deus sit æternus? - ibid:
Q. 5. An soli Deo competit æternitas? - 255
Q. 6. Cum Deus sit æternus, estne etiam immutabilis? ibid
CAPUT 3. *De Intellectu atqué Divina voluntate.* 256
Quæres 1. Utrum in Deo sit Intellectus ac voluntas? ibid:
ARTICULUS 1. *De scientia Dei.* ibid:
Quæres 1. An Deo insit scientia & qualis est? ibid:
Q. 2. Quomodo scientia Dei dividitur? - 257
Q. 3. An Deus cognoscit omnia posibilia atqué existentia? - - - ibid:
Q. 4. An Deus certissime cognoscat absolute futura, contingentia & libera? - - 258

Q. 5. Utrum Deus certo cognoscit futura libera conditionata - - - 260
Q. 6. In quo medio Deus præsentia, præterita ac futura, cognoscat ac prævideat? - - 261
Q. 7. Utrum præscientia Divina tollat rerum contingentiam, ac humanam lædat libertatem? - 262
Q. 8. Qua ratione scientia Divina dicitur causa rerum? 264
ARTICULUS 2. *De Divina voluntate* - - 265
Quæres 1. Quid & quotuplex sit Divina voluntas? ibid:
Q. 2. Divina voluntas estne libera? - 266
Q. 3. Quæ & qualis sit efficacia Divinæ voluntatis? 267
Q. 4. Circa illa quæ libera sunt, utrum voluntas Divina semper impletur? - - ibid:
Q. 5. Voluntas Dei conditionata an semper impletur? 268
Q. 6. Quomodo se habet voluntas Divina circa salutem hominum? - - - 269
Q. 7. Utrum pro solis prædestinatis, atqué electis Christus mortuus sit, & illorum tantummodo Deus vere ac sincere salutem vellit? - ibid:
Q. 8. Utrum omnium omnino hominum salutem Deus vellit, & Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit? - - - 272
Q. 9. An Deus vere ac sincere vellit æternam salutem illorum etiam parvulorum qui infeliciter ex hac vita sine Baptismo decedunt? - 276
Q. 10. Qualis est ista in Deo voluntas, qua omnium ac singulorum hominum vult salutem? - 277
Q. 11. Erga salutem electorum, atqué prædestinatorum quomodo se habet Divina voluntas? - 278
CAPUT 4. *De Dei Providentia.* - - - 280
Quæres Quid sit & quotupliciter consideratur Dei Providentia? - - - ibid:
ARTICULUS 1. *De Providentia Divina in ordine naturali.* - - - ibid:
Quæres 1. Utrum extiterint, qui negarunt Divina Providentia regi mundum? - ibid:
Q. 2. An revera Deus sua Providentia res omnes creatas administrat? - - 281
Q. 3. Utrum æqualis sit circa omnia Divina Providentia? - - - 282
ARTICULUS 2. *De Providentia Divina in ordine supernaturali.* - - 284
Quæres 1. Qui sunt effectus Divinæ Providentiæ in ordine supernaturali? - - ibid:
Q. 2. Utrum omnibus ac singulis hominibus Deus præpa-
rave-

raverit media, ad consequendam salutem sufficientia ? - - ibid:
Q. 3. Qualis sit prædestinatio electorum ad cælestem gloriam ? - - - 285
ARTICULUS 3. *De Reprobatione.* - - 293
Quæres 1. Quid & quotuplex sit reprobatio, qui circa illam errores ac opiniones sint ? - - ibid:
Q. 2. An Deus aliquem positive reprobet ex solo suo beneplacito ? - - - 294.
Q. 3. Quæ sit causa reprobationis negativæ? - 296
Q. 4. Utrum propter solum peccatum Originale Deus à Cælesti reprobet gloria ? - - - 297
Q. 5. Jnfantes qui sine baptismo moriuntur, utrum propter solum originale peccatum reprobantur ? - ibid:
Q. 6. In adultis quæ causa sit reprobationis? - ibid:
ARTICUS 4. *De prœdestinationis & reprobationis effectibus.* - - - 298
Quæres 1. Qui sunt effectus tum prædestinationis tum reprobationis ? - - ibid:
Q. 2. An prædestinatio sit certa? - - ibid:
Q. 3. An major sit prædestinatorum numerus quam reproborum ? - - 299

TRACTATUS DE PRÆCIPUIS OPERIBUS DEI.

Quæres Quæ sint præcipua Dei opera? - 300
CAPUT 1. *De Creatione , de statu & conservatione, deque fine huius Mundi.* ibid:
ARTICULUS 1. *De Mundi Creatione.* - - ibid:
Quæres 1. Quid sit Creatio ? - - ibid:
Q. 2. Quis Mundum cæteraque omnia quæ in mundo sunt creavit ? - - ibid:
Q. 3. Utrum Mundus ab æterno à Deo creatus fuerit 302
Q. 4. Quis fuerit scopus Dei in huius mundi creatione? 303
Q. 5. Quo ordine creatus à Deo fuerit Mundus? ibid:
ARTICULUS 2. *De Mundi statu ipsiusque creatione.* 304
Quæres 1. Utrum mundus à Deo creatus perfectus sit? ibid:
Q. 2. An Deus mundum hunc regit ac gubernat ? 305
Q. 3. Utrum Deus res a se creatas conservat? 306
ARTICULUS 3. *De fine huius mundi.* - - 307
Quæres 1. Utrum hic mundus finem aliquando sit habiturus? - - - ibid:
Q. 2. Qua ratione mundus hic aspectabilis finem recipiet? - - - 308
Q. 3. Utrum apropinquante fine mundi aliqua ipsius consumationem præcedent signa? - ibid.

Q. 4.

Q. 4. Quid hodierni Hæretici de Antichristo senserunt, aut etiamnum sentiant? - 309
Q. 5. Appropinquante fine huius mundi, quid tandem contingere debet? - - 310
CAPUT 2. *De Creatione & lapsu Angelorum.* 311
Quæres. Quid Nomine Angeli intelligendum sit? ibid:
ARTICULUS 1. *de Existentia & tempore quo creati sunt Angeli, deque Ipsorum natura.* - ibid:
Quæres 1. An re ipsa existunt Angeli? - ibid:
Q. 2. Quo tempore à Deo creati Angeli fuerint? 313
Q. 3. Quæ & qualis sit natura Angelorum? - 314
Q. 4. Utrum Angeli corporei aut incorporei sunt? ibid:
Q. 5. Quæ sint præterea dotes Angelorum? - 316
ARTICULUS 2. *de Lapsu Angelorum.* - 317
Quæres 1. In quo statu creati fuerint Angeli? - ibid:
Q. 2. Utrum re ipsa Angeli in peccatum prolapsi à gratia Sanctificante exciderunt? - ibid:
Q. 3. Quod erat peccatum Angelorum peccantium? 318
Q. 4. Quid factum sit cum Angelis peccantibus? ibid:
Q. 5. Peccatum malorum Angelorum, quæ consecuta est pæna? - - - 319
Q. 6. Quomodo Spiritus incorporei corporeis ipsis flammis torqueri possunt? - 320
ARTICULUS 3. *de Artibus atque Insidiis Dæmonum.* ibid:
Quæres 1. An Dæmones hominibus insidiantur? ibid:
Q. 2. Utrum Dæmones quandoq; hominum corpora obsident? - - - 321
Q. 3. Quid de artibus magicis atque cum dæmone commercijs sentiendum sit? - 323
ARTICULUS 4. *de Angelis bonis.* - ibid:
Quæres 1. Quot sunt Chori Angelorum? - ibid:
Q. 2. Utrum hi Angelorum Ordines tantummodo nominibus distinguuntur? - - 324
Q. 3. Quando facta est hæc Angelorum distinctio? 325
Q. 4. Quæ sint bonorum Angelorum munia? - ibid:
Q. 5. Qualis sit istiusmodi erga homines Angelorum cura & custodia? - - - ibid:
CAPUT 3. *de Creatione Hominis.* - 327
Quæres A quo, & quando creatus est homo? - ibid:
ARTICULUS 1. *de Primævo statu hominis creati.* 328
Quæres 1. Utrum omnium hominum primus creatus fuerit Adam? - - - ibid:
Q. 2. Qua ratione dicatur homo ad imaginem & similitudinem Dei factus? - 330
Q. 3. In quo statu creatus est primus homo? - ibid:

Q. 4.

Q. 4. Qualis fuerat primigenius Protoparentum nostrorum status ? - - 331
Q. 5. Utrum status innocentiæ fuerit Protoparentibus debitus? - - - 332
Q. 6. Potuitne homo creari à Deo in puris Naturalibus? 333
ARTICULUS 2. *de Lapsu Protoparentum Nostrorum.* 334
Quæres 1. An diu perduraverit status Innocentiæ ? ibid:
Q. 2. Quomodo contingit istiusmodi Protoparentum nostrorum lapsus ? - - ibid:
Q. 3. Historia Lapsus Protoparentum à Moyse descripta, utrum allegorice non sit intelligenda ? - 335
Q. 4. Quas pænas inflixerit Deus Protoparentibus nostris propter illorum lapsum ? - 336
Q. 5. Utrum peccatum Protoparentum nostrorum in omnes qui ab illis descendunt, posteros propagatur? 337
Q. 6. Præter allegata Sacræ Scripturæ Testimonia, nonne etiam aliis argumentis potest transfusio peccati originalis probari? - - 339
Q. 7. Utrum etiam ratione naturali existentia peccati originalis probari poſsit ? - 340
Q. 8. Quomodo Peccatum Originale Protoparentum nostrorum in nos transfunditur? - 341
CAPUT 4. *de Statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ.* - - - 342
Quæres Quis sit status naturæ lapsæ ac per Christum reparatæ ? - - - ibid:
ARTICULUS 1. *de ijs quæ concernunt statum naturæ lapsæ.* - - - ibid:
Quæres 1. Utrum ab omnibus qui modo nascuntur hominibus peccatum originale contrahatur ? - ibid:
Q. 2. Utrum etiam Filij fidelium contrahunt peccatum originale? - - 343
Q. 3. Quibus post mortem subiacent miseriis parvuli in peccato originali ex hac vita decedentes? - 344
Q. 4. An non saltem aliqui ex hominibus à peccato originali immunes fuerant ? - 345
Q. 5. Quos præcipuos peccatum originale peperit effectus ? - - - 346
ARTICULUS 2. *de Lapsæ naturæ reparatione.* - 347
Quæres 1. Post infelicem Protoparentum nostrorum lapsum, inflictasque à Deo pænas, quid tandem contigit? ibid:
Q. 2. Utrum hæc futuri Liberatoris Protoparentibus nostris facta promiſsio, posteris ipsorum innotuerit? 348
Q. 3. Cur non statim post factam à Deo promiſsionem Divinus venerat Liberator ? - - 349

Q. 4. An-

Q. 4. Antequam Divinus Liberator venisset, quid interea factu opus erat hominibus, ut æternam salutem consequerentur? - - ibid:
CAPUT 5. *de futura hominis vita.* - - 350
Quæres: In quo status futuræ vitæ consistit? - ibid:
ARTICULUS I *de futuræ vitæ existentia.* ibid:
Quæres I. Utrum post mortem hominis altera detur vita? ibid
ARTICULUS 2. *de statu humanarum animarum in futura vita.* - - - 352
Quæres I. Utrum post mortem hominis anima maneat superstes? - - - ibid:
Q. 2. Unde habent animæ humanæ, ut post mortem hominis superstites maneant? - - 354
Q. 3. Utrum in futura vita dantur pænæ ac præmia, bonis malisque præparata? - 356
Q. 4. Jstiusmodi pænæ ac præmia quæ in futura vita bonis atque malis præparata sunt, erutne æterna? 358
ARTICULUS 3. *de Conditione corporum humanorum in futura vita.* - - 360
Quæres I. Utrum possibile sit, ut mortua hominum corpora resurgant. - - ibid:
Q. 2. Utrum aliquando futura sit mortuorum hominum resurrectio? - - - 362
Q. 3. An reipsa omnes omnino homines resurgent? ibid:
Q. 4. An cum iisdem corporibus homines resurgent, in quibus vixerunt? - - 363
Q. 5. Nonne saltem aliqua erit differentia, atquæ discrepantia inter corpora, cum quibus resurgemus, ac illa quæ modo portamus? - - 364
CAPUT 6. *de Hominis Beatitudine.* - - 365
Quæres I. Quid sit Beatitudo? - ibid:
Q. 2. Quotuplex considerari possit hominis beatitudo. ibid:
ARTICULUS I. *de Temporali hominis beatitudine.* *ibid:*
Quæres I. Beatitudo Temporalis quotuplex censeri possit? - - - ibid:
Q. 2. Utrum aliquod bonum creatum possit plene hominem satiare? - - ibid:
Q. 3. In quo ergo constituenda est vera hominis beatitudo? - - - 366
Q. 4. Utrum aliqua est præsentis vitæ beatitudo? 367
Q. 5. In quo consistit præsentis vitæ beatitudo? - ibid:
ARTICULUS 2. *de æterna hominis beatitudine, quæ in futura percipitur vita.* - 368
Quæres I. In quo consistit futuræ vitæ beatitudo? ibid:
Q. 2. Quid sit illa visio Dei intuitiva in qua tota futuræ vitæ

vitæ reponitur beatitudo? - - ibid:
Q. 3. In futura beatitudine, eruntne aliqua visioni intuitivæ superaddita? - - 369
Q. 4. Quid sit ista aureola quæ quibusdam beatis conceditur? - - - ibid:
Q. 5. Utrum Sanctorum Beatitudo in futura vita æqualis omnium erit? - - 370
Q. 6. Quandonam hæc cælestis beatitudo in futura vita justis confertur? - - 371
Q. 7. Quid sit illud millenarium Regnum, quod quidam post universalem mortuorum resurrectionem, futurum effixerunt? - - 374
Q. 8. Quid sentiendum sit de hoc mille Annorum Regno? - - - ibid:
Q. 9. Quid sentiendum sit de animabus hominum, quæ morte á corporibus separantur quibusdam adhuc minoribus peccatorum maculis inquinatæ? - 377

TRACTATUS DE SS. TRINITATE.

CAPUT I. *de Mysterio SS. Trinitatis* - 379
Quæres. In quo consistit Mysterium SS. Trinitatis? ibid:
ARTICULUS I. *De iis quæ ad intelligendum Mysterium Trinitatis, scitu sunt necessaria.* - - ibid;
Quæres 1. Ad intelligendum Mysterium Trinitatis, quæ sunt scitu necessaria? - - ibid:
Q. 2. Quid sit essentia, substantia & natura? - 380
Q. 3. Quid sit persona, hypostasis? - - ibid:
Q. 4. Quid Nomine substantiæ ac suppositi intelligendum sit? - - - 381
Q. 5. Quid sit circuminsessio? - ibid:
Q. 6. Quinam circa Mysterium SS. Trinitatis emerserunt errores? - - - ibid:
Q. 7. Quæ & qualis cautio adhibenda est in loquendo, cum de Mysterio SS. Trinitatis sermo instituitur? 383
ARTICULUS 2. *de Fide & agnitione Mysterii SS. Trinitatis.* - - - 384
Q. 1. Utrum Mysterium SS. Trinitatis lumine naturali cognosci possit? - - ibid:
Q. 2. Utrum Judæis Mysterium SS. Trinitatis notum fuerit. - - - 386
Q. 3. Gentilium Philosophis an aliquo modo innotuerit Mysterium Trinitatis? - - 387
Q. 4. Quibus ergo argumentis ex revelatione desumptis Mysterium SS. Trinitatis probatur? - 388
Q. 5. Utrum Mysterium SS. Trinitatis sit articulus fidei

ad

ad salutem omnino necessarius? - - 393
ARTICULUS 3. *de Divinis processionibus, relationibus, notionibus, missionibus.* - ibid:
Quæres 1. Quid in Divinis nomine processionis intelligatur? - - - ibid:
Q. 2. Utrum admittendæ sunt Divinæ processiones? ibid:
Q. 3. Quot sunt in Divinis processiones? - 394
Q. 4. Quæ sunt præcipuæ Divinorum processionum proprietates. - - aibid
Q. 5. Quomodo istæ Divinæ nominantur processiones? 395
Q. 6. Quodnam sit principium Divinarum processionum? - - ibid:
Q. 7. Quid & quotuplices sunt Divinæ relationes? - 396
Q. 8. Utrum relationes personales sunt reales perfectiones? - - - ibid:
Q. 9. Quomodo Divinæ relationes distinguuntur? 397
Q. 10. Quid per Divinas notiones intelligendum sit. ibid;
Q. 11. Quid in Divinis missio significat? - 398
CAPUT 2. *de Divinis Personis.* - - - 399
Q. Quot sunt Divinæ Personæ. - ibid:
ARTICULUS 1. *de Divina Persona Patris.* - ibid;
Quæres 1. Quot nominibus prima SS. Trinitatis persona soleat designari? - - - ibid:
Q. 2. Utrum Pater secundum se sit Deus. - 400
ARTICULUS 2. *de Divina Filii Persona.* - ibid:
Quæres 1. Quibus nominibus designatur secunda SS. Trinitatis Persona? - - ibid:
Q. 2. Utrum 2*da* SS. Trinitatis Persona, quæ Filius est Patris, sit verus Deus Patri consubstantialis? ibid:
Q. 3. Utrum recte Patres Concilii Nicæni voce *Consubstantialis* usi sunt ad definiendam Christi Divinitatem? - - - 406
ARTICULUS 3. *de Divina Spiritus Sancti Persona.* 408
Quæres 1. Utrum Spiritus S. sit persona Divina? - ibid:
Q. 2. Utrum Spiritus S. verus sit Deus, Patri & Filio consubstantialis? - - 410
Q. 3. Utrum Spiritus S. á Patre & Filio procedit. 412
Q. 4. Quando & á quo particula *Filioque*: Symbolo Constantinopolitano fuerit adiecta. - 414
Q. 5. Utrum particula *Filioque*: Symbolo Constantinopolitano jure ac merito fuerit addita? - - - ibid;
TRACTATUS DE JNCARNATIONE VERBI DIVINI ET OPERE REDEMPTIONIS HUMANÆ.
CAPUT 1. *de Natura Jncarnationis Verbi Divini, eiusque nobi-*

possibilitate, convenientia, atque necessitate. - 417

ARTICULUS 1. *de Natura, possibilitate, atque convenientia Incarnationis Divinæ.* - - ibid:

Quæres 1. Quid sit Incarnatio Divina. - ibid:

Q. 2. Utrum Incarnatio Verbi Divini sine Dei revelatione sola naturali ratione cognosci possit. - 418

Q. 3. Mysterium Incarnationis continetne in se aliquam repugnantiam. - - ibid:

Q. 4. Utrum Mysterium Incarnationis Verbi Divini expediebat, atque conveniens fuerit. - 420

ARTICULUS 2. *de Existentia Incarnationis Verbi Divini, ipsiusque necessitate?* - - 421

Q. 1. Utrum Mysterium Incarnationis Verbi Divini reipsa adimpletum jam fuerit? - ibid:

Q. 2. Antequam impletum esset Divinæ Incarnationis Mysterium, quibusnam illud innotuerat? - ibid:

Q. 3. Utrum aliqua necessitate adstringebatur Deus, ut Filium suum mitteret in mundum, qui humanam assumeret naturam? - - 423

Q. 4. Supposito lapsu humani generis in peccatum, in hypothesi condignæ exigendi satisfactionis, Incarnatio Verbi Divini fuitne absolute necessaria? - 424

Q. 5. An reipsa Deus pro peccatis hominum condignam exigebat satisfactionem? - - 425

Q. 6. Quis fuit finis Incarnationis Verbi Divini? - ibid:

CAPUT 2. *de Promissione, & adventu Messiæ Salvatoris, ac Redemptoris humani generis?* - 426

ARTICULUS 1. *de Divinis promissionibus Venturi Messiæ?* - - - ibid:

Quæres 1. Nomine Messiæ quis intelligi debeat? ibid.

Q. 2. Quando & quibus Deus venturum appromisit Messiam? - - - 427

Q. 3. Promissio de venturo Messia á Deo tum primis Parentibus nostris, tum Patriarchis facta, fuitne inter Gentes propagata & conservata? - - 429

Q. 4. Quibus modis notitia venturi Messiæ propagata, & conservata fuit? - - 431

ARTICULUS 2. *de Adventu Messiæ?* - 433

Quæres 1. Utrum jam Messias advenerit? - ibid:

Quæres 2. Quodnam est illud Jacobi Patriarchæ Vaticinium, ex quo Messiæ adventus comprobatur? ibid:

Q. 3. Ex Prophetia Danielis quale eruitur argumentum

Q. 4. ut ostendatur Messiam jam advenisse? - 443

Q. 4. Ex alijs Prophetis quodnam adduci potest argumen-

mentum a[illegible]um Meſsiam jam pridem advenisſe? - - 450
Q. 5. Quis est iste Meſsias, qui jam dudum venerat? 452
Q. 6. Ex quibus præterêa signis ostendi potest Christum Jesum verum eſse Meſsiam? - 454
CAPUT 3. *de Jesu Christo, ipsius Natura atque Persona.* - - - 457
Quæres. Quæ præcipuæ erant erroneæ de Jesu Christo opiniones, atque hæreses? - - ibid:
ARTICULUS 1. *de duplici Christi Natura Divina & humana.* - - - 459
Quæres 1. Utrum Christus Divinam habuit naturam? ibid:
Q. 2. Quibus præterea argumentis evincitur Christum verum eſse Deum, non autem purum hominem? 462
Q. 3. Utrum Christus verus sit homo? - 465
Q. 4. An igitur duæ sint in Christo naturæ? - 466
Q. 5. Cum in Christo duæ sint naturæ, utrum etiam duæ sint voluntates, atque operationes? - 467
ARTICULUS 2. *De Christi persona, deque unione utriusque in illo naturæ Divinæ ac humanæ?* - 469
Quæres 1. Quid & quotuplex est unio? - ibid:
Q. 2. Qualis est in Christo unio duarum naturarum Divinæ & humanæ? - - 470
Q. 3. An ergo una est in Christo persona? - 471
Q. 4. Qualis sit in Christo persona? - - 472
Q. 5. Cum in Christo una sit persona Divina, estne etiam Christus unicus Dei Filius? - - 473
Q. 6. Christus qualis est Filius Dei, an naturalis, an adoptivus tantummodo? - - 474
Q. 7. Christi Mater B. V. M. quomodo appellari debeat, an Deipara, an tantummodo Christipara? - 476
Q. 8. Ex hac mirabili Divinæ & humanæ in Christo naturarum unione quid consequitur? - 477
Q. 9. Ad pleniorem notitiam hujus admirabilis unionis Divinæ & humanæ in Christo naturæ, quæ præterea ſcienda atque tenenda ſunt? - 478
CAPUT 4. *De Anima, atque Christi Carne?* - 479
Quæres. Ex quibus Christi constat humanitas? ibid:
ARTICULUS 1. *De humana Christi Anima.* - ibid:
Quæres 1. Utrum Verbum Divinum veram aſsumpserit animam humanam? - - ibid:
Q. 2. Utrum anima Christi post ipsius mortem in Infernum descenderit? - - 481
Q. 3. Anima Christi qualem & quantam habuit ſcientiam? - - - 482
Q. 4.

Q. 4. Animæ Christi competebatne etiam omnimoda Sanctitas, atque impeccantia? - 483
Q. 5. Utrum Christus in subeunda Crucis morte fuerit liber? - - - 485
ARTICULUS 2. *de Carne Christi?* - 485
Quæres 1. Utrum Verbum Divinum veram humanam assumpserit carnem? - - ibid:
Q. 2. Utrum Christus carnem sumpserit ex B. V. Maria? 487
Q. 3. Utrum Verbum Divinum carnem humanam assumpserit ex Maria, Virginitate ipsius inviolata permanente? - - - 488
Q. 4. Utrum etiam post partum Christi B. Maria semper Virgo permanserit? - 489
Q. 5. Utrum Christus vere in Carne humana dolores cruciatusque passus fuerit? - 490
Q. 6. Utrum triduo mortis Christi, Verbum Divinum neque à corpore neque ab anima ipsius recesserit? ibid:
CAPUT 5. *de Opere Redemptionis Nostræ.* - 491
Quæres 1. In quo consistit opus Redemptionis nostræ? ibid:
Q. 2. Qui circa opus Redemptionis nostræ erraverunt. 492
ARTICULUS 1. *de Christi satisfactione pro pœccatis nostris præstita?* - - - 493
Quæres 1. Quid & quotuplex est satisfactio? - ibid:
Q. 2. Utrum satisfactione pro peccatis nostris Deo præstanda opus fuerit? - - ibid:
Q. 3. Satisfactio pro peccatis nostris Deo præstanda an ab ipso Christo præstari debuit? - - 494
Q. 4. Utrum Christus pænas peccatis nostris debitas in se suscipiens, debita nostrorum peccatorum persolvit, prætium sangvinis sui Deo Patri pro nobis offerendo? - - ibid:
Q. 5. An ergo Christus verè pro nobis satisfecit? - 497
Q. 6. Utrum satisfactio Christi pro peccatis nostris præstita fuerit æquivalens & superabundans? - 498
ARTICULUS 3. *de Nostra Redemptione, atque cum Deo reconciliatione?* - - - 499
Quæres 1. Quid sit, & in quo posita est nostra Redemptio, atque cum Deo per Christum facta reconciliatio? ibid:
Q. 2. Utrum Christus verè nos redemit, peccata nostra expiavit, ac Deo Patri nos reconciliavit? - ibid:
Q. 3. Utrum Christus verè nobis promeruit vitam æternam, ac remedia ad illam consequendam opportuna? - - - 501
Q. 4. Utrum Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus fuerit, ac omnes omnino redemerit. - 502

Q. 5. Quibus titulis insignitus est Christus? - 503

TRACTATUS DE ADORATIONE, JNVOCATIONE, CULTUQUE RELIGIOSO, CHRISTO, SANCTIS, JMAGINIBUS AC RELIQUIJS EXHIBENDO.

CAPUT 1. *De Christi Adoratione ac Mariæ Matris ejus veneratione deque contrarijs erroribus.* - 505
ARTICULUS 1. *Notiones prævié Adorationis, cultusque Religiosi explanantur, ac errores recensentur?* *ibid:*
Quæres 1. Quid sit Adoratio & quotuplex? - ibid:
Q. 2. Quæ sunt in Adoratione distingvenda? - ibid:
Q. 3. Quotuplex est cultus Religiosus? - 506
Q. 4. Qui circa cultum Religiosum à nobis exhibendum erraruut? - - ibid:
Q. 5. Qui circa cultum Sanctarum Reliquiarum erravarint? - - 507
Q. 6. Quinam Sanctorum Imaginibus cultum abnegarunt? - - - ibid:
ARTICULUS 2. *de Christi Adoratione ac Mariæ Matris ejus veneratione?* - - ibid:
Quæres 1. Christus ut homo, seu humana Christi natura, quo cultu adoranda est? - ibid:
Q. 2 Utrum Crux Christi adoranda sit? - 509
Q. 3. An consvetudo signandi frontem signo crucis laudabilis atque utilis sit? - - 510
Q. 4. Utrum B. V. M. peculiari cultu honoranda sit? 511
Q. 5. An non solum adoranda sed etiam invocanda sit B. V. Maria? - - ibid:
Q. 6. Utrum Festorum ac Confraternitatum in honorem B. V. Mariæ institutio licita sit? - 512
CAPUT 2. *de Cultu et Invocatione Sanctorum.* - 513
ARTICULUS 1. *de Invocatione Sanctorum?* - *ibid:*
Quæres 1. Utrum Sancti in Cælis degentes pro nobis apud Deum intercedant? - - ibid:
Q. 2 Utrum Deus ad præces Sanctorum nobis sua confert beneficia? - - - 514
Q 3. Utrum licitum sit, ac utile Sanctos invocare? ibid:
Q. 4. Utrum Sancti particulares etiam necessitates nostras sciant, atque præces nostras audiant? - 515
Q. 5. In honorem Sanctorum licetne Missarum Sacrificia celebrare? - - - 517
Q. 6. Quomodo Sancti à Deo nobis necessaria impetrant? ibid:

Q. 7. Præter merita Christi, danturne etiam merita Sanctorum? - - - 518
Q. 8. Jnvocatio Sanctorum nonne derogat titulo Mediatoris, qui Christo competit? - 519
ARTICULUS 2. *de Cultu, & veneratione Sanctorum.* 520
Quæres 1. Utrum Angeli ac Sancti in Cælis regnantes honore ac nostra veneratione digni sint? - ibid:
Q. 2. Cultus Sanctorum atque Angelorum estne licitus? ibid:
Q. 3. Qualis sit iste cultus quem Sanctis exhibemus? 522
Q. 4. Utrum Jnvocatio ac veneratio Sanctorum aliqua lege præcepta sit? - - 523
CAPUT 3 *de Cultu ac Veneratione Imaginum, atque Sacrarum Reliquiarum.* - - 525
ARTICULUS 1. *de Cultu Sanctarum Imaginum.* - ibid:
Quæres 1. Quid Nomine Imaginis intelligendum sit? ibid:
Q. 2. Primis tribus Ecclesiæ sæculis fuitne frequens Imaginum usus? - - ibid:
Q. 3. Imaginum usus estne licitus? - - 526
Q. 4. Utrum etiam Dei, ac SSmæ Trinitatis Imagines efficiendæ ac retinendæ sint? - - 527
Q. 5. Usus Sanctarum Imaginum affertne aliquibus Fidelibus utilitatem? - - 528
Q. 6. Utrum Sacris Imaginibus honor ac veneratio exhiberi debeat? - - ibid:
Q. 7. Qualis Sacris Imaginibus exhiberi potest cultus? 529
ARTICULUS 3. *de Cultu ac veneratione SS. Reliquiar:* 532
Quæres 1. Utrum veneratio Sacrarum Reliquiarum licita, & Religioni nostræ conveniens sit? - ibid:
Q. 2. Qua ratione coli debeant Sanctorum Reliquiæ? 534
Q. 3. Quæ fuerit in Ecclesia circa Sacrarum Reliquiarum venerationem observata disciplina? - ibid:
Q. 4. An Sanctorum Reliquiæ licite & utiliter in publicis Supplicationibus deferuntur, fidelium conspectui exponuntur, in Altaribus reponuntur, atque ægris & energumenis applicantur? - - 535
Q. 5. Utrum Religiosæ Peregrinationes ad Sacras Imagines Reliquiasque licitæ & utiles sint? - 536

TRACTATUS DE DIVINA GRATIA.

CAPUT 1. *de Notione, divisione Gratiæ, erroribusque oppositis.* - - - 537
ARTICULUS 1. *de Notione ac Divisione Gratiæ.* *ibid:*
Quæres 1. Quid nomine gratiæ intelligendum sit? ibid:
Q. 2. Quotuplices sunt gratiæ supernaturales? 538
Q. 3. Gratia gratum faciens quomodo dividitur? ibid:

Q. 4.

Q. 4. Quotuplex est Gratia Redemptoris? - ibid:
Q. 5. Quæ est præcipua actualis Gratiæ divisio? 539
Q. 6. Sed in quo consistit natura Divinæ Gratiæ? 540
Q. 7. Quid sit ista motio voluntatis ad bonum, in qua præcipue Christi Gratia consistit? - - ibid:
Q. 8. Gratia estne æqualis in omnibus? - 541
ARTICULUS 2. *de Erroribus circa gratiam exortis.* *ibid:*
Quæres 1. Ex antiquioribus qui circa Gratiam errarunt? ibid:
Q. 2. Utrum Gratia Divina sit homini omnino necessaria? - - - ibid:
Q. 3. Utrum Gratia Christi non solum in genere ad salutariter agendum necessaria sit, sed etiam ad singulos actus salutares requiratur? - - 544
Q. 4. An etiam justis ad singulos actus salutares Gratia Dei sit necessaria? - - 545
Q. 5. An non ergo in justis ad bene operandum sufficit Gratia habitualis? - - 546
Q. 6. Utrum etiam ad fidem atque ad ipsum quoque fidei initium, gratia Dei sit necessaria? - - ibid:
Q. 7. Qualis est ista Gratia, quæ ad opera salutaria omnino necessaria esse dicitur? - - 549
Q. 8. Forte Gratia Divina non ad simpliciter salutariter operandum; sed ad facilius opera salutaria perficienda erit necessaria? - - 550
Q. 9. Ut homo in bono usque ad finem vitæ perseveret, estne Gratia necessaria? - ibid:
Q. 10. Perseverantia in bono usque ad finem vitæ estne donum Dei speciale? - 551
Q. 11. Utrum per ordinaria Gratiæ dona, per totam vitam potest quis omnia etiam venialia evitare peccata? - - - 553
Q. 12. Singulare Dei Privilegium, omnia, toto vitæ tempore, etiam venialia evitandi peccata, cui concessum fuerat? - - - 555
ARTICULUS 2. *de necessitate Gratiæ Divinæ ad bona opera ordinis naturalis.* - ibid:
Q. 1. Utrum homo sine Gratia Divina, viribus naturæ possit bonum ordinis naturalis & cognoscere & perficere? - - - ibid:
Q. 2. Utrum homo viribus naturæ sine Divina Gratia, legem, & Dei præcepta observare possit. - 558
Q. 3. Sed potestne homo viribus naturæ Deum super omnia diligere? - - - ibid:
Q. 4. Utrum ad superandas tentationes Gratia Divina sit omnino necessaria? - - ibid:
Q. 5.

Q. 5. Potestne homo viribus naturæ se ad Gratiam disponere? - - - 560
Q. 6. Utrum Deus prædictarum dispositionum, Gratiam prævenientium, aliquam rationem habeat? - ibid:
CAPUT 3. *de Gratia efficaci & sufficienti.* - 562
ARTICULUS 1. *de Gratia efficaci.* - ibid:
Quæres 1. Utrum admittenda sit Gratia efficax? ibid:
Q. 2. Gratia efficax infertne aliquam voluntati humanæ necefsitatem? - - ibid:
Q. 3. Qualis sit ista efficacia Gratiæ & in quo reponi illa debet? - - - 565
Q. 4. Cur ergo femper difficilis visa est concordia humanæ libertatis cum Divina Gratia? - 566
ARTICULUS 2. *de Gratia Sufficiente.* - ibid:
Quæres 1. Utrum datur Gratia fufficiens? - ibid:
Q. 2. Quid Nomine Gratiæ fufficientis intelligendum sit? - - - 568
Q. 3. Qui sunt effectus & quæ adjuncta Gratiæ Sufficientis? - - - 570
Q. 4. Utrum omnibus Gratia Sufficiens à Deo tribuatur? 571
Q. 5. Utrum justis aliquando desit Gratia Sufficiens? 572
Q. 6. An peccatoribus obduratis, & excæcatis detur, à Deo Gratia fufficiens? - - 573
Q. 7. An Infidelibus etiam dentur gratiæ fufficientes? 574
CAPUT 4. *De Gratia habituali, ejusque effectibus, justificatione & merito.* - - 575
ARTICULUS 1. *De Gratia habituali.* - ibid:
Quæres 1. Quid sit Gratia habitualis? - ibid:
Q. 2. Utrum Gratia habitualis à Charitate distingvitur? 576
Q. 3. Utrum gratia habitualis sit æqualis omnibus justis. - - ibid:
Q. 4. Quid gratiæ habituali annexum sit? - 577
Q. 5. Utrum gratia habitualis necefsaria sit ad bene operandum? - - - ibid:
ARTICULUS 2. *de Iustificatione Impiorum.* . 580
Quæres 1. Qui circa justificationem impiorum errarunt. ibid:
Q. 2. An soli fidei adscribenda sit Justificatio impii? ibid:
Q. 3. Qualis est ista Fides, quæ inter cæteras dispositiones ad justificationem prærequiritur? - 582
Q. 4. Quæ igitur funt dispositiones ad justificationem consequendam omnino necefsariæ? - 583
Q. 5. Utrum in justificatione peccata vere deleantur, ac remittantur? - - 584
Q. 6. Per quid Peccatores justificantur? - 585
Q. 7. An non in fola remifsione peccatorum consistit nostra

stra justificatio ? - - 586
Q. 8. Utrum sine ſpeciali Dei revelatione potest quis de ſua justificatione certus eſse ? - ibid:
Q. 9. Utrum ſemel adepta justitia amitti poſsit? - 587
ARTICULUS 3. *De merito bonorum operum.* - 588
Quæres 1. Quid & quotuplex est opus bonum. - ibid:
Q. 2. Quid & quotuplex est meritum ? - 589
Q. 3. Qui circa bona nostra opera eorumque merita erraverint ? - - - ibid:
Q. 4. Utrum dentur opera humana quæ vere bona sint? 590
Q. 5. Utrum sine fide opus moraliter bonum fieri possit ? - - - ibid:
Q. 6. Potestne homo sine influxu actualis charitatis recte ac laudabiliter operari? - - 592
Q. 7. Utrum bona opera, ad ſalutem æternam consequendam sint neceſsaria ? - - - 593
Q. 8. Bona hominis opera, suntne etiam meritoria ? 594
Q. 9. In quo fundantur merita nostrorum operum ? 595
Q. 10. Quæ conditiones ad meritum sive de congruo, sive de condigno requirantur ? - - ibid:
Q. 11. Quæ requiruntur conditiones ad meritum de condigno & quæ ad meritum de congruo ? - 597
Q. 12. Quid homo apud Deum mereri possit ? - 598
Q. 13. Utrum justi verè merentur vitam æternam ? ibid:
Q. 14. Utrum licitum sit agere intuitu solius mercedis ac beatitudinis æternæ ? - - - 599
Q. 15. Quæ non possunt mereri ? - 600
Q. 16. Quæ non possunt promereri de condigno ? ibid:
Q. 17. Quæ præterea possunt promereri de congruo? 601

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI

CAPUT 1. *De Ecclesiæ institutione, ejusqué Hierarchia.* - - - - 602
Q. 1. Quid sit Ecclesia ? - - ibid:
Q. 2. Quotuplex præcipue est Christi Ecclesia ? ibid:
ARTICULUS 1. *De Ecclesiæ Christi institutione illiusque fundatione?* - - - - - - 603
Quæres 1. Utrum Christus in terris Ecclesiam instituerit, ac fundaverit ? - - ibid:
Q. 2. Utrum Christus constitutæ a se Ecclesiæ potestatem jurisdictionis & auctoritatem regiminis contulerit ? - - - 604
Q. 3. Potestas Regiminis, ac jurisdictionis auctoritas, á Christo Ecclesiæ conceſsa, quibus competit ? 605

Q. 4.

Q. 4. Auctoritas, Ecclesiæ ac Ministris ipsius à Christo concefsa, in quo consistit? - 607
Q. 5. Auctoritas atqué Ecclesiæ potestas ad quæ se extendit? - - - 608
Q. 6. Qui subiecti efse censentur potestati ac jurisdictioni Ecclesiæ? - - - ibid:
Q. 7. Utrum ergo fideles omnes, in omnibus Ecclesiæ atqué Ministris ipsius obtemperare teneantur? 609
ARTICULUS 2. *de Hierarchia Ecclesiastica.* - 610
Quæres 1. Quid sit Hierarchia Ecclesiastica? - ibid:
Q. 2. Utrum sit in Ecclesia á Christo constituta Hierarchia? - - - ibid:
Q. 3. Nonne septuaginta duo Discipuli Apostolis æquales erant? - - 611
Q. 4. Utrum Christus inter Apostolos Petro primatum atqué præeminentiam contulerit? - 612
Q. 5. Primatus Petro à Christo concefsus, an honoris solum & directionis fuerit, an etiam potestatis & Jurisdictionis? - - - 617
Q. 6. S. Petrus reliquitne sui Primatûs Succefsores? 620
Q. 7. Qui sunt in primatu Ecclesiæ Petri Succefsores? ibid:
Q. 8. Ergo Romanus Pontifex in tota Christi Ecclesia obtinet Primatum honoris & iurisdictionis? 622
Q. 9. Quo iure competit Romano Pontifici primatus honoris & jurisdictionis? - - 625
Q. 10. Quæ competunt Romano Pontifici ratione ipsius Primatus? - - - - - - 626
Q. 11 Cæteri præter Christum Apostoli qualem habebant à Christo sibi collatam in Ecclesia auctoritatem? - - - 627
Q. 12. Qui sunt ergo Apostolorum Succefsores? ibid:
Q. 13. In quibus posita est auctoritas Episcoporum quam succefsione ab Apostolis accipiunt? - 628
Q. 14. Auctoritatem suam Episcopi an immediate à Deo accipiunt, an à Romano Pontifice? - 629
ARTICULUS 3. *De cæteris Hierarchiæ Ecclesiasticæ membris?* - - - - - - 630
Quæres 1. Præter Episcopos ex quibus insuper constat, atqué coalescit Hierarchia Ecclesiastica? - ibid:
Q. 2. Quæ sit origo Præsbyterorum? - 631
Q. 3. Præsbyteri suntne Episcopis æquales? - ibid:
Q. 4. Præter Episcopos & Præsbyteros denturne insuper in Ecclesia alii Ministri? - - 636
Q. 5. Diaconi suntne institutionis Divinæ? - 637

Q. 6. Utrum Diaconi sint Episcopis atque Præsbyteris inferiores? - - - - - - 638
Q. 7. Cæteri in Ecclesia usitati ordines, quemadmodum Subdiaconi, Acolithi, Exorcistæ & alii utrum pertineant ad Ecclesiasticam Hierarchiam? ibid:
Q. 8. Ex his quæ de Ecclesiæ institutione ipsiusqué Hierarchia posita atqué probata sunt, quæ depromenda sit genuina veræ Christi Ecclesiæ notio? ibid:
CAPUT 2. *De notis ac Characteribus veræ Christi Ecclesiæ?* - - - - - - 639
ARTICUS 1. *De Ecclesiæ notis generatim spectatis?* ibid:
Quæres 1. Quid sit Ecclesiæ nota? - - ibid:
Q. 2. Præter veram Christi Ecclesiam suntne aliæ spuriæ ac falsæ Ecclesiæ? - - ibid:
Q. 3. Quæ requiruntur ut aliquid pro nota veram Christi Ecclesiam denotante afsignetur? - 640
Q. 4. Quot & quæ afsignantur notæ veram Christi Ecclesiam demonstrantes? - - ibid:
Q. 5. Veritas doctrinæ Christianæ & legitimus Sacramentorum usus, pofsuntne statui pro notis veram Christi Ecclesiam designantibus? - 640
Q. 6. Quæ sunt igitur veræ Christi Ecclesiæ notæ? 642
ARTICULUS 2. *De veræ Ecclesiæ notis, unitate scilicet & Sanctitate.* - - ibid:
Quæres 1. In quo consistat hæc unitas quæ pro nota veræ Christi Ecclesiæ afsignatur? - ibid:
Q. 2. Prædicta unitas estne proprius veræ Christi Ecclesiæ Character ac nota ipsius? - ibid:
Q. 3. Unitas quæ proprius est veræ Christi Ecclesiæ character ac ipsius nota, excluditne omnes omnino errores, ac hæreses ab Ecclesia damnatas? 644
Q. 4. Ad unitatem veræ Christi Ecclesiæ conservandam, estne necefsaria subiectio legitimis Pastoribus? 646
Q. 5. Quod est unitatis Ecclesiasticæ centrum? 647
Q. 6. Unitas quæ pro nota atqué proprio veræ Christi Ecclesiæ Charactere statuitur, cui re ipsa competit Ecclesiæ? - - - ibid:
Q. 7. Hæc unitas quæ est proprius veræ Christi Ecclesiæ Character, potestne aliquo modo competere Ecclesiæ Protestantium aut Reformatorum? - 649
Q. 8. Sanctitas quæ pro nota veræ Christi Ecclesiæ afsignatur in quo consistit? - 652
Q. 9. Istiusmodi Sanctitas cui Ecclesiæ competit? ibid:
ARTICULUS 3. *De cæteris veræ Christi Ecclesiæ notis*
Q. 1. Quæ sint præterea veræ Christi Ecclesiæ notæ? ibid

Q. 2.

Q. 2. Utrum Ecclesia Christi reipsa debuerat eſse universalis per totum orbem diffusa? - ibid:
Q. 3. Catholicitas, sive universalitas cui Ecclesiæ convenit? - - - 655
Q. 4. Apostolicitas estne propria veræ Christi Ecclesiæ nota? - - - 657
Q. 5. Apostolicitas cui competit Ecclesiæ - ibid:
Q. 6. Quæ ergo vera est Christi Ecclesia? - 658
Q. 7. Utrum extra Christi Ecclesiam Romano-Catholicam salus æterna obtineri poſsit? - - 659
Q. 8. Nonné ad salutem sufficit in Christum credere, in Eo sperare, & quamcumqué tandem Christianam sequi Religionem, quamcumqué tenere Ecclesiam? 660
CAPUT 3. *De Capite & membris veræ Christi Eccl.* 662
ARTICULUS 1. *De Capite veræ Christi Ecclesiæ.* ibid:
Q. 1. Quod est Caput Ecclesiæ Christi? - ibid:
Q. 2. Quod est Caput Ecclesiæ supremum & invisibile? - - - ibid:
Q. 3. Quod est visibile caput Ecclesiæ Christi? ibid:
Q. 4. Utrum Regimen Ecclesiæ penes solum sit Romanum Pontificem? - - 663
Q. 5. Præter Romanum Pontificem ad quos insuper pertinet Ecclesiæ regimen? - 665
Q. 6. Quale est Ecclesiæ regimen? - ibid:
ARTICULUS 2. *De Membris Ecclesiæ Christi.* 666
Q. 1. Quid nomine Membrorum Ecclesiæ intelligi debeat? - - ibid:
Q. 2. An soli prædestinati sint Ecclesiæ membra? 667
Q. 3. Utrum ex solis justis ac perfectis constet Ecclesia? - - - 669
Q. 4. Hæretici suntné in Ecclesia? - - 670
Q. 5. Ii qui abiecta interius fidei, in externa manent Ecclesiæ societate suntne veræ Ecclesiæ membra? 671
Q. 6. Utrum Schismatici sunt in Ecclesia? - ibid:
Q. 7. Excommunicati suntne in Ecclesia? - 672
CAPUT 4. *De potioribus Ecclesiæ Christi proprietatibus ac privilegiis.* - ibid:
Quæres 1. Quæ sunt potiores Ecclesiæ Christi proprietates atqué privilegia? - ibid:
ARTICULUS 1. *De visibilitate & indefectibilitate Christi Ecclesiæ.* - - - ibid:
Quæres 1. Ecclesia Christi estne visibilis & omnibus conspicua? - - ibid:
Q. 2. Utrum hæc visibilis conspicuitas maximè competat Ecclesiæ Romano-Catholicæ? - 674

Q. 3.

Q. 3. Utrum Ecclesia Christi perpetuo duratura sit? 675
ARTICULUS 2. *De infallibilitate Ecclesiæ Christi.* 676
Quæres 1. In quibus Ecclesia Christi est infallibilis? ibid:
Q. 2. Quid sentiendum sit de Romanorum Pontificum in materia fidei aut morum factis definitionibus? 678
Q. 3. Quando Romani Pontificis definitio censeri debeat esse dogmatica? - - 679
Q. 4. Quodsi definitioni dogmaticæ Romani Pontificis, accesserit expressus vel tacitus Ecclesiæ totius consensus, cuius tunc ipsa auctoritatis erit? - 680
Q. 5. Utrum Ecclesiæ competat potestas decretorie pronuntiandi de sensu librorum, propositionum, illasqué censura notare? - - ibid:
Q. 6. In condemnandis propositionibus, quem sensum respicit Ecclesia? - - - - 681
Q. 7. Utrum Ecclesia in censura librorum, propositionumqué sit infallibilis? - ibid:

ra sit? 675
Christi. 676
bilis? ibid:
tificum in
ibus? 678
eri debeat
679
tificis, ac-
ptius con-
- 680
torie pro-
um, illas-
- ibid:
nsum re-
- 681
ropositio-
ibid:



PROLEGOMENA THEOLOGIÆ

CAPUT PRIMUM

De natura ac divisione Theologiæ, deque variis veritatum generibus ac errorum gradibus, qui in Theologicis rebus contingere possunt.

ARTICULUS PRIMUS

De Natura ac divisione Theologiæ:

Quæres I. Quid sit Theologìa?

Resp: Theologìa, si rem ipsam spectemus: Est scientia veritatum à Deo revelatarum — Revelàtio Divina, quám in genuinis ac canonicis veteris noviquè Testamenti libris, necnon in Divînis, et Apostolicis traditiónibus contineri certissimum est, compléctitur omnes veritates ad salùtem obtinendam necessarias, sed váriis in locis dispérsas, prout nempê éas Spiritus Sanctus variis Scriptóribus, variisquè occasiónibus et tempóribus dictáre vóluit, et prout etiam SS. Patres Traditiónis custodes, et testes, easdem pro diversis enatis circumstantiis scripto consignarunt — Hæc simul collígere, atquê in ordinem certa methodo redigere non solum utilê, sed et necessarium plane videbatur; undè Theologiæ ortus, ac progressus, necnon necessitas illius apparent — Et si nulli unquam fuissent homines perversi, qui has veritates corrúmperent, breves suffecissent Catechêseon libri; nunc vero, quoniam omnia fermê Religiónis nostræ dogmata fuerint ab Hæreticis vel omnino negata, vel saltem graviter corrupta, hinc apparet necessariam esse Theologíam,

am, qua eadem dogmata non exponantur solum, sed omni argumentorum genere confirmentur, atquè ab Hæreticorum cavillationibus vindicentur.

Quæres 2. Quomodo Theologia dividitur?

Resp: Quoniam veritates revelatæ, aliæ ad solam cognitionem, et fidem spectant; aliæ veró ad actionem, et praxim ordinantur, unde nata est primò divisio Theologiæ in Dogmaticam et Moralem, quarum prima in dogmátibus tradendis, et confirmandis tota occupatur, altera verò in exponendis morum regulis versatur.

Theologia quæ Dogmatica dicitur, etiam Polemica appellatur, quando quasi bello cum Hæreticis suscepto, eorum tela contra Religiónis nostræ dógmata fidei clipeis repellit, atque ejusdem fidei armis, ipsorum erróres confodit — Scholastica etiam audit: quando ex principiis revelâtis conclusiones deducit ad fidei dogmata illustranda — Porrò Theologia Scholastica suà non caret utilitate, quando sobrie ac temperanter tractatur; est autem inutilis, imo quandoquè noxia, cum rationi et curiositati habenæ laxantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De variis veritatum generibus, quas Theologia complectitur.

Quæres 1. Quotuplices sunt veritates, quas Theologia complectitur?

Resp: Duplicis sunt generis, aliæ siquidem ad fidem per se, et directè pertinent, et illæ sunt, quæ expresse ac perspicue, à Deo manifestatæ sunt, cujusmodi sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis et alia; aliæ ad fidem pertinent nonnisi indirectè, quia eas inficiári nemo potest, quin aliquod principale fidei dogma simul inficietur: ut si quis neget Isaacum fuísse Abrahæ filium, et alia quæ in Sacris Litteris narrantur; indirecte enim tunc Sacrárum Litterárum Divinitatem atquè veracitatem everteret — Primas autem veritates tenemur explicitè credere, alias autem sufficit implicitè confiteri, scilicet; sic animo dispositi esse debemus, ut credere parati simus, quodquod Deus in Sacris Litteris revelavit.

Quæres 2. Quotuplicis generis sunt veritates revelatæ?

Resp:

Resp: Duplicis sunt generis veritates revelatæ; Aliæ sunt immediate â Deo revelatæ, quæ scilicet expressè, et in se ipsis manifestatæ sunt e x g: Christum duas habére naturas, humanam nimirum et Divinam: Aliæ sunt revelatæ mediaté tantum, quia videlicet in iis quæ expressè, et in se manifestatæ sunt, continentur, et ex quibûs necessaria ac evidenti consecutione derivantur e x g: in Christo duas esse voluntates, ac operationes divinam nimirum ac humanam; quod necessaria ac evidenti consecutione fluit ex veritate illa immediatè revelata; scilicet, Christum habére duas naturas divinam et humanam. Et istiusmodi veritates, quamquam nonnisi mediatè, et prout in aliis continentur â Deo sint revelatæ, quia tamen cum veritatibus immediatè ac expressé revelatis intimè connectuntur, pariter sicut et illæ ad fidem pertinent, nequê negari possunt, quin fides abnegetur.

Quæres 3tio. Quot modis aliquid in veritatibus immediatè revelatis contineri potest?

Resp: Duobus modis: 1mo. veluti pars in toto: hoc modo revelata dicitur hæc propositio: Petrus peccatum originale contraxit: quia hæc propositio particularis, continetur tanquam pars in hac generali propositione revelata; omnes peccaverunt in Adam. 2do modo, veluti effectus in causa, aut proprietas in essentia — Hoc modo istæ propositiones — Christus habuit liberum arbitrium — Pollebat facultate ridendi; in illa generali propositione expressè revelata, Christus est verus homo, veramquê humanam habuit naturam: continentur, quia nimirum utraq; facúltas, proprietas est humanæ natúræ, quam in Christo perfectam fuisse revelatio nos edocet.

Quæres 4to. An utriusquê generis prænominatæ propositiones ad fidem pertineant?

Resp: Putant aliqui primi duntaxat generis propositiones ad fidem pertinere, quia scilicet in veritatibus revelatis continentur formaliter velúti pars in toto; non autem secundi generis, quia in veritatibus revelatis non continentur nisi virtualiter — Vérum ista distinctio nimis subtilis esse videtur, quarè et secundi generis propositiones ad fidem pertinere dicendæ sunt; attamen ut ad eas certa fide credendas adstringamur, requiritur Ecclesiæ definitio, qua nondum existente, qui tales propositiones negaret, in fide erraret, sed hæreticus dici non

 posset,

posset, hæreticum enim non solus error facit, sed in errore pertinacia — Quare communiter Theólogi distingvunt dogmata quæ ad fidem spectant, ab his quæ certa fide credere oportet — Primi ordinis sunt ea omnia, quæcunque à Deo nobis, sivè immediáte et explicitè, sive mediáte et implicitè revelata sunt; alterius autem ordinis sunt omnia dógmata, quæ Ecclesia infallibili suo judício, atquè auctoritatè credenda propónit.

Quæres 5to. Quotuplicis generis sunt articuli fidei?

Resp: Articuli fidei duplicis generis à Theólogis esse censentur, alii puri, alii mixti — Articuli fidei puri, ex sola Divina revelatione descendunt e x g: fuisse à verbo Divino humanam naturam assumptam— Articuli mixti, colliguntur ex Divina Revelatione et simul ex evidenti aliqua ratione, sic e x g: quoniam ex Divina Revelatione constat in Christo fuisse humanam naturam perfectam, conséquitur etiam in eo fuísse humanam voluntátem, liberum arbítrium, quandoquidem ratio naturalis nos docet, hæc omnia ad hominis essentiam pertinére.

Quæres 6to. Quid de Propositionibus Theológicis sentiendum sit?

Resp: Si de Theología Dogmatica sermo sit, facile liquet, eas omnes aliquo modo ad fidem spectáre — Si autem de Theología Scholastica quæstio instituatur — ea potest dici propositio Theologica, quæ deducitur quidem ex principiis revelatis, sed ratiocinio non omninò certo nec evidenti, vel etiam ex testimoniis Sacrarum Scripturarum, quarum tamen germanus sensus ab Ecclesia nondum determinatus est — Talium propositionum pleni sunt Scholasticorum libri, neque omnes inutiles sunt; multæ enim Dogmatibus Ecclesiæ illustrandis plurimum inserviunt, et Theologíæ Dogmaticæ appendices vocari possunt — Magna tamen Theologo adhibenda est diligentia, ut ea quæ Fidei sunt, ab opinionibus hominum, etiam quam certissimis, secernat.

ARTICULUS TERTIUS

De variis errorum gradibus in Theologia occurrentibus, eorumq; notis ac censuris.

Quæres 1mo. Quot sunt notæ sivè censuræ quibus errores in rebus Theológicis occurrentes perstringuntur?

Resp:

Resp: Post quam Concilium Constantiense variis ac diversis censuris propositiones Wiclefi et Joannis Hus perstrinxit, usus invaluit, in alliis quoquè similibus occasionibus easdem notas distingvendi, imo etiam multiplicandi; quare etsi Concilium Constantiense nonnisi septem notas adhibuerit, aliæ posterioribus temporibus adjectæ sunt — Unde propositio quandoquè notatur ut Hæretica, Hæresi proxima, Hæresim sapiens, suspecta de Hæresi, quandoq; ut erronea, blasphema, impia, scandalosa, temeraria, piorum aurium offensiva, quandoquè etiam ut falsa, malè sonans, contumeliosa, seditiósa — Præcipuas cesura notatas propositiones, hic referemus atquè breviter explicabimus.

Quæres 2do. Quid sit propositio Hæretica?

Resp: Propositio Hæretica est illa, quæ directe opponitur revelationi expressè et immediatè factæ, in Sacris Litteris vel Traditione perspicuè contentæ, atque ab Ecclesia definitæ — Talis est propositio, qua Filius Divinus Patri consubstantialis esse negatur, quæ omnium Judicio, Hæretica est.

Propositio proxima Hæresi est illa, quæ non adversatur quidem revelationi expressè factæ, neque Ecclesiæ definitioni contrariatur, attamen talis est, ut ex illa evidenter Theologico ratiocinio sequatur corruptio alicujus articuli Fidei, sic exg: Hæresi proximum esset, negare Christum habuisse ridendi facultatem, quia licetsi Christum ridendi habuisse facultatem, nequè in Sacris Litteris expressè revelatum inveniatur, nequè ab Ecclesia definitum sit, vérum si id negetur, hoc contrariatur articulo Fidei, quo credimus Christum verum fuisse hominem.

Propositio sapiens Hæresim est illa, quæ licet in se spectata, aliquo sensu tollerari possit, et sine piaculo enunciari, tamen propter circumstantias loci, personæ, temporis, vel denique ex contextu magnam parit suspicionem Hæreseos, et in pravum detorquetur sensum: sic ista propositio, Christus est Patre minor: Catholicè potest quidem intelligi ratione humanitatis, sed ab eo prolata, qui malè de Christi Divinitate sentit, Hæresim Arianam sapit.

Quæres 3tio. Quid sit propositio erronea, temeraria?

Resp: Propositio erronea est illa, quæ communi Patrum et Doctorum sententiæ, illisquè contrariatur veritatibus, quæ licet Fidei non sint, illas tamen universa tenet

Eccle-

Ecclesia — Sic ista à Concilio Constantiensi damnata est propositio ut erronea — Speciales orationes uni personæ applicatæ, non magis prosunt quam generales: quia nimirum communi SS. Patrum, ac omnium fidelium, totiusquê Ecclesiæ sensui adversátur.

Propositio temeraria est illa, quæ in rebus ad Religionem quoquo modo spectantibus, receptis in Ecclesia opinionibus sine ullo aut saltem sine gravi fundamento contrariatur — Quarè temeritatis arguendi sunt illi qui Assumptionem B. V. M- unà cum corpore in cælum negant, aut multas Sacras Historias, vel miracula communiter recepta, sinè grávibus momentis rejicere audent. — Quod malum in dies augetur.

Quæres 4to. Quid sit propositio scandalosa, male sonans, piarum aurium offensiva?

Resp: Propositionem scandalosam ex effectu nominant Theologi, quia scandalum parit, et est infirmis causa ruinæ Spiritualis — Ut si quis incaute diceret, ex votis, jejuniis, plura sequi incommoda, ac mala — Ita etiam qui Sanctorum Patrum expositis, ubi necesse non est, et sæpe exageratis eorum nævis, eorum auctoritatem, et venerationem minuunt, cum tamen æquitas postulet, ut quoad fieri potest eorum errores excusentur, atquè pietatis ipsorum ac doctrinæ gloria, veluti contegántur.

Propositio malè sonans, est illa, quæ quamquam in se vera sit, rejici quandoquè meretur, propter malum sonum, ac perversum sensum, quem prima fronte præsefert, et propterea dicitur malè sonans — Sic ista propositio. — Deus concurrit ad hominum mala opera: quæ quamquam vera in se sit, si intelligatur de malis operibus in se physicé spectatis, absolutè tamen prolata, dicitur malè sonans, quia sensum obvium exhibet malum, et qui facile ad errorem detorqueri potest.

Propositio piarum aurium offensiva est illa, quæ licet in se vera sit, continet tamen aliquid absonum, quibus piorum aures offenduntur — Sic in nonnullis Theologis moralistis multa reprehensa sunt de peccatis obscænis explicata, quia piorum aures offendebant.

DE

DE
LOCIS THEOLOGICIS
CAPUT PRIMUM

De Natura Sacræ Scripturæ, ejus argumento atquè Scopo, dequè ipsius Authore.

ARTICULUS imus.

De Natura Sacræ Scripturæ, ejus argumento, atque ipsius Scopo.

Quæres I. Quibus nominibus Sacra Scriptura, ejusquê Libri sollent denotári ?

Resp: Scriptura Sacra, ejusquè Libri, sæpe appellantur Biblia Sacra — Sacri Códices — Litteræ Sacræ — Sacer textus — Dicitur etiam aliquando Instrumentum pacti, seu fæderis Deum inter & Hominem initi, quo Deus gratias & felicitatem promittit, homines veró ad virtutis exercitium se obligant. Libri Sacræ Scripturæ non raro vocantur Testamentum, hoc est voluntas Deì solemniter manifestata, temporálem & æternam hæreditatem instituens. Volúntas illa Dei, ante Christum hominibus manifestàta, dicitur Vetus Testamentum, & post Christum promulgata, Novum Testamèntum vocitatur. Appellantur insuper Canonici Libri, quia per Canones & definitiónes Ecclesiæ continentur in Canone seu Cathalogo Saero, quo Libri Sacri secernuntur à Prophanis.

Sacra Scriptura appellatur tandém simpliciter Scriptura, quia verbum Dei litteris consignatum in se continet, dicitur veró Sacra. 1mo: Ratione principii, quia à Deó profluit. 2do: Ratione eorum quæ cóntinet, Mysteria scilicèt & ea, quæ sanctificandis hominibus inserviunt. 3tio: Ratione finis, quia ad Dei honorem & hominum salùtem ordinatur.

Quæ-

Quæres 2. Quæ sunt præcipuæ Sacrorum Librorum dotes?

Resp: Tres sunt præcipuæ Sacrorum Librorum dotes, scilicet, sanctitas, jucunditas, atquè utilitas. Et quidem 1mo: Libri Sacri sunt cæteris sanctiores, ac venerabiliores, ob dignitatem Mysteriorum, quæ in iis revelántur; nullibi enim tam sublimia reperiuntur; ob antiquitatem scriptionis, Moyses enim omnium qui supersunt Scriptorum est antiquissimus; tandem ob certitudinem factorum, maxima enim certitudine gaudent ea omnia, quæ in illis exarata sunt, quia Divina nittuntur authoritâte. 2. Sunt cæteris Libris jucundiores, ratione Historiarum quæ præclarissimæ sunt; ratione oraculorum, quorum quam plurima nitida, ac perspicua sunt; ultimò ratione exemplorum, congruentia namquè sunt ad omnia vitia fugiénda, et ad colendas virtutes. 3. Denique Libri Sacri sunt cæteris utiliores, quamvis enim non fuerint simpliciter necessarii, cum Deus aliis médiis subvenire potuerit hominum institutioni, et revera Religio sine illis Libris ante Moysen diu steterit, attamen Libri isti Sacri, sunt utilissimi ad conservandam Historiæ Sacræ memoriam, ad Mysteria Sacra celebranda, ad docéndos et convincéndos Infidéles, ad arguendos Hæreticos, ad corripiendos peccatores, ad erudiendos indoctós, tandem ad corda hominum illuminanda, convertenda, sananda, inflamanda, et corroboranda.

Quæres 3. Quomodo Sacra Scriptura definitur?

Resp: Sacram Scripturam breviter definit S. Chrysostomus Homil: 2. in Genesim cum dicit: esse Litteras et Epistolas Deô dictante exaratas, et ad Homines missas — Communiter nunc definitur: Verbum Dei Spiritu Sancto specialiter afflante ab homine conscriptum. Ita S. Paulus in Epistola 1. ad Thess: Cap: 2. Scripturam Sacram definierat scribens: Gratias agimus Deô, quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei. Dicitur 1. Verbum, seu Sermo Dei, quia Deum habet Authorem; Spiritu Sancto specialiter afflante, quia ut ait S. Petrus Epist: 2. cap: 1mo Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Dicitur 2. ab homine conscriptum, tum quia excepto Decalogo, nihil habemus digito Dei sine hominum ministerio exaratum, tum ut distingvatur verbum Dei scriptum

ptum quod continetur in Scriptura, à verbo Dei tradito, quod continetur in Traditionibus.

Quæres 4. Quod est Scripturæ Sacræ Argumentum?

Resp: Scripturæ Sacræ Argumentum, si Litteram ipsius spectemus, est Historia mundi conditi, rerumque à mundo condito gestarum gerendarumque non tantum usque ad consummationem sæculi, sed et in futuro sæculo. Ab ipso namque Scripturarum exordio, describitur creatio Cæli et Terræ, lapsus hominis in peccatum, cui mox semen benedictum Christus promittitur. Post peccatum sequitur omnis carnis corruptio, ob quam Deus universum genûs humanum diluvio perdidit, Noe tantum cum familia servato. Inde enarratur propagatio generis humani per filios Noe, nascitur Abraham, Jsaac & Jacob, quibus Deus appertius cæpit promittere semen in quo benedicendæ eſsent omnes Gentes. Jacob cum familia descendit in Egiptum, ubi ante mortem Filiis suis benedicens prædixit Salvatorem nasciturum de Tribu Filii sui Juda. Posteri Jacob, duriſsima servitute in AEgipto oppressi, tandem Duce Moyse per signa et prodigia liberantur, & lege à Deo in monte Sinai accepta, consummatisque quadraginta annis perægrinationis suæ in deserto, terram promissionis ingrediuntur. Describitur deindè status populi Israelitici sub Ducibus & Regibus usque ad captivitatem Babylonicam. Sub Regibus vixerunt Prophetæ qui apertissime Salvatorem, & omnia quæ pro salute humani generis facturus, docturus, ac passurus erat, ejusquè Ecclesiam apertissimè prænuntiarunt.

Post reditum populi Israelitici ex Babylonica captivitate, quæ deinceps sub Ducibus & Sacerdotibus contigerunt usque ad Christum Salvatorem describuntur. Sequitur deindè Testamentum novum, ubi Christus ejusque Ecclesia exhibetur, primo quidem in quatuor Evangeliorum Libris, deinde vero in Actibus Apostolorum, atque Epistolis quas nonnulli ex Apostolis conscripserunt. Ecclesiæ tandem Christi decursum, & rerum in illa gerendarum seriem, usquè ad consummationem Sæculi habemus in Apocalypsi Joannis, ubi etiam describuntur ea, quæ in venturo Sæculo, perficientur. Et hoc est totius Sacræ Scripturæ Argumentum.

Quæres 5. Quis sit finis, seu Scopus Sacræ Scripturæ?

Resp. Scripturæ Sacræ finis, atque Scopus est iste, hominem ad ignorantiæ, & infirmitatis suæ agnitionem adduce-

ducere, ut iis agnitis ad Christum Salvatorem confugiat; imploratque gratiam, quà, victà ignorantiá & cupiditatê, per charitatem præcepta adimpleat, & vitam consequatur æternam. Hunc Scopum insinuat Apostolus dum ait; Finis legis Christus, ad justitiam omni credenti. Rom. cap. 10. Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1. ad Timoth. cap. 1. Omnis Scriptura utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit Homo Dei ad omne opus bonum instructus. 2. ad Timoth. 3tio. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem Scripturarum, spem habeamus. Rom. 15. In istum scopum collimare totam Scripturam, facile deprehendet, quisquis universam illius faciem diligentius intuebitur. Is enim non tantum ante legem, plus quam per duo annorum millia, sed & tempore legis tum veteris tum novæ, descriptas ubique in Scriptura inveniet Gentes, quæ, ut loquitur Apostolus, ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cœcitatem cordis ipsorum. Eph. 4. Quis autem finis Spiritus Sancti, dum etiam nobis Gentilium ignorantiam exhibet, nisi, ut inde discamus, in quantas tenebras homo per peccatum præcipitatus sit, agnitàquè cœcitatê nostrâ, aspiremus ad Salvatorem; qui gratia sua illuminet eos qui in tenebris, & umbra mortis sedent ad dirigendos pedes illorum in viam pacis. Deinde in Scriptura inveniet descriptos Judæos, qui etsi jam per Legem instructi essent, in intellectu illuminati, adeo tamen adhuc infirmi erant in voluntate, ut non tantum legem non impleverint, sed occasionè etiam legis, magis peccatores èffecti sunt ipsumque tandem Salvatorem, qui gratiam ipsis ad legem implendam daturus venerat, crucifixerunt. Quorsum ergo iterum tantam Judeorum prolapsionem exhibet nobis Scriptura, nisi ut admoneat nos infirmitatis nostræ, doceatque confugiendum esse ad Salvatorem, qui non tantum tenebras nostras illuminet, ad legem cognoscendam, sed & voluntatem, ad eam implendam caritate inflammet. Cætera item omnia, quæ in Sacris Litteris continentur, quo tendunt, nisi ut per ea doceamur, arguamur, corripiamur, erudiamur in justitia, ut perfectus sit homo, ad omne opus

bonum

bonum instructus, ut charitatem, quæ finis præcepti est, adipiscamur; ut spem habeamus, ac tandem vitam æternam consequamur.

ARTICULUS 2dus.

De Authore Sacræ Scripturæ.

Quæres 1. Quis sit Author Sacræ Scripturæ?

Resp. Deus ipse est Author Sacræ Scripturæ, quia verbum Dei sunt, ipsius Epistolæ sunt, ut loquuntur Sancti Patres, Chrisostomus, Augustinus, atque Gregorius Magnus: ab illo dictatæ, compositæ, earum Scriptores fuisse velut calamos, quibus Spiritus S. tanquam primarius Author, usus est. Deinde quæcunque in Sacra Scriptura continentur, aut à Deo Sacris Scriptoribus revelata, aut inspirata sunt. Est ergo eorum omnium ac proinde totius Scripturæ Sacræ Author.

Quæres 2. Quotuplici modo possit Deus censeri Author Sacræ Scripturæ?

Resp: Triplici modo, revelationè, inspirationè & assistentià.

Revelatio: est rei antea ignotæ divinitus facta manifestatio, aut nova menti exhibitio, quasi antea fuisset ignota. Deus itaque est Sacræ Scripturæ Author revelatione, si omnia quæ in illa continentur Scriptoribus haud prorsus incognita manifestavit, aut de novo illa, quasi antea ignota menti illorum exhibuit.

Inspiratio, est incitatio, qua Deus Scriptorem movet ad scribendum ea, quæ jam aliunde noverat, & ad delectum eorum quæ vult ut ab eo scribantur, impellit; Hoc autem fieri poterat, vel suggerendo res solas verbis adplacitum Scriptoris sellectis exprimendas, vel etiam ipsa Verba omnino proponendo ac dictando. Quoçunquè modo se habuerit Deus erga Sacros Scriptores, sive res solas scribendas ipsis suggerendo, sive & verba dictando, Deus erit Auctor Sacræ Scripturæ inspiratione.

Assistentia, est specialis directio, seu singulare Divini Spiritus auxilium, quo fit ut Scriptor Sacer nihil unquam falsi scribere possit.

Quæres 3. Quotuplicis generis sunt illa, quæ in Sacris Scripturis continentur?

Resp. Triplicis generis nimirum, res, verba, & Stylus. Res seu sententiæ verbis expressæ, sunt autem

vel

vel dogmata, quæ fidem & mores spectant, vel præteritorum temporum historiæ, vel prædictiones futurorum, vel leges, ac præcepta. Verba sunt ipsæ voces, quibus Sacri textus mens ac sensus exprimitur. Stylus denique est verborum ordo, series, structura & conformatio.

Quæres 4. Qua igitur ratione Deus est Author Sacræ Scripturæ?

Resp. 1. Quæ prius Sacris Scriptoribus ignota erant, hæc per revelationem, seu novam ostensionem, ipsis à Deo manifestata sunt, alias hæc ab illis non potuissent Litteris commendari: talia sunt Religionis Mysteria, Leges & Mandata Divina, Propheticæ prædictiones; sed & quædam sunt historiæ, quibus conscribendis revelatio seu nova manifestatio videtur fuisse necessaria v. g. creationis mundi, & eorum quæ gesta sunt ab antiquis Patriarchis. Quamvis enim & traditione, & primorum hominum longevitate plura ad Moysen pervenerint, tamen difficile est, ut omnia quæ scripsit, nosse potuerit, nisi Deo Authore didicisset.

Quæ vero Sacri Authores jam noverant, sive propria experientia, ac studio, sive aliorum certa relatione, aut ex lumine naturali, ea scripta sunt ab eis sine nova revelatione, quæ in hoc casù fuisset inutilis. Certè quod Sacri Authores sua interdum scientia usi sint, patet exemplo S. Lucæ qui cap. I. sui Evangelii, asserit se ea scribere, quæ assecutus est â fide dignis Authoribus. Unde S. Hieronymus Libr. de Scriptor. Eccles. cap. 17. de illo ait: Evangelium sicut audierat scripsit, Acta verò Apostolorum, sicut viderat ipse composuit. Qua propter ad singula, quæ in Sacris Scripturis reperiuntur, non est admittenda pecculiaris Dei revelatio, quia, ut commune fert adagium, sicuti Deus non deficit in necessariis, ita non redundat in superfluis. Porro supervacanea videtur specialis revelatio eorum, quæ Scriptores Sacri propriis inspexerunt oculis, ut Moyses Egyptiorum plagas, S. Joannes Apostolus Christum pendentem in Cruce, unde idem S. Evangelista Epist. I. cap. I. viam, qua scribenda noverat indicans, non revelationem, sed aliud omnino assignat, proprium scilicet visum, auditum, atque contactum Quod fuit ab initio, inquit, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectaverunt testamur & annuntiamus vobis.

Resp.

Resp. 2. Ut Deus censeatur esse Author Sacrarum Scripturarum non sufficit specialis Spiritus Sancti assistentia. Quia hujusmodi assistentia sufficit quidem ad scripti veritatem, non vero ut Scriptura aliqua dicatur, ac vere sit verbum Dei; quia scilicet assistentia illa in Scripta ipsa nihil influit, alias & ipsi Ecclesiæ Canones essent Scriptura Divina, in eis siquidem condendis non deest specialis Spiritus Sancti assistentia.

Resp. 3. Admittenda est itaquè vera, & proprie dicta inspiratio, ut Deus Sacrarum Scripturarum Author censeatur esse, ac reipsa sit. Id ex ipsis Sacris Scripturis manifestissime evincitur Epist. 2. Petri cap. 1. dicitur: Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt Sancti Dei Homines, & ad Timoth. 2da cap. 3. Omnis Scriptura Divinitus inspirata utilis est ad docendum. Porrò si omnem Prophetiam quæ continetur in Sacra Scriptura, Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Prophetæ, recte colligitur, quod & cætera etiam omnia, quæ in Scriptura continentur, Spiritu Sancto inspirati locuti sunt alii Scriptores Sacri, cum non de Prophetiis solum, sed de omni Scriptura dicat Paulus, illam divinitus inspiratam esse. Id quoquê constat ex perpetua SS. Patrum traditione, qui unanimiter docent, Scriptores Sacros ad scribendum fuisse à Spiritu Sancto motos, impulsos, excitatos, inspiratos. Hæc autem inspiratio extendi debet, non tantum ad ea, quæ ad fidem, & mores informandos pertinent, sed etiam ad singula, quæ in Scripturis continentur. Si enim vel minimum esset, de quo dubitari possit, an Spiritu Sancto inspirante fuerit scriptum, nullum foret Scripturæ caput, de quo idem dubium esse non posset, sicque tota Scripturarum vacillaret Authoritas, sicque & fides nostra titubaret. Falsi suspicio in nonnullis, in ea quæ vera sunt, præjudicium esset, atque indè increduli ansam sumerent de illis etiam factis dubitandi, quibus tota nostra Religio innititur. Quis enim secernet, àn factum aliquod sit cum Religione conjunctum, necne? Quis definiet an res aliqua Religionem spectet, an Philosophiam solum, leges morum Christianas, an politicam scientiam & gubernationem? Itaque valde periculosum foret supponi, posse errores in Scripturis, cujuscunque tandem generis sint, reperiri, ita ut non omnia quæ continent, à Deo sint inspirata. Nullum ergo ne levissi-

mum

mum quidem errorem, aut memoriæ lapsum in Scripturis Sacris admitti posse exploratissimum est.

Resp. 4. Omnia & singula verba, quibus exprimuntur Mysteria, Prophetiæ, aliaque similia, quæ superant captum hominis, fuerunt à Spiritu Sancto inspirata & dictata. Quia ad exponenda ea, quæ nimium ab humanis sensibus remota sunt, naturalis loquendi facultas sufficere non videtur. In rebus vero facilioribus, quæ rationi & sensibus perviæ sunt, dici potest verborum delectum, eorumque structuram seu stylum, unius cujusque Scriptoris Sacri ingenio, ac indoli permissum fuisse, itâ tamen, ut Deus non permiserit illos in verborum delectu labi, sed ipsos in illis deligendis semper direxerit.

Verosimilius itaque est ad omnia, ac singula Sacræ Scripturæ verba, illorumque Stylum, specialem ac immediatam Spiritus Sancti inspirationem non adfuisse, sed id magna ex parte, ingenio atque indoli Scriptoris Sacri permissum fuisse. Ad authoritatem siquidem Sacræ Scripturæ sufficit, quod veritates & sententiæ in illa contentæ, non semper habita ratione Verborum, ac Styli, à Deo inspiratæ sunt. Et certe id ità se habere ipsæ evincunt Scripturæ. Nempe sicut veritatis unitas, quæ reperitur in Sacrorum Librorum sententiis, unum arguit Authorem, nempe Spiritum Sanctum, sic & Styli, verborumque diversitas, diversitatem Authorum respectu Styli verborumquè delectum, indicat, atque ostendit. Merito itaque scripsit Hieronymus: Par quidem in omnibus scientia, quia idem in eis Spiritus loquebatur, at non idem ubique Stylus, & eadem dicendi ratio. Discrimen illud Spiritui Sancto non potest tribui, sed Scriptoribus, quibus velut Organis usus est. Hinc Amos pastor ovium humili sermone usus est, contra, Isaias, vir nobilis & eloquens, in suo sermone disertus est, non habens quidquam rusticitatis admixtum. Ezechielis vero, qui de genere Sacerdotali erat, oratio, nec satis diserta est, nec admodum rustica. Pariter inter Scriptores novi Testamenti, S. Lucas, quia græce peritus erat, elegantius scribit quam Sancti Marcus & Joannes— Unde S. Augustinus Libro de Consensu Evangelistarum cap. 21. de iisdem scripsit: Spiritus Sanctus Evangelistarum mentem gubernans, alium sic, alium sic narrationem suam ordinare permisit. Imo etiam idem Sacer Scriptor, & easdem res iterato narrans, aliis atque aliis verbis, alioquè ordine nonnunquam eas describit, ut

Moy-

Moyses Exodi cap. 20. & Deuteronomii 5. alio verborum delectu Decalogum refert. Author vero Libri 2. Machabeorum cap. 1. asserit se opus illud multo labore confecisse, Capite autem ultimo dubitans num eventus votis responderit, sic opus concludit: Et siquidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse vellim, sin autem minus digne, concedendum est mihi. Labor autem iste Sacri Scriptoris ordinandi sermonis, studium, curamque ipsius designat, & quod veniam petat, non falsitatis aut alicujus erroris indicium est, sed minus accurati tantum ipsius sermonis argumentum præbet. — Utrumque vero non in Spiritus Sancti injuriam redundat, sed Scriptoris Sacri indoli atque ingenio tribuenda sunt.

CAPUT SECUNDUM

De Authoritate Sacræ Scripturæ.

Authoritas hic sumitur pro exigentia fidei, significatque pondus sermonis alicujus, propter quod assensum præbemus iis quæ proponuntur.

Ut sua stet Scripturæ Sacræ Authoritas, atque ideò firmissimum assensum præbeamus iis omnibus quæ in Sacris Libris continentur, quatuor accuratè præstanda sunt: 1. Ostendendum est libros illos ex quibus Sacra coalescit Scriptura esse genuinos non supposititios. 2. esse integros non corruptos. 3. in omnibus veraces. 4. tandem illos Divinos esse.

ARTICULUS 1mus

De genuitate Librorum Sacræ Scripturæ.

Quæres 1. Quando Liber censeri debet genuinus?

Resp. Liber aliquis tunc censeri debet esse genuinus, quando convenit personæ, loco & tempori, quibus attribuitur, quare Liber supposititius est, qui dolosè ab aliquo confictus est sub illius nomine, quo nunc consignatur, & longe tardius quam conscriptus putatur, divulgatus fuit.

Quæres 2. Libri Sacræ Scripturæ, quos habemus, an sint genuini?

Resp.

Resp. Libri Sacræ Scripturæ, quos habemus genuini sunt, & non suppositilii. Id evincitur, fide humana. Jlli siquidem Libri vere genuini & non conficti debent æstimari, qui unanimi consensu ab omnibus proxime & deinceps continuata serie sequentibus ætatibus, usque ad nos constanter pro genuinis habiti sunt, sine ulla contradictione semper iis attribuebantur Authoribus, quorum nomina præseferunt, eodemque tempore censebantur conscripti, quod indicant, alias omnis historiæ & traditionis humanæ fides everteretur. Porro ita se habere Sacræ Scripturæ libros certissimum ac exploratissimum est. Et quidem quod attinet libros Veteris Testamenti. Ab omni ævo, maxime vero, ex quo formam regiminis acceperunt Israelitæ, Libri Veteris Testament unanimi consensu crediti sunt ab omnibus Israelitis, tanquam genuini, idque etiam post divisionem Tribuum temporibus Jeroboam factam. Judæi qui Moysis ætate vixerant, Pentateuchum ab eo acceptum suis posteris tradiderunt, tanquam illius opus. Qui Prophetis coætanei fuerunt, eorum libros, tanquam ab illis scriptos natis suis ac popularibus commendarunt, à quibus summa cúra fuerunt servati. Deinde statim à primordiis Christiane Religionis cum Apostoli cælesti gratia perfusi, ac roborati novæ legis mysteria Judæis primum, deinde universo Orbi promulgarent, multaque ex Libris veteris Testamenti adducebant, atque laudabant, iidem Libri tanquam genuini crediti sunt ab omnibus Judæis atque Christianis. Idem dicendum est de Libris novi Testamenti. Ab omnibus certe Christianis ad nostra usque tempora pro genuinis semper habiti sunt. Tertulianus in Libro de Præscriptionibus testatur suâ adhuc ætate aliquot Sacrorum Librorum archetypa extitiſse, quæ in Ecclesijs servabantur ad quas fuerant directi. Julianus quoque Imperator apud S. Cyrillum Libro 10. apertè fatetur Petri, Pauli, Mathæi, Marci, Lucæ eſse ea, quæ Christiani legunt eorundem nominibus inscripta, genuini ergo sunt. Et vero omnes Sacri Libri veteris & novi Testamenti sibi mutuo testimonium redunt. A veteri Testamento novum prænuntiatur, & in novo conspicitur eorum eventûs, quæ per Prophetas prædicta sunt. A Moyse, & Prophetis, Jesus Salvator annunciatus fuit, ipse autem Libros eorum laudavit. Idem præstiterunt Apostoli, & alij Christi Discipuli. Mutuum autem illud utriusque fæderis testimonium maximi momenti est, ut Scripturarum genuitas, ac veritas astruatur.

tur. Certè non magis, imò minus dubitari potest genuinos eſse Libros, quos tota Gens Jsráëlitarum & omnes Christianorum populi sine opinionum diversitate crediderunt eſse genuinos, quam dubitari potest de genuitate, atque sinceritate Librorum, Jlliades ab Homero, AEneidos à Virgilio, Orationum Tulii, a Cicerone conscriptarum. Porro merito irrideretur, qui Libros istiusmodi Authoribûs quibus tribuuntur abjudicare vellet, risu pariter excipiendus est, qui Libros veteris aut novi Testamenti abnegare vellet, iis Authoribus Sacris a quibus tota antiquitas conscriptos illos fuiſse semper tenuit, ac credidit. Quemadmodum itaque certiſsimum atque indubitatum est, leges à Numa Pompilio Romanis, a Solone Atheniensibus, â Lycurgo Lacedemoniis fuiſse traditas, ita pariter certiſsimum ac indubitatum sit oportet, leges in Pentateucho pro Isráëlitis a Moyse fuiſse conscriptas & in Evangelio pro Christianis â Jesu Christo constitutas.

Præterea idem eſse debet judicium de cæteris Sacræ Scripturæ Libris ac de Pentateucho, sive quinque Libris Moysis qui sunt fundamentum cæterorum omnium veteris Testamenti Librorum, ac quasi summarium totius Religionis Judaicæ: & de Evangelio, secundum quatuor Evangelistas, quod est basis omnium aliorum novi Testamenti Librorum; cæteri namque posteriores Libri sunt tantum appendices priorum. Porro duo hæc volumina, Pentateuchum scilicet & Evangelium genuina sunt. 1. Quidem Moyses certè fuit Author Pentateuchi, totamque legem, atque res historicas Gentis Judaicæ ab ipso fuiſse scriptam, infinitis Scripturarum testimoniis comprobatur. Authores omnes Judæi, Samaritani & inter Christianos Catholici & Hæretici id appertè confitentur omnes, sed & prophana historia in hujus rei confirmationem accedit, quotquot enim prophani Authores Gentis Judaicæ mentionem fecerunt, Moysem tanquam primum ejusdem nationis legislatorem & historicum eſse pro certò habuerant; quod argumentum immensa prorsus eruditione Daniel Huetius, in Demonstratione Evangelica illustravit. 2do: Id ipsum constat de Libris Sacrosancti Evangelij: innumeri siquidem sunt scriptores coætanei, ac posteriores continua serie usque ad nos descendentes qui eos testantur scriptos fuiſse, ab Authoribus quorum præseferunt nomina. Sic S. Clemens Romanus Petri discipulus, in sua Epistola ad Corinthios, Ignatius Martyr, qui tertius post Petrum Antiochenus fuit Episcopus, Polycarpus Joannis

Evangelistæ discipulus, Papias, Polycarpi Sodalis, Justinus Martyr, Athenagoras, Irænens, cæterique quam plurimi.

Tandem Libri Sacri sivè veteris, sivè novi Testamenti sunt genuini, quia non sunt conficti nec suppositii. Quis enim illos confingere & supponere potuit. Non Ethnici; hi enim aut ignorabant historiam & mysteria Israëlitarum, Christianorumque, aut saltem illa non probabant, sed aspernabantur. Non Judæi; nam Libri veteris Testamenti, referunt scelera eorum immanissima, objurgationes Dei nomine factas amarissimas, & castigationes à Deo ipsis inflictas adeo acerbas. Porro quis credat integram gentem adeo desipuisse ut in confictionem eorum omnium conspirarent. Libros denique Sacros confingere non poterant Christiani. Non Libros veteris Testamenti, illi enim longe ante Christum extiterunt. Non Libros novi Testamenti, obstitissent enim Judæi, atque Gentiles, mendacij eos accusassent, & illorum accusatio ad nos usque pervenisset. Atqui tamen nemo unquam extitit, qui historiam aut veteris, aut novi Testamenti in dubium vocaverit, illam oppugnaverit, falsitatis redarguerit; Libri ergo in quibus illa continetur non sunt conficti nec suppositii, sed omnino genuini.

Obiicies. Attribuebantur etiam Libri Andreæ, Thomæ & aliis Apostolis, qui tamen non erant genuini sed conficti & supposititii. 2. Item Sybillis multa de Christo & Religione Christiana vaticinantibus, cum tamen Libri illi spurij sunt. 3. Plures Librorum Sacrorum Authores ignorantur, uti Libri Ruth, Job, Tobiæ, imo dubitatur de tempore, quo scripti fuerunt, quomodo ergo genuini esse possunt.

Resp: ad 1mum. Discrimen magnum est. Libri siquidem Andreæ, Thomæ, aliisque attributi, constanter à Catholicis rejecti sunt ut spurij, & statim eorum fictio, atque suppositio detecta fuit, & modo etiam facile deprehendi potest. Siquidem & à nullo è vetustioribus Scriptoribus laudati sunt, inanibus fabulis referti sunt, doctrina, sententiæ, atque etiam verba, quæ in illis reperiuntur, omnino discrepant à genuinis Apostolorum Scriptis: de his sic loquitur Eusebius Lib: 3. Hist: Eccles: cap: 27. Hos libros nullus, qui continuam ab Apostolis successionem in Ecclesia docuit, in Scriptis suis commemorare dignatus est, sed & ipsum scribendi genus, ab Apostolica simplicitate discre-

discrepat, sensus quoque ipse, & quæ ibidem traditur fides, cum à vera & Catholica doctrina plurimum abhoreat, hæc hæreticorum Hominum figmenta manifeste coarguit. Quemadmodum igitur libri illi spurij, ac supposititij esse detecti sunt, ita Libri Sacri genuini esse dignoscuntur, ac comprobantur.

Ad 2dum: De Libris Sybillinis prout nunc extant aliqui existimant, omnino supposititios esse, alii illos saltem textus qui passim apud SS. Patres leguntur, genuinos esse arbitrantur; cæteros aut reijcientes, aut saltem inter dubios reliquentes. Sed quidquid sit, nec hi, cum Sacris Libris comparari possunt, Libri enim Sybillini perierunt in incendio Capitolii Romæ, centum circiter annis ante Christum, non mirum, si postea adulterati & fabricati prodierunt: at Libri Sacri perpetua ac constanti traditione incorrupti ad nos usque pervenerant. Tandem Libri Sybillini non erant magni momenti, non omnium manibus terrebantur, non enim erant fundamenta, & fontes totius Religionis sicut Sacri Libri veteris ac novi Testamenti, proterant corrumpi, deperdi, adulterari.

Ad 3tium: Ignorantia hæc non evincit suppositionem Libri. Etiam Authorem Libri de bello Cæzaris Alexandrino ignoramus, illum tamen ad confictos atque supposititios non amandamus, sicut & alios profanos, dummodo constet Authorem, quisquis ille sit, vera scripsisse, atque eodem circiter tempore vixisse, ad quod referri potest liber ille conscriptus. Cum igitur ij qui scripserant Libros Sacros, ad idem tempus referri debeant, quorum gesta, factaque describunt, & certè vera scripserint, quod ex eo constat, quia consentiunt cum aliis nobis bene notis Authoribus, qui de ijsdem rebus scripserunt, & genuini ab initio, ex quo in publicam lucem prodierant, ab omnibus unanimiter ad nostra usque tempora, reputati sunt, nulla itaque illis potest suppositionis nota inuri.

Dices: Plures Hæretici repudiarunt quosdam Libros Sacros exg: Manichei vetûs Testamentum rejiciebant, Marcionistæ solum Evangelium secundum Lucam recipiebant. Certum quoque est non multo post Apostolorum Aevum, plurimas exortas esse de Sacris Libris controversias: quomodo ergo constans traditio pro genuitate illorum laudari potest.

Resp: Hæ ipsæ controversiæ de Librorum Sacrorum Authenticitate olim exortæ, clare indicant, non clausis ocu-

lis, sed re quam diligentissime discussa, fuisse Sacros Libros â spuriis secretos, & tanquam genuinos agnitos; qua quidem in re antiqui Patres traditionem maximopere attenderant. Qui ex Hæreticis aliquos Sacræ Scripturæ Libros rejiciebant paucissimi erant, tota in oppositum stante turba Catholicorum, & alia plerumque nulla eos Libros repudiandi illis aderat causa, nisi hæc unica, quia eorum erroribus opponebantur.

ARTICULUS 2dus.

De integritate Librorum Sacræ Scripturæ.

Quæres 1. Quid sit Sacrorum Librorum integritas, & quid illi opponitur?

Resp: Liber censetur esse integer, si talis sit nunc, qualis è manibus sui prodiit Authoris; ac proinde si omnia, & eo modo descripta dispositaquè contineat, quæ & quomodo ab Authore in illo exarata sunt. Integritati Libri opponitur illius corruptio, depravatio, quæ fit, si aliqua ex Libro expungantur, mutentur, transponantur, in alium sensum transmutentur, nova addantur. Hæc autem Libri corruptio, sive depravatio, potest esse vel in substantialibus, si contingat in iis quæ substantiam Libri constituunt, materiam illius principalem afficiunt; vel in accidentibus, si fiat in iis tantum, quæ ad substantiam Libri minimè spectant, sola ejus adjacentia afficiunt, sine quibus liber stare & esse potest.

Quare Libri Sacri integri censeri debent ac minimè corrupti, neque depravati, si in illis nihil sit immutatum, expunctum, adjectum, transpositum. Cum vero Sacrorum Librorum substantia consistat in Historia, rebusque gestis, legibus, præceptis, Mysteriis, Prophetiis, cum hæc omnia salva atque intacta permaneant, substantialiter sunt integri, nulla in illis substantialis corruptio, aut depravatio suspicari potest. Quodsi quædam in illis adjecta, aut immutata sunt, quæ eorum substantiam non tangunt, menda erunt accidentalia.

Quæres 2. An Libri Sacræ Scripturæ sint integri ac incorrupti?

Resp: Libri Sacræ Scripturæ tum veteris, tum novi Testamenti sunt substantialiter integri ac incorrupti. Si enim Libri Sacri non essent integri, sed corrupti, hæc corruptio vel facta fuisset à Judæis vel à Christianis.

Porro

Porro neutrum dici potest. Et 1mo quidem Judæi Libros veteris Testamenti non corruperant, quia Christus et Apostoli nunquam ipsis hanc perfidiam objiciunt, immo Christus ad Scripturas veteris Testamenti scrutandas remittit Judæos. Et si Judæi Scripturas veteris Testamenti ex industriâ corrupiſsent, id feciſsent sine dubio in vaticiniis de Christo, & in iis locis atque textibus, ubi de præcipuis Christianæ Religionis Mysteriis agitur. Id autem non fecerunt, quia integra adhuc hæc manent vaticinia, & quæ inter Hebræos & Græcos, aut Latinos Codices discrepantia intercedit, levis est, & sæpius Christianis lectio Hebraica magis favet. Certe Libri publici, continentes totam Religionem, nobilitatis titulos, Gentis & privatorum originem, Leges ac Cæremonias, non poterant vitiari, nec corrumpi, nequè à privato quopiam, neque à tota ſocietate, cûm populus Judæorum ſemper tenaciſsimus, fuerat ac ſcrupulosiſsimus, ad ultimum usque apicem Sacra Volumina integerrime conservando, ut testantur Josephus & Philo Judæi. 2do: Christiani etiam non poterant corrumpere Lbros veteris Testamenti, alias Judæi vehementiſsime obstitiſsent, & aliquod de eo scriptum supereſset, nihil tamen horum superest.

2do: Quod vero attinet Libros novi Testamenti & hos a depravatione immunes eſse certiſsimè constat. Quando enim Libri isti depravati fuiſsent? Non stante adhuc vita Apostolorum, aut brevi post illorum mortem, quia statim reclamaſsent ipsi Apostoli, ac cæteri Fideles, Judæi verò & Pagani, istam corruptionem exprobraſsent, restitiſsent etiàm Hæretici, quorum jàm tunc exstabant plurimæ Sectæ. Veteres etiàm Christiani accuratiſsimi fuerunt in describendis Sacris Libris, ut testatur Eusebius Hist: Eccles: Lib: 5. cap: 15. verba Irænei adducens. Viventibus etiam Apostolis multa jàm Sacrorum Librorum extabant exemplaria per Europam, Asiam, AEgyptum, ubi vigebat Sermo Græcus, per alias verò Regiones ſparsa sunt in varias lingvas converſa, quæ simul vitiari & corrumpi nullatenus poterant, vitiata verò facile potuiſsent ex ipsis Archetypis corrigi, atqué emendari, quæ Tertuliani temporibus adhuc exstabant

Non poterant quoque Libri novi Testamenti corrumpi aliquot post Apostolorum mortem sæculis, quia Libri novi Testamenti, quos modò habemus ijdemque prorsus sunt cum illis quos antiqui Patres legerant, ut patet ex eorum scriptis, in quibus eædem sententiæ, &

voces ipsæ laudantur, quæ nunc in nostris Codicibus leguntur, nec pauca solum aliquâ, aut quæ levis sunt momenti, sed graviora & ferè omnia. Præterea quantò plures ab Apostolis anni elapsi sunt, tantò plura conscripta sunt exemplaria quæ vitiari omnia non potuerant, singula autem singulis apprime convenire semper reperta sunt, tantò quoquè plures extiterunt Fideles, immò & Hæretici diversi, qui nunquam simul cum Catholicis in id facinus potuissent conspirare, ut Sacros Libros vitiare, ac corrumpere vellent.

Objicies 1. Tot sæcula decurrerunt, Scripturæ Libri in tot lingvas translati sunt, & à viris tàm diversa sentientibus, Judæis, Paganis, ac pugnantium Sectarum Christianis tractati, moraliter igitur impossibile est, Amanuensium inscitia aut malitia non fuisse corruptos. 2. Multa nunc in Scripturis desiderantur, quæ antiqui Patres in illis legerant, & quædam nunc extant in Scripturæ libris, quœ olim in eis non legebantur. Sic S. Clemens Romanus in Epist: ad Corinth: ut Christi laudat verba sequentia. Si fueritis mecum collecti in Sinu meo, & non feceritis Præcepta mea abijciam vos: & istaquæ refert Clemens Alexandrinus Libr: 3. Stromatum. Veni ad dissolvendum opera feminæ: & illa quæ laudat Libr: 1. Efficiamini boni trapesitæ, alia quidem reprobantes, quod autem bonum est tenentes. Et hæc modò in Sacris Scripturis non reperiuntur. Jam verò duodecim postremi versus Evangelij S. Marci, in quibus narratur Jesu Christi Resurrectio, & in Cælum Ascensio. In Epis: S. Joannis cap: 5. versiculus ille. Tres sunt qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus S. desunt in Codicibus Græcis, sicut nec legitur in ipsius Evangelio historia mulieris adulteræ. Quæ tamen modò in Sacris Libris reperiuntur. Ergo frustra contendimus Libros Sacræ Scripturæ nunc integros esse.

Resp: ad 1mum. Ex ijsdem rationibus evincitur corruptionem Sacræ Scripturæ contingere non potuisse. Siquidem quò plura elapsa sunt Sæcula, quò plures in lingvas versi sunt Scripturæ Libri, eò plura conscripta sunt eorum exemplaria, quæ idcirco omnia non potuerant vitiari. Tantò plures etiam extiterant fideles, qui Sacros Libros, ut regulam Fidei & morum, quemadmodum fundamentum suæ spei venerabantur nec potuissent unum jota in ijs præmitti, vel addi, tantò plures etiam exor-

exortæ ſunt Sectæ, quæ sibi invicem contrariæ, reclamaſsent, si vidiſsent Scripturæ textum ab aliquo corrumpi. Sic reclamatum est à Catholicis, quandò Marcionistæ ausi ſunt ex Evangelio Lucæ quædam resecare. Notum est quâ virtute S. Spiridion in Triphilum Epiſcopum insurrexerit, quòd in laudando Sacro textu vocem unam, quasi elegantiorem alteri ſubstituiſset. Ætate S. Augustini circa unum Scripturæ verbum quam multæ excitatæ ſunt in Africa contentiones. Quantò majores tumultus accidiſsent, si gravioris momenti facta, vel dogmata quis immutare tentaſset. Non poterant ergo Libri Sacri vitiari, nec corrumpi. Sed & concedamus Libros Sacræ Scripturæ sive ab Hæreticis sive Amanuensibus aliquandò vitiatos fuiſse sed non omnia exemplaria, quæ totum repleverant mundum. Ecclesia namque, cui Libri Sacræ Scripturæ ſunt concrediti eorum integritati diligentiſsimè semper invigilavit, efficiendo ne prava eis dogmata, aut falsæ narrationes inſererentur, ab Hæreticis præsertim vitiatos Libros statim observavit, integros veró ſuos in Apostolicis & majoribus Ecclesijs accurate semper custodivit, ex quorum exhibitioné, atquè collatione, mutationes ab Hæreticis, aut certè Amanuensibus factæ deprehendebantur, atqué emendabantur, sicqué continuò integritati Librorum Scripturæ consulebatur.

Ad 2dum: Ista & similia, quæ laudarûnt veteres Patres, ut verba Christi, vel ex traditione habuerunt à Christo fuisse prolata, vel ex Evangeliis apocryphis excerpserunt, in quibus ut fabulosa nonnulla, sic multa vera continebantur, vel quoad sensum tantum ex Scripturis extraxerunt orationi suæ accommodantes, non autem quoad verba illa excerpserant — Falsum veró est, ea quæ in objectione adducta sunt, Sacris Exemplaribus addita fuisse, nec in antiquis manuscriptis codicibus reperiri — Duodecim siquidem postremi Evangelij S. Marci versus, in omnibus Codicibus Latinis, Syriacis & Arabicis constanter leguntur — Historia quoquè mulieris adulteræ pariter à Græcis & Latinis ut genuina recipitur — Textus quoquè Joannis Tres sunt &c. si deest in aliquibus manuscriptis per oscitantiam Librariorum omiſsus, in longè pluribus & antiquioribus & melioris notæ Codicibus reperitur.

Dices. Certum est omnia Scripturæ veteris Testamenti Exemplaria perjiſse, sivè cum Templum Salomonis à Chaldeis incensum & combustum fuit, sivè in generali illa devastatione Urbis Jerusalem, quæ contigit sub Antiocho, qui

qui ergo nunc extant Libri Sacri veteris Testamenti supposititii sunt.

Resp: In Templi Salomonis incendio, fortê aliquî Libri Sacri veteris Testamenti combusti sunt, sed omnia illorum Exemplaria, quæ ubiquè manibus privatorum, ac maximê Sacerdotum terebantur, comburi nullatenus potuerant — Pari modo in devastatione Jerusalem sub Antiocho multi Sacri Libri igne combusti sunt, ut scriptum est Libr: I. Mach: Cap: I. sed non omnes, statim enim post istam devastationem Capite 3. dicitur quod Judæi qui Machabæis se adjunxerunt — Expanderunt Libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum — Ergo apud multos conservati sunt.

Quæres 3. Nonne saltem quoad accidentalia, nævos aliquos, atquè menda in Sacris Libris reperire licebit?

Resp: Nullum extare ex antiquis Sacræ Scripturæ Codicem, qui ab omnibus etiam levifsimis mendis purgatus sit — Sed menda ac nævi illi nullius pene momenti sunt, nequè consultò in textum Sacrum inducti sunt, sed textui ex Amanuensium incuria advenerant — Hæc tamen longè minus impediunt, quin dicatur integros extare Sacros Libros, quam menda in Virgilij, aut Ciceronis Operibus sparsa, impediunt, quin Opera Ciceronis, aut Virgilij ad nos integra pervenifse dicantur — Atquè omnibus, quæ in Sacris Libris reperiri pofsunt diligentissime collectis mendis, ac nevis nullum efse qui fidei, morumquê regulis, aut Historicæ veritati, aliquomodo obefse pofsit — Ex quo planum efficitur Scripturas Sacras, quoad partes fubstantiales, hoc est in rebus ad fidem & mores pertinentibus, vel etiam in historicis factis, in sententiis, non fuifse vitiatas nec corruptas.

ARTICULUS 3tius

De Veracitate Librorum Sacræ Scripturæ.

Quæres 1. Quid per Veracitatem Sacrorum Librorum intelligi debeat?

Resp: Verax Liber ille censetur, qui vera omnia narrat, falsa, fabulosa, conficta nulla in se continet — Veraces igitur censeri debent Sacræ Scripturæ Libri, cum vera omnia describunt, historia eorum veritati in omni-

omnibus consona est, nihilqué falsi, fabulosi, aut mendacitèr conficti in se contineant.

Quæres 2. Libri Sacræ Scripturæ, an omninò verain in se contineant historiam?

Resp: Historia Sacrorum Librorum est verissima — Illa siquidem historia censeri debet verissima quam conscripserunt Authores omninò veridici, qui nec falli nec fallere potuerant — Parrò tales erant Authores Sacri. 1mò falli non potuerant, erant enim plerique testes oculati eorum quæ scripserunt, erant prudentes, sagaces, exquisiti, veritatis indagatores accurati. Sic Moyses in omni AEgyptiorum sapientia exercitatus, plurima quæ scripsit propriis oculis conspexit, cætera antè suum AEvum gesta, à longævis suis Patribus accepit — Sic Josue, sic Prophetæ, præsertim Isaias, Jeremias, Daniel; Sic tandem Sancti Evangelistæ — Quemadmodum Joannes in Epist ola sua 1ma cap: 1. docet, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nost ræ contrectaverunt, annuntiamus. 2do fallere non potuerant, tum quia erant candidi, simplices, probi, integerrimæ vitæ, & famæ, ab omni spe lucri temporalis, aut gloriæ humanæ captandæ desideriô alienissimi, facilè etiam argui, & convinci falsitatis poterant, probrô & ignominia affici, si mendaces fuissent, scribebant enim, ac scripta sua propalabant innumeræ hominum multitudini, non raro factorum, ac prodigiorum, à se conscriptorum testibus occulatis — Sed & veritatem historiæ Librorum Sacrorum comprobat similis rerum gestarum apud profanos Authores narratio — Passim apud Poætas & Philosophos Ethnicos reperitur Summa creationis mundi, quàm Moyses descripsit — Homerus & Hesiodus memînerunt luti ex quô primus homo formatus est, Berosus & plures alij primorum hominum longævitatem, commemorant — Adami & Evæ nomina cum historia serpentis, & ligni prohibiti apud Græcos ac plerosque Orientales populos percrebuerant, sicut & diluvij universalis memoria, quæ etiam ad Gentes barbaras penetravit — Apud Berosum, Obydenum, Lucianum & Plutarchum legitur quomodò homines pauci, cum selectis animantibus à morte servati sunt per arcam, cujus fractæ reliquiæ Theophilo Antiocheno teste diu commonstratæ sunt in Armeniæ montibus, ubi à Moyse scribitur requievisse. Fabulam Gygantum, qui cælum conscendere connati sunt, clarum est à Poætis confictam fuisse occasione tur-

ris

ris Babel, quam tollere in altum nitebantur Noe filij antequam in universas terras dividerentur — Diodorus, Strabo, Tacitus incendium Sodomæ & aliarum Urbium referrunt. Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph historiæ apud Berosum, Hæcatenum, Nicolaum, Damascenum legebantur, & apud plures alios qui à Josepho pafsim & Eusebio Libr: 9. Præparationis Evangelicæ laudantur — Hi ferè omnes Scriptores Moysen commemorant, & quomodò ab aquis servatus, Israelitas ex AEgypto eduxerit, atquè in monte Sinai duas legis tabulas à Deo receperit — Immo Eusebius Præpar: Evang: Cap: 10. 11. & 12. ostendit, illustriores & doctiores nationes, Græcos præsertim ex Moysi Libris, aliisqué Sacris Scripturis deprompsifse, quidquid sapientius, ac magis rationi consonum de mundi genesi, de hominis fine, & officiis, de bonorum præmio, ac malorum supplicijs tradiderunt —

Illa pariter quæ in novi Testamenti Libris continentur, simili narratione ab Ethnicis referuntur — Ortum Jesu Christi Bethleemi contigifse, ex publicis Romani Census ab Augusto imperati commentariis, constat apertifsimè — Narrat Calcidius Commen: in Timæum, nec diffitetur apud Cyrillum Jullianus Apostata, nascente Jesu sydus novum apparuifse, & ab Oriente Magos in Judeam venifse, Deum recens natum requirentes — Macrobius Libr: 2. Saturnalium cap: 4. cædis infantium ab Herode imperatæ meminit — Phlegon Adriani Imperatoris libertus, in suis Chronicis, Jesu Christi, ac Discipulorum ejus, præsertim Petri miracula commemorat — Idem reffert portentosam Solis defectionem quæ in plenilunio contigit Anno Tiberij Cesaris decimo octavo, quando Jesu moriente Sol obscuratus est horâ diei Sextâ, ita ut dies in noctem conversus fuerat, & Stellæ in Cælo visæ sunt — Idem legere est, apud Thallum in Syriacis — Ex ipsa igitur historia profana, historiam Sacram, quæ in Libris veteris ac novi Testamenti continetur, verifsimam efse comprobatur —

ARTICULUS 4tus
De Divinitate Librorum Sacræ Scripturæ.

Quæres 1. Quâ ex causâ Libri Sacræ Scripturæ haberi debeant ut Divini?

Resp. Libri Scripturæ Sacræ, ut Divini haberi debent

bent ex eo quòd Deus illorum primarius fuerit Author. Jllo inspirante atque dictante conscripti sunt, hàc nimirum de causâ & Divini sunt, & Divinam habent authoritatem.

Quæres 2. Libri Sacræ Scripturæ an sunt verè Divini Divinæqué authoritatis?

Resp. Libros Sacræ Scripturæ tum veteris, tum novi Testamenti, esse Divinos, Divinæqué authoritatis. Id variis invictissimis argumentis comprobatur:

Et quidem 1mo. In Sacris Libris innumera sunt Scripta, quæ nonnisi Deô revèlante, & dictante sciri, & scribi poterant, tales sunt prædictiones futurorum, quibus omnes ferè Libri Sacri plenissimè repleti sunt. Enimverò prædicant futura contingentia, à causis liberis provenientia, & alia, quæ à solo Deo dependent, hæc autem Scriptores Sacri nec scire, nec scribere poterant nisi Deô revelante ac inspirante. Nullum autem majus esse potest Divinitatis argumentum, quam certa futurorum prædictio; inde Isaïæ cap. 4. dicitur: Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos. Porrò notum omnibus est libros Sacros prædictionibus futurorum refertos esse, quæ reverâ contigerunt, eo modo quo longè ante prænuntiata sunt. Sic prædictæ sunt clades Judæorum, captivitas illorum Babylonica, quæ per septuaginta duravit annos. Prædictum Cyri nomen, & fortuna centum annis ante ipsius nativitatem, simul & populi Judaici ipso agente restitutio. Alexandri Magni victoriæ, & bella posterorum ejus. Imperia Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, eorum successiones ac varii status graphice describuntur. Prænuntiatur Regni Isrâeliticitotalis eversio, & Jerozolimorum ultimum excidium, multarum Urbium eversio, Regnorum, Provinciarumqué vastatio. Quæ omnia tempore & modo, quo & quando futura prædicta sunt contigerunt ut ex prophanis etiam Authoribus compertum est. Quare non potest meliùs Sacrorum Librorum probari Divinitas quam istiusmodi prædictionibus. 2do. Ipsi Scriptores Sacri testantur, ea, quæ scribunt se â Deo accepisse, & illo mandante, ejusqué Spiritu afflante Litteris commendâsse. In singulis penè Librorum Moysis paginis, ista leguntur: Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Dixit Dominus ad Moysen. De Josue cap. I. Libri ipsius scriptum est: Factum est ut loqueretur Dominus ad Josue, & diceret ei; cap. 4. Dixit Dominus ad Jo-

Josue, & sic in aliis ejusdem Libri locis. Libro 2. Regum cap. 23. de se ipso David, ita loquitur: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Quod in Psalmis quos cecinit maxime animadvertitur. Ex libro quoque 3. Regum, constat altissimam Salomonis Sapientiam, Divinam omnino, & à Deo inspiratam fuisse In scriptis autem Prophetarum passim legitur: Factum est verbum Domini ad me. Hæc dicit Dominus: Irruit in me Spiritus Domini. Verba Jeremiæ: Quod factum est verbum Domini ad eum. Cæteri quoquè Prophetæ Isaias, Ezechiel, Oseas & alii, omnes visiones Domini se habuisse & illas descripsisse testantur. Hæc igitur satis ostendunt ipsos Deo inspirante, atqué revelante, & scripsisse & locutos fuisse. Unde Zacharias ait Luc. cap. 1mo: Benedictus Dominus Deus Israel. Sicut locutus est per os Sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum ejus. Idem testatur S. Paulus Hebr. cap. 1mo dicens: Multifariam multisqué modis olim Deus loques Patribus in Prophetis novisime diebus istis, locutus est nobis in Filio. Quod vero spectat ad Scriptores novi Testamenti. Paulus de seipso dicebat in Epist. ad Galat. Evangelium quod prædicabat, se non ab hominibus accepisse, sed per revelationem Jesu Christi. Omnem quoque prædicationem suam, non verbum hominum, sed verè verbum Dei esse testatur in Epist. 1. ad Tessal. cap. 2do. Christum in se loqui, scribit Epist. 2da ad Corint. cap. 13. Et Petrus Apostolus in sua 2da Epist. cap. 3. testatur Paulum in omnibus scripsisse Epistolis, secundum datam sibi sapientiam, illasqué comparat cum cæteris Scripturis, quas indocti ad suam depravant perditionem. Joannes Apostolus scripsit Apocalypsim Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quemadmodum in principio capitis primi scriptum invenitur. Et certè omnibus non solum veteris, sed etiam novi Testamenti Scriptoribus competit, quod Petrus in Epist. 2da cap. 1mo affirmat scilicet Spiritu Sancto inspiratos locutos fuisse Sanctos Dei homines, & secundùm Paulum in Epist. 2da ad Timoth. cap. 3. illorum scripta, librosqué verè esse Sacras Scripturas, quas ipsius discipulus Sanctus Timotheus, ab infantia didicerat atquè Divinitus inspiratas fuisse asserit. Sed præterea firmissimé tenendum est SS. Apostolos cæterosqué Christi discipulos, sivè in prædicando, sive in scribendo, juxta Sanctissimi Ma-

Magistri ſui promiſsionem, à Spiritu Sancto omnem veritatem edoctos fuiſse. Joann. 16. omniaqué ipsis ſuggeſsiſse. Joann. 14. Unde clarum est Apostolos cæterosqué Christi discipulos, quando prædicabant à Deo fuiſse inspiratos, & impletum in eis fuiſse id, quod illis prædixerat Christus. Math: cap. 10. Non vos estis qui loquimini, ſed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Porro si à Deo inspirati fuerant quando vivâ voce docebant, quantò magis cùm ea ſcriptis mandabant, quæ postea tanquam fidei, morumqué Regula, ac totius Religionis fundamentumhabenda erant.

Porro illud Sacrorum sivè veteris, sive novi Testamenti Scriptorum Testimonium, quô ipsi affirmant ea omnia, quæ ſcripserunt ſe à Deo accepiſse, ejusqué afflante Spiritu litteris commendâſse, & certiſsimum est, & omnem meretur fidem; siquidem veteres Sacri Scriptores maxima ex parte erant veri Dei Prophetæ, ac præclaris facinoribus eximii viri; velut Moyses, Samuel, David, Josue, Salomon toto orbe ob Divinam ſapientiam qua fuit illustris notus. Esdras in Lege Dei Scriba velox. Moyses, Josuæ Prophetæ signis etiam indubitatis, ac patratis miraculis ſe à Deo miſsos comprobârunt, non potest ergo illis fides denegari. Scriptores etiam novi Testamenti, fuerunt Viri Apostolici, non ſolum singulari ſanctitate & ſapientia Divinitùs accepta; ſed virtute miraculorum clariſsimi. In tales autem viros mendacij ſuspicio nullomodo cadere potest. Cum itaque Sacri Scriptores, in omnibus ſummè veraces ſunt, ſummâqué fidê digni, ii autem testantur se ea quæ ſcripserunt à Deo accepiſse, eo mandante, ejus ſpiritû afflante Litteris commendâſse; igitur Libri eorum Sacri Divinæ ſunt authoritatis. Sed & Sacros Scriptores Divinô afflante Spiritû ſcripsiſse, & omnia quæ ab ipsis ſcripta ſunt, Deô dictante Litteris consignata fuiſse, ex ipsorum Sacrorum Librorum inspectione evidentiſsimè constat. Doctrina namquè ipsa quæ à Sacris Scriptoribus traditur, nequit eſse nisi Divina, est enim ubiquè ſublimis, puriſsima, ac ſanctiſsima, cælestem atque altiſsimam ubiquè manifestat ſapientiam, præcepta tradit æquiſsima, per ipsam recondita in Deo revelantur Mysteria, miranda ejus consilia, atquè opera palam enarrantur, nullusqué hominum attentâ & religiosâ mente ſacros poterit pervolvere Libros, quin illic Divinô irradiatus lumine, ex ipsa lectione cælestem in illis comprehensam deprehendat doctrinam. Hæc certè nonnisi Divinâ revelatione ſcire; & Deo di-

dictante & inspirante conſcribi poterat. Prophetiæ quoquè, prædictiones, vaticinia, quibus omnes Sacri Libri abundantiſsimè repleti ſunt, ubiquè eadem in nullo ſibi contraria, ab eodem Spiritu Sancto ubiquè, & omnibus Scriptoribus dictata atque inspirata fuiſse evincunt. Sed & historia Sacra & prophana, quæ in Sacris Libris deſcripta legitur, invariabilis, conſtans, ſine errore, ſemper verax, Scriptorum manus Divino dirigente Numine fuiſse exaratas evincit. Et certe tametsi in diverſis locis, & diverſis temporibus conſcripti ſunt libri Sacri, ab hominibus aliquando imperitis, aliquando doctis, tamen omnes in omnibus ita inter ſe concordant, ut ab eodem calamo orti videantur. Eadem narrant facta, eadem continent vaticinia, eadem credenda inculcant, eadem dant præcepta, eadem minantur & promittunt. Ex quo manifestiſsime conſequitur, ab eodem primario Authore Spiritu videlicet Divino, omnia omnibus Scriptoribus Sacris dictata atquè inspirata fuiſse.

3. Libros Sacræ Scripturæ, tum veteris, tum novi Testamenti eſse Divinos, Divinæquè Authoritatis, continua & communis, à Religionis nostræ primordiis, ad nos usquè derivata, testatur traditio. Et quidèm 1mo. quod attinet Libros veteris Testamènti. Josephus Libr. 1mo contra Appionem clariſsimè docet, Libros Sacros eô præstare cæteris quod ſingulari Dei influxu eſsent exarati. Eadem ſensit Philo, is enim Libro 2do de vita Moysis, ubi Septuaginta interpretum deſcribit historiam, hánc iis verſionem à Deo ad verbum dictatam eſse perſpicue docet, atqué indé in tanta græcæ Linguæ copia, ac verborum ſynonimorum ubertate, mirabilem concentum ortum fuiſse affirmat. Quodsi tantam dè translatione habuit opinionem, certiſsimè præsumendum est, longè majorem de ipso authographo æstimationem tenuiſse. Sed hæc de Sacris Libris opinio, atque existimatio, non privatorum tantum, ſed & communis totius Judaici populi fuit, quod luculenter patet tum ex historia Machabæorum, qui pro Divinorum Librorum obſervantia cruciatus innumeros perpeſsi ſunt, tum ex Christi Apostolorumqué ad Judæos habitis ſermonibus, in quibus libros veteris Testamenti ut Divinos, ab omni errore immunes citant, atquê ad illustranda, probandaqué ſua dogmata allegant, quod certe ab iis fieri haud potuiſset, niſi certi perſvasiqué fuerint à Judæis illos Libros ut Divinos haberi ac credi. Sed & Eccleſiæ Catholicæ non ſolum ſacros libros veteris, ve-

rum

rum etiam novi Testamenti Divinitùs scriptos fuisse, à primis exordiis persvasum fuit, & creditum est. Hoc antiquissimorum Patrum, atquè Conciliorum testimonio facile est evincere. Verum hæc ipsa veritas non humanâ tantum, sed & Divinâ stabilitur fide. Etenim vi promissionis Christi, fieri haud potest, ut tota omnino Ecclesia in iis, quæ fidei sunt, fallatur. Cùm igitur univèrsa Ecclesia semper pro certo habuerit, atque etiamnum habeat, omnes sacros libros à Spiritu Sancto dictatos, ex ejus influxu conscriptos fuisse, ambigi nullatenus potest illos revera Divinos esse, Divinamqué habere authoritatem.

Objicies. Si Authores Sacrorum Librorum Deô afflante scripsissent, dubitanter non loquerentur, nec tam frequenter uterentur particulis, quasi, fere, circiter.

Resp. Si quandoquè prædictis particulis utantur Scriptores Sacri, hoc non arguit ignorantiam eorum, sed communi loquendi ac scribendi modo in hoc sese accomodabant.

ARTICULUS 5tus

De numero Librorum Sacræ Scripturæ.

Quæres 1mo. Qui nam Libri pro Sacris ac Divinis habendi sunt?

Resp: Jlli Libri pro Sacris ac Divinis habendi sunt, quos Ecclesia tales esse declaravit. Ecclesia siquidem inexpugnabilis columna veritatis est, ipsi concredita sunt eloquia Dei, quos ergo Ecclesia Libros tanquam Divinos ac Sacros tenet, atquè proponit, ij certo Divini ac Sacri reipsa sunt, & ut tales ab omnibus recipiendi ac tenendi sunt; Et hoc est fundamentum, cui potissimum omnes innituntur fideles, juxta Augustini effatum: Ego Evangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. Atquè ad hanc Regulam provocant omnes Patres antiqui, contrá Hæreticos agentes, ut Sacri Libri ac Divini, à non sacris & apocryphis discernerentur. Sanctus Iræneus Lib. 3. quatuor, nec plura esse vera Evangelia, hâc unâ probat ratione, quòd quatuor tantum nec plura, Ecclesia per totum orbem diffusa recipiat. Tertulianus passim contrá Marcionem, & Clemens Alexandrinus Lib. 3tio Stromatum, eodem utuntur argumento, ut ostendant, ille Marcionis, hic AEgyptiorum Evangelia non esse vera, eo quòd ut ipsi inqui-

unt,

unt, Ecclesiæ Apostolicæ, & Patrum traditio, quatuor duntaxat Evangelia, agnoscant: Hujus regulæ necessitatem, præ ceteris asseruit S. Augustinus Lib. 11mo contrá Faustum cap. 2do. Ibi enim fusè ostendit Scripturæ Sacræ Libros, ex uno Ecclesiæ Testimonio posse comprobari; atquè ita demum concludit: Vides quid in eo valeat Ecclesiæ Catholicæ authoritas ex quo per Apostolos Cathedræ constitutæ sunt, non interrupta Episcoporum successione, & populorum consensu perseverans.

Et certe alia regula secernendi Scripturam Divinam à profana non datur præter authoritatem Ecclésiæ, nequè enim ad privatum Spiritûs Sancti testimonium, quemadmodum moderni prætendunt Hæretici, hac in re recurri potest, id quippe latam viam aperiret, ut unusquisque pro libitu, sicut dogmata fidei, sic & Sacros libros admitteret, vel rejiceret. Standum est ergo judicio Ecclesiæ, ut veri Scripturæ Sacræ Libri à prophanis secernantur.

Quæres 2. Quos ergo libros Ecclesia verè sacros ac Divinos esse declaraverat?

Resp. Ecclesia in Concilio Tridentino congregata Sess. 4ta sequentes libros vere Sacros, ac Divinos esse declaravit: Veteris Testamenti quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, AEsdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Barruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus— Testamenti novi quatuor Evangelia, secundum Mathæum, Marcum, Lucam, & Joannem— Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philipenses, ad Colossenses, duæ ad Thesalonicenses, duæ ad Thimotæum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hæbræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apo-

sto-

stoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli— Hos omnes & integros libros cum omnibus ſuis partibus, prout in Ecclesia legi consveverant, Synodus Tridentina pro Sacris decrevit & declaravit.

Quæres 3. An merito Concilium Tridentinum hos omnes libros declaravit eſse Sacros ac Divinos.

Resp. Merito: Libri enim illi jam dudum in Ecclesia ut Sacri legebantur, tam in Bibliis, quam in Officiis Divinis. Dudum etiam in Cathalogum Sacrörum fuerant relati, nempe à Concilio Carthaginensi circa annum 397. à Concilio Romano ſeptuaginta Episcoporum ſub Gelasio 1mo, ab Innocentio 1mo in Epistola ad Exuperium, ab Augustino Libr. 2do de Doctrina Christia: cap. 8. ab Iunilio apud Caſsiodorum, & ab ipso Caſsiodoro, ab Isidoro Hispalensi, Rabano Moguntino, & aliis deinceps. Patres quoque plurimi ex antiquioribus, depromant testimonia ex præfatis Libris, tanquam ex Sacris fontibus: unde in majori Ecclesiarum parte, ac præsertim in Romana, quæ mater & magistra cæterarum est, ſemper viguit Apostolica Traditio de horum Librorum Divinitate, adeoque illa duce, merito Patres Tridentini illos ut vere Sacros, atque Divinos habendos eſse, ac ab omnibus recipiendos eſse statuerant.

CAPUT TERTIUM

De Scripturæ Sacræ Sensu.

ARTICULUS 1mus

De variis Sacræ Scripturæ Sensibus.

Quæres 1. Quòt ſunt Sacræ Scripturæ Sensus?

Resp. Duplex generatim Scripturæ distingvitur Sensus, nempe litteralis & mysticus. Sensus litteralis est ille, quem proximè & immediatè verba ipsa significant, sive propriè sive metaphoricè ipsa verba ſumantur, unde Sensus Litteralis rursum duplex est, nempè proprius, cùm verba in propria significatione, ſeu ſecundum consvetam loquendi rationem ſummuntur, & figuratus, ſeu metaphoricus, cùm verba figuratè & tropicè usurpantur: ut cùm Apocalyp. cap. 5to dicitur: Vicit Leo de tribu Ju-

da, ibi enim Leonis nomine Christus per metaphoram significatur.

Sensus mysticus ille est, qui non significatur proxime per Verba, ſed per rem vocibus expreſsam. Sic quæ narrantur Genes. cap. 22. literaliter de Isaac in Sacrificium offerendo, mysticè de Christo explicantur. Sensus autem mysticus ſæpius invenitur in veteri Testamento, rarius in novo. Sensus mysticus ſubdividitur in allegoricum, anagogicum, & tropologicum, ſeu moralem. Allegoricus est, dùm verba Scripturæ præter Sensum litteralem, quem preseferunt, significant aliquid ad fidem & ád Ecclesiam militantem pertinens. Sic quod legitur de duobus Abrahæ filiis, quorum unus de Ancilla; alter de libera natus est; interprete Paulo Apostolo, duo Testamenmentâ vetus & novum significat.

Anagogicus est, dùm Verba Scripturæ præter ſensum litteralem, significant aliquid pertinens, ad futuram vitam, quam ſperamus. Tale est, quod ſcribitur Psal. 94. Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem méam. Siquidem ſecundum litteram intelliguntur Verba hæc de terra promiſsionis in Palestina, Anagogicè verò ab Apostolo Hebr. 4. intelliguntur de vitâ æternâ, ubi vera requies invenitur.

Tropologicus, ſeu moralis est, quando præter ſensum litteralem, aliquid significatur pertinens ad morum informationem, quomodò illud Deut. cap. 25. Non alligabis os bovi trituranti, quod I. Corinth. 9. moralitèr intelligitur de Evangelii Ministris, qui non debent impediri quominus à fidelibus ſustentationem accipiant.

Quæres 2. Ex quo ſensu háberi potest aliquid Divina fide credendum?

Resp. Ex ſolo ſensu litterali haberi potest aliquid fide Divina credendum, non autem ex Sensu mystico, nisi ille â Spiritu Sancto, vel in Scripturis Sacris, vel in Traditione declaretur, quia non potest aliter constare an ſensus ille mysticus sit à Spiritu Sancto intentus. Unde Augustinus Epist. 48. contra Donatistas ſcripsit: Quis non pudentiſsimè nitatur aliquid in alegoria positum pro ſe interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura. Idem docet Hieronymus in caput 13. S. Math. dicens: Nunquam parabolæ, & dubia AEnigmatum intelligentia, potest ad Authoritatem dogmatum proficere.

AR-

ARTICULUS 2dus.

An Sensus Sacræ Scripturæ sit ubique clarus.

Quæres 1. Quid de Scripturæ Sacræ claritate moderni sentiunt Hæretici?

Resp: Moderni Hæretici Scripturam Sacram per se ita facilem, ac claram esse putant, ut nullius explicatione indigeat, unde illam & vilissimis hominibus dijudicandam permittunt. Contrà Catholici contendunt Scripturam Sacram, quamvis in aliquibus locis clara sit, in multis tamen obscurissimam esse: quapropter interpræte opus esse, qui reconditum illius sensum aperiat, & proponat. Unde —

Quæres 2. An Scriptura Sacra sit ubiquè clara?

Resp: Scriptura Sacra non est ubiquè clara, sed in multis obscura; quare Christus Dominus Lucæ cap. 24. Discipulis suis aperuit sensum ut intelligerent Scripturas: duobus enim euntibus in Emaus, incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Ipsiqué confessi sunt, quòd cor eorum ardens in ipsis erat, dum loqueretur in via, & aperiret Scripturas. Eunuchus quoqué Reginæ AEtiopum interrogatus à Philippo, an intelligeret Isaiam Prophetam quem legebat candide respondit: Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi. Act. 8. Sanctus etiam Petrus in 2da Epist. cap. 3tio fatetur in Epistolis Pauli, quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam perditionem. Sed & ex ipsa lectione constat, Psalmos, Prophetas, Canticum Canticorum, Apocalypsim, aliasque Scripturæ Sacræ partes obscurrissimas esse, ita ut vel doctissimorum ingenia semper exèrcuerant, & etiamnum exerceant. Sancti Patres id ipsum affirmant: Alii enim expressè Scripturas Sacras profundas esse ajunt, obscuras & obstrusas, ita Clemens Alexandrinus, & S. Augustinus, qui etiam in Epist: 119. profitetur, se post summum diuturnumquè studium, pauca in illis intellexisse. Alii docent Scripturas Sacras esse Librum signatum, & agrum in quo thesaurus est absconditus sapientiæ Divinæ, ita Origenes & S. Chrisostomus. Alii scribunt eas sine Magistro & Doctore non posse intelligi, ita SS. Basilius & Gregorius Nanzianzenus;

Alii tandem aſserunt eas eſse abyſsum quæstionum, & mare in quo ſensuum sit profunditas, ita Sanctus Chrysostomus, & Ambrosius: verum præstat ea de re audire S. Hieronymum, qui in Epistola ad Paulinum sic loquitur cap: 4to. Velamen non ſolùm in facie Moysis, ſed & in Evangelistis & Apostolis positum est. Et cap. 7mo. Isaiam, Jeremiam, Ezechielem & Danielem quis potest intelligere, vel exponere? Ezechiel principium & finem habet tantis obscuritatibus involuta, ut apud Hæbreos istæ partes, cum Exordio Geneseos ante annos triginta non legantur: Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, ſeptem Epistolas ediderant breves in Verbis, longas in ſententiis, ut rarus sit, qui non in earum cœcutiat lectione: Apocalypsis Joannis, tot habet Sacramenta quot Vèrba.

Quæres 3. Unde ista oritur Scripturæ Sacræ obscuritas?

Resp: Hæc obscuritas Scripturarum oritur, tum ex parte rerum, quas proponit, tum ex parte modi, quo eas exprimit. Res quas continet Scriptura ſæpe ſunt Prophetiæ, & fidei mysteria, quæ cùm humanum longæ excedant captum, non poſsunt a nobis facilè percipi. Modus etiam quô ista traduntur, & ipse obscurus est, quia in Scripturis frequenter inveniuntur tropi, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriæ, in quibus tanquam in volucris multæ latent veritates, quæ non ita facilè poſsunt detegi.

Objicies. Verbum Dei ſæpiſsimè in Psalmis vocatur lux, præceptum lucidum illuminans oculos, lux autem obscuritatem expellit. Apostolus etiam Paulus in Epist: 2. ad Corinth: cap: 3. ait: Quodsi opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum. ergo Scripturæ claræ ſunt ſaltem Sanctis ac Fidelibus.

Resp: In Psálmis verbum Dei lucidum dicitur, ac mentem nostram cœlesti lumine perfundere, dum rectè intelligitur, non autem quando perversè accipitur. Porrò Scripturæ Sacræ textus, & rectè ab aliquibus intelligi, & perversè ab aliis accipi poſse, manifestiſsimum est. Unde lux quidem se ipsam prodit, nec patitur tenebras, nisi adsint impedimenta, quæ lucis diffusioni obficiant, & quæ ſæpiſsime legentibus Sacras Scripturas occurrunt. Unde etiam Christus exprobravit Judæis, quod errarent, nescientes Scripturas, quamvis illas legerint, & ſcrutari illas mandavit, ut rectè intelligantur, quia certè non omnibus, ne-

nequê in cunctis claræ ac perspicuæ ſunt. Quare Apostolus Paulus in textu citato dicit opertum eſsé Evangelium in iis, quorum Deus propter ſcelera eorum excæcavit mentes, ut non fulgeat in illis illuminatio Evangelii, non inde tamen ſequitur opertum eſse Evangelium cæteris omnibus, ex ſe, & ſola ipsius lectione, nam & ii ad intelligendas Scripturas opus habent Magistris, qui non ambulant in astutia, ut ibidèm loquitur Paulus: nequè adulterantes verbum Dei, ſed in manifestatione veritatis, commendant ſemetipsos, sine horum auxilio, atquè adminiculo: & ipsis opertum erit Evangelium.

Quæres 3. Ad quem pertinet genuinum Scripturæ Sacræ, ſensum tradere, ac definire?

Resp. Soli Ecclesiæ, per Pastores ac Præpositos, incumbit genuinum Scripturæ Sàcræ ſensum certè tradere, ac infallibiliter definire. Id apertiſsime docet Paulus Apostolus in Epistola ſua ad Ephæsios cap. 4. inquiens de Christo: Ipse dedit Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Quibus verbis clare pronuntiat Apostolus, Christum hoc modó consuluiſse fidelibus ſuis ne circumferantur omni vento doctrinæ, atque ut non circumveniantur variis erroribus, quod posuerit in Ecclesia Pastores, atque Doctores, à quibus quævis veritas quærenda, & recipienda sit. Quare ab ipsis incunabulis Religionis Christianæ, omnes quæstiones fidei ac morum, ex Scripturarum Sacrarum oraculis, per Pastores ac Rectores Ecclesiæ decidebantur; sic quemadmodum in Actis Apostolorum legitur cap. 15. mota quæstione de observantia legalium veteris Testamenti, res tota ad Apostolos delata est, atquè adductis Scripturarum testimoniis decisa atquè definita fuit. Idem postea ſemper observatum fuit, atquè practicatum. Ecclesiæ siquidem Pastores, ac Rectores, orta aliquâ controversiâ vel Synodice congregati, vel per orbem dispersi, ſcrutantes Scripturas quid tenendum aut respuendum eſset, declarabant. Solis certe Apostolis, ut ſcribit Sanctus Paulus in Epistola 1. ad Thesal: cap: 2do eorumqué Succeſsoribus concreditum est à Deo Evangelium, unde ſecundùm eundem Apostolum Epist: 1ma ad Corinth: cap: 12. quosdam Deus posuit in Ecclesia primò Apo-

sto-

stolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores; deindê genera lingvarum, interpretationes Sermonum. Ex quo infert non omnes eſse Apoſtolos, non omnes Prophetas, non omnes Doctores, non omnes poſse interpretari. Quemadmodum ergo docere, ita & interpretari non omnibus ſed ſolis Eccleſiæ Paſtoribus, ac Rectoribus demandatum est; Ipsis ergo ſolis incumbit doctrinam ſalutarem fidelibus proponere, ac genuinum Scripturæ Sacræ sensum definire.

Idem constanter docent Sancti Patres, S. Irænens Lib. 4. adversus hæreses cap: 35. sic loquitur: Ibi discere oportet veritatem apud quos est ab Apostolis Eccleſiæ ſucceſsio, illi fidem nostram custodiunt, & ſcripturas sinè periculo nobis exponunt. Tertulianus libro dê præscriptionibus cap: 15. docet, primum inquirendum eſse veram Eccleſiam, ut postea ex illius authoritate germanus Scripturæ Sensus habeatur: Ubi inquit apparuit eſse veritatem diſciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit & veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Christianarum. Denique ut innumeros alios omittamus Vincentius Lirinensis Commonitorii ſui, cap: 2. postquam observavit Scripturam Sacram pro ſui ſensus altitudine, non uno eodemqué ſensu ab omnibus accipi, ut pene quod homines ſunt, tot illic ſententiæ erui videntur, ita concludit: Idcirco multum neceſse est propter tantos, tam varii erroris anfractus ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, ſecundum Eccleſiastici ſensus normam dirigatur.

Quod verò Eccleſia in definiendo ac determinando sensu Sacræ Scripturæ infallibilis sit, certiſsimum est; quia juxta promiſsionem Christi, portæ inferi, ac proinde errorum etiam spiritus adversùs eam prævalerè non poſsunt, & ſecundùm Apostolicam doctrinam, ipsa est columna ac firmamentum omnis veritatis. Unde S. Augustinus libro contra Cresconium cap: 23. ſcripsit. Quoniam Sacra Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, Eccleſiam conſulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat.

Dices: Multæ à variis traduntur Regulæ, quibus verum, genuinumquè Sacrarum Scripturarum sensum detegere, atquè dignoscere poſsumus, non ergo neceſsarium ad Eccleſiæ definitionem recurrere?

Resp.

Resp: Istius modi Regulæ ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam plurimum valent, ſed non omnino illæ ſufficiunt, niſi insupèr aliquod adsit lumen tum Traditionis, tum maxime Ecclesiasticarum definitionum, ut de vero genuinoquè Scripturarum Sensu certi omnino eſse poſsumus. Igitur per istiusmodi regulas sensum Sacrarum Scripturarum, probabilitate, atquê etiam aliquali humana certitudine, dignoscere ac determinare poſsumus, seclusa autem Eccleſiæ authoritate omnimoda quæ fidei nostræ basis eſse queat, nullatenùs habere poſsumus.

Obijcies. Si Ecclesia de Scripturis judicat, Ecclesia est supra Scripturam. Pariter si Scripturæ sensus sinè interpretatione Ecclesiæ non est certus; ergo Scriptura Sacra firmitatem ab Ecclesia accipit, quod dici nequit?

Resp: Ecclèsia tanquam certiſsimum habet, ea omnia vera eſse quæ in Scripturis Sacris continentur, judicat duntaxat de legitimo Scripturæ Sensu, idquê non pro nutu, sed juxta Traditionem, unde non sequitur Ecclesiam eſse supra Scripturam, sed tantum eam eſse supra privatorum hominum judicia, sic vel aliter Scripturas interpretantium. Jam vero dum Ecclesia de veritate eorum, quæ in Scripturis continentur non judicet, sed de vario qui ipsis affigitur sensu, constat Scripturam nihil ab Ecclesia roboris trahere, quippe Scriptura verior non est, quia sic ab Eclesia exponitur, sed talis interpretatio Scripturæ est certior, quando ab Ecclesia confirmatur. Alia bene multa, quæ de Sacra Scriptura scitu digna sunt, in Hermeneutica traduntur.

CAPUT QUARTUM

De Traditionibus.

ARTICULUS Imus

Quid sit? & quotuplex Traditio.

Quæres I. Quid sit Traditio?

Resp: Traditionis nomen, si generatim accipiatur, significat doctrinam ab uno alteri communicatam, sivè voce solùm, sivè etiam scripto. Si vero strictè sumatur, prôut hic summi debet, per Traditionem intelligitur doctrina, quæ ab uno alteri, viva tantum voce communi-

cata

cata fuit, licet postea ſucceſsu temporis, scriptis etiam inserta sit.

Quæres 2. Quotuplices sunt Traditiones?

Resp: Triplices præcipue sunt Traditiones, Divinæ, scilicet Apostolicæ, & Ecclesiasticæ.

Traditio simpliciter Divina, est doctrina quæ vivâ tantùm voce ab ipsomet Christo Apostolis communicata fuit, & Apostoli illam sine scripto ad posteros transmiserunt.

Traditio Apostolica est doctrina, quam Apostoli acceperunt non immediatè ab ipso Christo, sed immediatè à Spiritu Sancto, ex ipsius scilicet instinctu, quam postea sinè scripto Ecclesiæ communicârunt. Et hæ quoqué Traditiones Divinæ sunt, quia ipsarum Author Spiritus Sanctus est, verum quia illæ exteriùs ex ore ipsius à Christo prodierunt, istæ vero nonnisi ex ore Apostolorum dimanarunt, ideo illæ Divinæ, istæ Apostolicæ vocitantur. Duplex autem hoc genus Traditionum Divinarum expreſsit Concilium Trid: Seſs: 4. Decreto de Canone Scriptur: ubi ait: omnem salutarem veritatem contineri in libris scriptis, & sinè scripto Traditionibus quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ ad nos usquè pervenerunt. Sed & inter Apostolieas Traditiones, quæ scilicet ab ipsis Apostolis emanârunt, distingvendum est, aliæ enim sunt Divino Apostolicæ, quas modò definivimus, & quæ in se continent doctrinam ad fidem moresqué spectantem, à Spiritu Sancto Apostolis inspiratam & ab illis vivâ voce promulgatam: aliæ vero sunt purè Apostolicæ quæ continent leges & præcepta, quæ Apostoli proprio nominé, tanquam Ecclesiarum Rectores constituerunt vg. Quadragesimæ observatio. Duo hæc ipsa Paulus Apostolus distingvit in Epistola 1ma ad Corint; cap: 7mo: ubi versu 10. ait. Præcipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Ver: autem 12. ait. Ego dico non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Quod si infidelis discedit, discedat non enim ſervituti subjectus est frater, aut ſoror in hujusmodi.

Traditio Ecclesiastica, est doctrina ab ipsamet Ecclesia dimanans, quæ proinde non est à Deo revelata.

Traditiones simpliciter Divinæ, & Divino Apostoli-

cæ

cæ, respiciunt fidem & mores, unde ipsæ continent doctrinam à Deo revelatam, quæ fidei ac morum est Regula. Traditiones verò pure Apostolicæ, vel Ecclesiasticæ, respiciunt tantùm disciplinam ac Ritus quibus res Sacræ peragendæ sunt.

Quæres 3. Quis discernere debeat Traditiones?

Resp: Ecclesiæ competit jus discernere, ac dijudicare quascunquè Traditiones. Quemadmodum enim Ecclesiæ competit discernere libros Sacros à profanis, sensum illorum genuinum determinare, ita etiam Ecclesiæ est Traditiones discernere ac illas dijudicare. Traditiones siquidem Divinæ ab Apostolis apud Ecclesijs depositæ, ab illa fideliter custodiuntur, ad ipsam ergo indubie, cùm de aliqua illarum movetur quæstio, spectat dijudicare sitne Divina, an non. Unde Iræneus Libr: 3tio contra Hæreses. Non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis. Et Tertulianus Libr: de præscrip: cap: 21. Quid prædicaverint Apostoli, id est quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per Ecclesias, quas Apostoli condiderunt.

Quæres 4. Nonnè suppetunt aliquæ Regulæ, ex quibus & ipsi aliquomodè de Traditionibus dijudicare possimus?

Resp: Revera suppetunt nobis istiusmodi Regulæ, quas hìc breviter enarrabimus.

Prima. Quando in Ecclesia universa creditum est aliquod dogma ùt fide tenendum, quod in Sacris litteris non est expressum, certum est illud non aliundè quam ex Traditione Divina manare: quia articuli fidei, non habentur nisi ex Divina revelatione, quæ olim facta est, vel per Scripturam vel per Traditionem, nam novæ revelationes jam non fiunt. Igitur si dogma illud, quod universa Ecclesia credidit ùt fide tenendum, non sit in Sacris Litteris expressum, superest, ut non aliunde habeatur, quam ex Traditione Divina. Tale est Dogma de septenario numero Sacramentorum, de cultu et invocatione Sanctorum, de Purgatorio, quæ non ita clarè in Sacris Scripturis expressa sunt, ut ex illis solis erui, & credi possint.

Secunda. Quod in Universa Ecclesia, tanquam ad fidem ac Religionem pertinens servatum fuit, quodquè huma-

manam excedit potestatem, illudque in Sacris Litteris non invenitur, hoc Divinæ institutionis esse per Traditionem certò dignoscitur. Sic Ecclesia universa Baptisat parvulos, at concedere potestatem Baptisandi parvulos, qui nullum fidei, aut piæ dispositionis actum habere possunt, humanam excedit potestatem, neque illa potestas in Sacris Litteris Ecclesiæ conceditur; Traditione igitur certissimum est, id ut ita fiat, jam ab ipso Christo institutum esse.

Tertia. Quando omnes Sancti Patres unanimi consensu tradunt dogma aliquod, ût fide tenendum, quod in Sacris Littteris expressum non est, credi debet illud non aliundè quàm ex Traditione Divina haberi. Quia unanimis Sanctorum Patrum consensus, sensus ipsius Ecclesiæ est. Ecclesia autem dogmata fide tenenda, non accepit, nisi ex Revelatione Divina, quæ facta est, vel per Scripturam, vel per Traditionem. Proindè si dogma illud ex Revelatione per Scripturam facta non habetur, illud Ecclesia accepit ex Revelatione per Traditionem notificatam; unde Tertulianus libr: de præscriptionibus ait. Quod apud multos invenitur, non est erratum sed traditum.

Quarta. Si quid universa servat Ecclesia, quod in omnibus retrò temporibus servatum fuisse reperitur, etiamsi illud humanam non excedat potestatem, meritò creditur ab Apostolis institutum fuisse. Hanc regulam Sanctus Augustinus sæpius urget contra Donatistas, maximè libr: 5tio cap: 3. Quod universa tenet Ecclesia, nec à Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. Talis est Quadragesimæ observatio; si verò sursum ascendendo & originem cujuspiam instituti inquirendo, deprehendamus non semper illud in Ecclesia servatum fuisse, non est nisi Traditionis Eclesiasticæ, quia tales consvetudines variis pro temporum conditione mutationibus obnoxiæ semper sunt.

ARTICULUS 2dus.

De Existentia & authoritate Traditionum.

Quæres 1. An convenit inter omnes dari Traditiones?

Resp:

Resp: Non est sermo de Traditionibus Ecclesiasticis, has dari inter omnes convenit, omnesquè illas admittunt, sed controvertitur de Traditionibus Divinis. Hæretici communiter Traditiones Divinas reijciunt, quas suis novitatibus contrarias esse sentiunt, & nihil volunt admittere, nisi quod in Scripturis expressæ legitur: ita olim Valentiniani, & Marcionitæ, de quibus S. Iræneus ita scribit lib: 8. cap: 2do, Cùm autem ad eam Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per Successiones Presbyterorum in Ecclesijs custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni. Ita etiam postremis hisce Sæculis, Sociniani, Calvinistæ Lutherani, qui communiter Traditiones Divinas respuunt: Ex adverso Catholici omnes docent præter Scripturam Sacram dari, & admittendas esse Traditiones Divinas.

Quæres 2. An revera dantur, & admitti debeant, Traditiones Divinæ?

Resp: Dantur & admittendæ sunt Divinæ Traditiones, quod ex pluribus Scripturæ Sacræ locis evinci potest. In Epist: 1ma ad Corinth: cap: 11. sic loquitur Apostolus Paulus: Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, Præcepta mea tenetis: & in fine ejusdem capitis inquit: Cætera cùm venero disponam: ordinabo, constituam; quibus ostenditur ab Apostolis multa fuisse vivâ voce traditâ, & ordinatâ, quæ in eorum scriptis non continentur, unde infert S. Basilius lib: de Spiritu S: cap: 29. Traditiones non scriptas necessariò admittendas esse, nam sic inquit: Arbitror Apostolicum esse etiam non scriptis Traditionibus inhærere. Idem quoquè Apostolus in Epist: 2da ad Thesal: cap: 2. hæc habet. Itaque fratres state, & tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram; & cap: 3tio ait: Denuntiamus autem vobis, fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm Traditionem, quam acceperunt à nobis. Hic distingvit Apostolus doctrinam scriptam, à doctrina quam vivâ voce proposuerat, utramquè vero vult ab ipsis eodem modo recipi, & servari. Unde S. Chrisostomus in hunc locum ita scribit: Patet quod non omnia per Epistolam tradiderit, sed multa etiam sinê litteris, eâdem verò fide digna sunt, tam illa,

quam

quam ista. Tandem in Epist: 1ma ad Timoth: cap: 6to: hæc scribit: o Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates: jam verò in Epist: 2da cap: 1mo eundem ita admonet. Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu, bonum depositum custodi per Spiritum S. Hic per depositum S. Paulus intelligit doctrinam, quæ Traditione continetur, nec enim solas Scripturas, sed multa alia Timotheo vivâ voce commendaverat, istud autem doctrinæ depositum custodiendum eſse præcipit, & adhortatur. Quare iterum cap: 2do ait: Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Et cap: 3tio. Tu verò permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceras. Quibus verbis satis innuit Paulus, sanam Christi doctrinam voce, magis, quam scripto ab Apostolis tradi solitam fuiſse, atquè instar depositi sollicite à primis Pastoribus custodiendam, ac conservandam eſse, ut quasi per manus ad Succeſsores integra transmittatur. Indubie ergo Divinæ Traditiones agnoscendæ & admittendæ sunt.

Id ipsum testantur Sancti Patres: S. Ignatius Mar: Eusebio teste libr: 3tio Hist: cap. 36. cum Romam à Satellitibus duceretur singulas hortabatur Ecclesias, ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent; quas etiam ad certiorem posteritatis notitiam, testimonio ſuo confirmatas, ſcriptis mandare, neceſsarium duxit. Tertulianus librô de Corona Militis cap: 3tio affirmat exstare exempla observationum, quas sinè ullius Scripturæ instrumento, ſolius Traditionis titulo, & exinde consvetudinis patrocinió vindicamus. S. Epiphanius Hæresi 61. sic loquitur: Oportet & Traditione uti non enim omnia à Divina Scriptura accipi poſsunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli recondiderant. Denique ùt innumeros alios omittamus S. Augustinus Libr: 5to de Baptismo contra Donatistas cap: 23. hæc habet: Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur. Communis igitur Patrum ſensus est, dari & admitti deberi Divinas Traditiones.

Quæres 3. Ad quid Traditiones neceſsariæ eſse poſsunt?

Resp:

Resp: Traditiones Divinæ, sive in Ecclesiæ Canonibus, & Patrum Scriptis consignatæ ſunt, sive per Episcoporum Succeſsionem vivâ voce transmiſsæ, ad multa omninò neceſsariæ ſunt. Et quidem 1mô: Ut constét nobis, de Sacrorum Librorum numero, ejusquè Sacri Librî authoritate, illorumqué integritaté. Ista enim ex Traditione duntaxat haberi poſsunt, nullibi siquidem ſcriptum legitur, quatuor duntaxat eſsé Evangelia, è quatuor Esdræ libris duos tantum eſse Canonicos, quatuordecim Epistòlas Pauli Sacras eſse, reliquas verò quæ circumferuntur Apocryphas. 2do: Ut genuinus habeatur Scripturæ ſensus, dùm de eo dubium aliquod ſuboritur, tunc enim Ecclesiæ Traditio consulenda est, ùt ex ejus inspectione revincantur Hæretici, qui Scripturis alium ſensum affingere ſolent ab eo, quem revera in ſe continent. 3tiô. Ut plurima teneantur ac probentur dogmata e. g. Sanctam Deiparam ſemper fuiſse Virginem, videlicet ante & post partum. Parvulos eſse baptisandos ante usum rationis. Valere baptisma datum ab Hæreticis, & aliis impiis hominibus. Horum enim omnium, & aliorum quàm plurimorum dogmatum, nulla mentio fit in Scripturis, ſed tantûm in Traditione.

Objicies 1mo: Scriptura Deuter: cap: 4to prohibet ne quid verbo Déi addatur. 2do: S. Paulus ad Galat: cap: 1mo anathematizat eum, qui evangelizaverit aliquid præter id, quod ab eo evangelizatum est. 3tio: Idem Apostolus in Epist: 2da ad Timoth: cap: 3tio docet Scripturam Sacram utilem eſse ad docendum, erudiendum. Ergo inutilis Traditio. 4to: SS. Patres Traditiones respuunt, illasqué Hæreticis exprobrant, quemadmodum Iræneus, Tertulianus, alii verò docent ad veritatis ostensionem ſolas ſufficere Scripturas. Non ſunt ergo admittendæ Traditiones,

Resp: Ad 1mum: Scriptura prohibet ne verbo Dei addatur aliquid, per quod corrumpatur, à Verbo Dei alienum, ipsi contrarium; non verò prohibet ne verbo Dei addatur aliquid per quod illud explicetur, ac defendatur. Unde & Christus paſsim Judæos increpat quod admitterent Traditiones ſed vanas, ſuperstitiosas, & quibus Divina præcepta corrumpebant, atqué enervabant. Porro Traditiones Divinæ, quas admittendas eſse probamus, verbum Dei non corrumpunt, ſed potius illud illustrant, ſuntqué illius quasi complementum. Non ſunt ſuperstitio-

sæ,

sæ, âut vanæ, sed rationabilés, atqué salutares, & omnes Divinis legibus, ac oraculis conformes.

Ad 2dum: Quæ Paulus prædicavit, atque evangelizavit, alia scripto exarata fuerunt, et in ejus Epistolis continentur; alia tantummodò ore tradita ab ipso sunt, & orali Traditione conservabantur, omnia ergo sunt secundùm Evangelium, ac prædicationem ipsius, non præter. Deinde ùt observat S. Ambrosius particula præter qua ibi Apostolus utitur, idem eo loci significat ac contra, anathematîzat igitur Apostolus eum tantùm, qui aliquid evangelizaret contrarium Evangelio, quod ipse jam prædicaverat. Traditiones autem quas defendimus non sunt contrariæ Evangelio, ab ipso prædicato, sed in omnibus illi conformes, unde & ipse Thesalonicensibus præcipit in Epist: 2da Tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram

Ad 3tium: Docet S. Paulus eo loci, Sacram Scripturam esse utilem, ad docendum, arguendum, sed non dicit illam esse sufficientem, ac omnia complecti; unde Traditiones non excludit, quas alibi multùm commendat.

Ad 4tum: S. Iræneus & Tertulianus respuunt Traditiones falsas, illasqué Hæreticis exprobrant, quas illi à suis Hæresiarchis acceperant, easqué loco Scripturæ, ac Traditionum Apostolicarum obtrudere conabantur.

Ad 5tum: Docent SS. Patres, Scripturas Sacras sufficere in aliquibus quidem, sed non in omnibus. Præcipua siquidem fidei nostræ Dogmata, ex solis Scripturis possunt probari adêo, ut necesse non sit alia proferre argumenta. Verum alia aut nullatenùs, aut nonnisi obscurè in Scriptùra sunt expressa, ad illa itaquè illustranda, atqué stabilienda, Divinæ Traditiones sunt necessariæ.

Quæres 3. Cujus Authoritatis sunt Traditiones Divinæ?

Resp: Sunt Divinæ authoritatis, ac paris cum authoritate Sacræ Scripturæ, Id ex supra adductis, in Epist: ad Thesal: S. Pauli Apostoli verbis manifestissimum efficitur. Iubet namquè ut Thesalonicenses, stabiliter, ac immobilitèr teneant doctrinam, quam ab ipso sive per Epistolam ac proinde Scripturam, sive per sermonem ac proptereâ oretenùs acceperunt, ejusdem igitur authoritatis erat doctrina sivè Scriptura, sivè solo sermone tradita. Unde S. Basilius libr: de Spiritu S. cap: 27. hæc habet. Dogmata & instituta quæ in Ecclesia prædican-

tur,

tur, quædam habemus è doctrina scripta, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in occulto tradita recipimus, quarum utraquè parem vim habent, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuitèr expertus est, quæ sunt Jura Ecclesiastica. Idem quoquê ex sensu Ecclesiæ certissimum est, semper namque Ecclesia in condendis fidei definitionibus non solùm Scripturam, sed etiam Traditionem, consuluit: & adhibuit. Sic tertiô Ecclesiæ Sæculô S. Stephanus Papa rebaptisantibus solam opposuit Traditionem scribens. Nihil innovetur, quod traditum est, servetur. In Concilio Nicæno 1mo juxta Athanasium, atqué Theodoretum Arij impietas, non solùm ex Scripturis, quas iste Hæresiarcha eludere conabatúr, sed ex perpetua Ecclesiæ & Patrum, qui præcesserant Traditione proscripta fuit. In Concilio quoquè Chalcedonensi Eutychiana Hæresis damnata est, postquam veterum Ecclesiæ Patrum mens, & antiqua Traditio diligenter investigata fuit, prôut in Decreto ex Epistola Leonis exprimebatur. Imo solâ præeunte Traditione, sine Scripturarum testimoniis in Concilio Ephæsino nomen Deiparæ quod nullibi in Scripturis reperitur, Beatæ Mariæ Virgini contra Nestorium assertum fuit: & in Concilio Nicæno 2do usus ac veneratio Sacrarum Imaginum, ex sola Traditione contra Iconoclastas definitus, atquè Decretus fuit. Quare in Concilio Constantinopolitano 4to Canone 1mo dicitur. Ut rectam Divinæ justitiæ viam sinè erroris offensa teneamus, Sanctorum Patrum decreta sequenda sunt. Traditiones enim sivè per sermonem, sivè per Epistolam majorum nostrorum acceptas, magnus Apostolus tenendas monet. Unô verbô omnium Hæresum profanæ novitates ex inscriptione, & collatione Traditionum semper fuerunt convictæ, & damnatæ. Igitur Traditio non minus est regula fidei & morum, quam Scriptura Sacra, quia non minùs quam ipsa, verbum Dei censeri debet, æqualis est ergo authoritatis. Unde etiam novissimè Synodus Trid: Sess: 4ta. Orthodoxorum Patrum exempla secuta, Traditiones tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenûs à Christo vel à Spiritu S. dictante, & continuâ Successione in Ecclesia Catholica conservatas pari pietatis affectu, ac reverentiâ suscipere, ac venerari, se professa est.

His

His omnes Sancti Patres suffragantur. S. Hjeronymus in Dialogo contra Luciferianos cap: 4to hæc habet: Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret, nam & alia multa quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur authoritatem sibi scriptæ legis usurparunt. Et S. Chrysostomus in Epistolas Pauli scribens, Homiliâ 4tâ postquam docuit fidei dogma esse non solum ea quæ Apostoli per Epistolam docuerunt, sed etiam illa, quæ sinè scriptis tradiderunt, solam Traditionem sufficere concludit. Est Traditio, nihil amplius quære. Meritò itaquè S. S. Cyrillus Jerosolimitanus Cath: 5tâ admonet. Videte itaque fratres, ut servetis Traditiones quas accepistis, & in latitudine cordis, eas describite, & cum pietate illas custodite, ne quando vacillantes aliquos inimicus dissolvat, ne quis hæreticus, ex his quæ tradita sunt, aliquid evertat.

Obijcies 1mò: Traditionum usus magnam præbet erroris occasionem, nihil enim fuit, & est familiarius errantibus hæreticis, quàm Traditionem prætexere: quare Traditionibus non semel abusi sunt Hæretici. 2do: Testimonium humanum non est ejusdem cum verbo Dei authoritatis. Traditio autem humanum duntaxat est testimonium, ipsa enim eruitur ex Scriptis Patrum, qui homines fuerunt. 3tio: Certum est multas olim in Ecclesia obtinuisse Traditiones, quæ postea obsoleverunt, quemadmodum usus lactis, & mellis prægustandi à baptisatis, trina immersio in Baptismate, communio sub utraque specie, & aliæ multæ.

Resp: Ad 1. Tradîtiones illas, quas Hæretici in confirmationem sûorum errorum, adducebant, fictas fuisse ac commentitias, non autem veras ac Divinas ab Apostolis acceptas, quod ex judicio Ecclesiæ constat quæ illas repudiavit, quamquam igitur Traditionibus abutebantur Hæretici non inde consequitur illas reijciendas esse, nam & Sacris Scripturis abusi sunt Hæretici, ex male intellectis, aut perversé illas interpretantes, errores suos procuderunt, non propterea tamen repudianda est Scriptura.

Ad 2. Licèt Traditio ex humano Patrum, Pastorumquè consensu nobis innotescat, non idêo tamen humanum testimonium dici potest, sed est verè verbum Dei,

Di-

Divinamqué complectitur doctrinam, quæ vivâ voce promulgata, ad posteros etiam transmissa fuit.

Ad 3. Aliæ sunt Traditiones Divinæ, ad fidem & mores pertinentes; istæ constantes sunt, nec una ex illis afferi potest, quæ temporis vetustate obsoleverit. Aliæ verò sunt Ecclesiasticæ ad disciplinam pertinentes, quemadmodum sunt illæ, quæ in objectione laudantur. Istæ mutabiles sunt & pro temporum circumstantiis variari possunt ac permutari.

ARTICULUS 3tius
De Authoritate Sanctorum Ecclesiæ Patrum.

Quæres 1. Qui Sanctorum Patrum loco habendi sunt?

Resp: Non quivis Scriptores Ecclesiastici Sanctis Patribus accensendi sunt, sed ij soli, qui communi Ecclesiæ consensu recipiuntur tanquam fidei, morumquè Doctores, qui singulari Dei Providentiâ Ecclesiæ dati sunt, ùt in ea doctrinam à Christo Domino, & ab Apostolis traditam conservarent, atque ad posteros illibatam transmitterent. Porro é Patribus alij Latini sunt, alij Græci. Latini sunt præcipui: Tertulianus, Cyprianus, Ambrosius, Hjeronymus, Augustinus, Gregorius Magnus. Græcorum præcipui sunt: Ignatius, Justinus, Iræneus, Origenes, Athanasius, Basilius, Gregorius Nanzianzenus, Joannes Chrysostomus, & alij bene multi, utriusquè Ecclesiæ Doctores.

Quæres 2. In quot ætates distingvi debeant Ecclesiæ Patres?

Resp: Ecclesiæ Patres in tres potissimum ætates distingvi debent. Prima ætas continet tria priora Ecclesiæ Sæcula. Secunda, tria subsequentia complectitur. Tertia ætas extenditur ab initio sæculi septimi, usquè ad initium decimi tertij, quô Scholas occupare cæperunt, qui dicuntur Scholastici. Patribus primæ ætatis, tantò plùs venerationis debemus, quantò viciniores sunt Apostolis, qui sunt fontes ac origines Divinarum Traditionum, quarum custodes ac testes sunt Sancti Patres. Non minor etiam veneratio tribuenda est Patribus secundæ ætatis, in rebus fidei, ac morum, quas tradunt. Tertiæ ætatis Patres etsi nec antiquitate, nec eruditiône, nec eloquentia pares sint præcedentibus, tamen in ijs, quæ ab ipsis acceperunt tradendis, quodammodò illis æquiparantur.

Quæres 3tio. Quotupliciter spectari posſunt Patres?

Resp: Eccleſiæ Patres ſpectari, atquè conſiderari posſunt duplici modô: vel ſeorſim & ſinguli ab aliis ſeparatim, vel ſimul & conjunctim cum cæteris omnibus, prôut in eandem doctrinam tradendam, aut conteſtandam ſimul conſpirant. Doctrina verò illorum, vel eſt de rebus ad fidem & mores pertinentibus, vel de rebus indifferentibus, Philoſophicis ac naturalibus.

Quæres 4to. In rebus fidei & morum qualis ſit Eccleſiæ Patrum authoritas?

Resp. 1mo: Eccleſiæ Patrum unanimis conſenſus in rebus fidei ac morum, eſt irrefragabilis authoritatis. Quia non eſt posſibile illos omnes ſimul ſumptos errare. Siquidem Sancti Patres poſt Apoſtolos ſingulari Providentia, Eccleſiæ â Deo dati ſunt, ut illam illuſtrent, & ab omni errore præſervent, quod verbis Apoſtoli Pauli luculentisſimè comprobatur, qui in Epiſtola ſua ad Ephæſios cap: 4to hæc habet: Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verô Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, ut jam non ſimus tanquam parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Igitur poſt Prophetas, Apoſtolos, a què Evangeliſtas, poſuit Deus in Eccleſia ſua Paſtores, & Doctores, & non aliô fine id præſtitit niſi in opus miniſterii, quod eſt prædicare, docere, in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, cujus membra ſunt fideles, ut ipſi ſalutari doctrina paſcantur, atquè alantur, & jam non ſimus tanquam parvuli fluctuantes, & non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Porro ſi & ipſi Paſtores, Doctores, ſe ipſos fallentes nos decipiant, & ſeducant, jam tutò inveniri veritas non poterit, jam continuò ùt parvuli fluctuabimus, omni vento doctrinæ circumferemur in nequitia hominum, & vix erit aliquod efficax remedium evitandi ne circumveniamur in aſtutia erroribus. Hæc cùm Divinæ repugnant Providentiæ, Chriſtiqué promisſioni, qua pollicitus eſt ſe nobiscum eſſe usquè ad conſummationem ſæculi, credendum eſt omnes ſimul ſumptos Patres atquè Doctores, cùm unanimi conſenſu aliquid in rebus fidei ac morum docent errare vix

poſſe.

posse. Unde egregiè Vincentius Lirinensis scripsit: Ob id ergo post Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Sanctos quoquè Doctores accepimus, quo eorum Catholicam, hoc est, universalem intelligentiam, tanquam Ecclesiæ regulam à Deo præscriptam, sequeremur. Cùm itaquè Sanctorum Patrum ac Doctorum universalis intelligentia, doctrina ac sensus illorum communis, sit regula à Deo Ecclesiæ præscripta, quam sequi oportet, quemadmodùm hæc regula falli nequit, ita nequè illorum universalis intelligentia decipere nos potest.

Id ipsum evincitur ex mente Ecclesiæ. Ipsa enim in Conciliis congregata, dum aliquid fide credendum definivit, profitetur se Patrum sequi sententiam, atquè fidem; nihilqué unquam in Conciliis statutum fuit, nisi prius Sanctorum Patrum examinatis scriptis. Sic in Concilio Nicæno 1mo vox consubstantialis quamquàm in Scripturis non reperiretur, quia tamen à veteribus Patribus usurpata fuerat, ad hæresim Arianam condemnandam adhibita fuit. In Concilio Chalcedonensi lecta S. Leonis ad Flavianum Epistola conclamatum fuit: Hæc est Patrum fides, omnes ita credimus. Synodus 5ta Generalis definivisse se omnia asserit, quæ tradita sunt tam à Divinis Scripturis, quam à Sanctorum Patrum doctrina. In Viennensi Concilio Clemens 5tus dixit: Nos ad Sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis aciem convertentes, Sacrô approbante Conciliô declaramus. Meritò igitur Synodus Tridentina: Orthodoxorum Patrum exempla secuta, Traditiones ad fidem & mores pertinentes suscepit, & districtè prohibuit, ne quis contra unanimem Sanctorum Patrum sensum Sacram Scripturam interpretari audeat. Mens igitur Ecclesiæ hæc semper fuit, omnes simul Ecclesiæ Patres ac Doctores in aliquo fidei ac morum dogmate consentientes, ne utiquè falli. Certè ex communi Sanctorum Patrum consensu, certò nobis innotescit, doctrinam quam tradunt, communem fuisse Ecclesiæ Catholicæ fidem, ipsamqué ab Apostolis revera descendisse. Ergo quod omnes simul Sancti Patres unanimi consensu tanquam fidei, morumqué dogma tradiderant, id pro dogmate certo tenendum est.

Objicies 1mo: Ecclesiæ Patres falli possunt, quia homines sunt, & si possunt singuli seorsive falli, possunt alli & omnes simul, ac reipsa multi in multis errarunt.

2do. Non potest nobis constare de unanimi Patrum consensu, quia veterum, qui primis Ecclesiæ Sæculis floruerunt, pleraque ſcripta perierunt. 3tio. Inter ſcripta ſub nomine Sanctorum Patrum edita, multa, ſunt ſuppositititia, quæ verò genuina dicuntur, interpolata ſunt. Ergo ex iis nullum certum argumentum deduci potest.

Resp. Ad 1mum: Ecclesiæ Patres, si singuli distributivè considerentur falli poſsunt, quia homines ſunt, nulliquè donum infallibilitatis attributum est, quod ſoli Ecclesiæ à Christo conceſsum fuit: si verò collectivè ſumantur, & simul aliquod dogma communi consensione docent, fieri nequit ut fallantur, & fallant, inde enim Ecclesia ipsa maximum pateretur detrimentum, quæ Patres ac Doctores quemadmodum Custodes, ac testes Divinæ doctrinæ ſemper venerata est. Et quanquam singuli eorum, errare potuerint, non inde ſequitur, omnes quoquè simul ſumptos errare poſse, Divinæ siquidem contrarium est Providentiæ, tot ac tantos testes in errorem simul conspirare. Et revera in aliquibus nonnulli è Sanctis Patribus errârunt, maxime in rebus ad Religionem minime pertinentibus, ſed omnes simul in aliquo dogmate illos erraſse ostendi non potest.

Ad 2dum: Unanimis Patrum consensus non debet ſummi mathematicè, & non est neceſse, ut ne unus quidem desit, cujus testimonium non proferatur, ſed ſummi debet moraliter tantum, ad quod ſufficit, si diversarum nationum ac temporum, præcipuè in aſsertione alicujus dogmatis, conveniant. Sat etiam multa nunc ſupersunt opera Patrum qui primis Ecclesiæ ſæculis floruerunt, ut ostendatur ipsos non aliud docuiſse, quam quod per ſequentium ſæculorum Patres edocti ſumus, qui certè ut ipsi, id ſolùm prædicârunt, atquè ſcriptis consignârunt, quod ab antiquioribus didicerunt, & acceperunt.

Ad tertium: Licet quædam ſunt opera Patribus ſupposita, tamen innumera ſunt, quæ genuina eſse nullus jure negaverit. Quod verò ſpectat loca, quæ dicuntur interpolata, ea pauciſsima ſunt, & levioris momenti, quæ etiam ope critices, ex veterum manuscriptorum ad invicem collatione, resarciuntur atquè emendantur.

Quæres 5to. Quæ sit authoritas Sanctorum Patrum in rebus naturalibus, philosophicis ac indifferentibus?

Resp: Sanctorum Patrum authoritas, sive paucorum, sive etiam plurium, in quæstionibus Philosophiæ, aliarumqué ſcientiarum naturalium, certa argumenta non

ſup-

ſuppeditat, ſed tantùm valet, quantùm persvadet ratio naturalis. Nequè enim Sanctorum Patrum studium fuit, in ſcientiis naturalibus perscrutandis, ſed ubi quæstiones istiusmodi incidant, ibi opiniones, ſententiasqué quibus imbuti erant ſupponunt, ac ſequuntur, non eas an veræ sint operosè examinant. Pari modo authoritas Sanctorum Patrum, in eo genere quæstionum Theologicarum, quæ ad fidem moresqué non pertinent, certum argumentum non præbet. Siquidem quæstiones istiusmodi, cùm nequè in Scriptura Sacra nequè in Divinis Traditionibus expreſsæ sint, adêoquè eas tanquam Divinitus acceptas tradere non potuerunt, quidquid verò Sancti Patres non tradiderunt, tanquam Divinitus acceptum, id ſolâ ratiocinatione humanâ assecuti ſunt, quod verò sic aſsecuti ſunt, id omninò certum, ac infallibile non est.

Plura de usu atquè authoritate Sanctorum Patrum in Patrologia videri poſsunt.

DE

CONCILIIS

CAPUT PRIMUM

De natura & forma Conciliorum.

ARTICULUS 1mus

De natura Conciliorum.

Quæres, 1mo. Quid sit Concilium?

Resp: Concilii nomine idem significatur in Ecclesia, quod Commitiorum appellatione in Regnis denotatur. Et quemadmodùm Regni Commitia nihil aliud ſunt, quam Principum, ac Procerum Regni, in unum locum congregatio ut de negotiis Regni tractent, ita etiam Ecclesiæ Concilium nihil est aliud, quàm Præsulum Ecclesiæ in unum locum conventus, ut de rebus Ecclesiæ agant.

Quæres 2do. Conciliorum usus estné in Ecclesia antiquus?

Resp: Usus Conciliorum in Ecclesia est antiquiſsimus, & ab ipsis Apostolis usurpatus. Siquidem ortâ Antio-

tiochiæ dissensione circa legalium observationem, ut habetur Actorum cap. 15. statutum est ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ad Apostolos & Seniores, qui convenerunt videre de verbo hoc; postquam autem facta esset maxima disquisitio, Petrus & Jacobus sententiam dixerunt, & synodicè definitum fuit; Gentibus ad Christum conversis nihil ultra operis imponendum esse, quàm hæc necessaria, ut abstinerent ab immolatis, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Deinceps frequenter in Ecclesia Concilia celebrata sunt, ut patet ex eorum collectione, quæ multis constat voluminibus.

Quæres 3tio. An Concilia sint absolutè necessaria?

Resp: Absolutè, & in omni casu, quamquàm agatur de quæstionibus valdé obscuris, & intricatis, Concilia non sunt necessaria. Quia Ecclesia dispersa non minùs, quam in Concilium congregata, fruitur Privilegiô inerrantiæ, ac supremâ authoritate res fidei controversas definiendi, quam à Christo accepit, unde multo plures hæreses sinè Concilio quàm in Concilio proscriptæ sunt.

Resp: 2do. Necessaria attamen interdum sunt Concilia, ex quibus utilitatis plurimum in Ecclesiam universam redundat. Namquè Concilium est medium ordinarium definiendis controversiis accomodatissimum, unde licet Apostoli seorsim potuissent definire controversiam de legalium observatione, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium à Christo ipso demonstratum, non sinè Concilio controversiam illam definire voluerunt, ex quo tempore semper fuit in Ecclesia ista consvetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur. Quod autem semper, & ab omnibus factum est, necessarium interdum esse nemo negare potest.

Quæres 4to. Quotuplicia sunt Concilia?

Resp; Quadruplicia sunt Concilia: Generalia, ad quæ totius Orbis convocantur Episcopi. Nationalia, ad quæ conveniunt unius Regni, aut Nationis Præsulés. Provincialia, in quibus sub Metropolitano reperiuntur unius tantum Provinciæ Episcopi. Diœcesana, quæ ab Episcopo celebrantur cum Clero suæ Diœcesis.

Quæres 5to. Quot modis Concilium dici, & esse possit generale?

Resp: Duobus præcipue modis; 1. Celebratione est Generale Concilium, in quo tantus fuit Episcoporum numerus ut verè in se Ecclesiam universalem representaverit.

rit. 2. Acceptatione est Concilium Generale, in quo etsi tantus non fuerit Episcoporum numerus, quantus ad representandum universam Ecclesiam est necessarius, postea tamen ab universa Ecclesia tanquam Generale acceptatum fuit. Quocunque modo Concilium generale fuerit, ejusdem semper est authoritatis, & æqualis firmitatis, quia in primo casu Ecclesiam universam repræsentat, in altero ab Ecclesia universa receptum est.

Quæres 6to. In quot classes dividuntur Concilia Generalia?

Resp: In duas dividuntur classes: Alia siquidem sunt legitima, alia illegitima. Concilium illud censetur esse legitimum, quod habet omnes conditiones, ad rite juxta Divinas & Ecclesiasticas Sanctiones celebrandum Concilium prærequisitas. Jllegitimum Concilium illud erit, quod contra Divinas, Ecclesiasticasqué Sanctiones celebratum fuit.

Quæres 7. Quæ necessaria sunt, ut Concilia legitima censeantur?

Resp: Duo præ ceteris necessaria sunt, videlicet diligentia Examinis & libertas Suffragij.

Quæres 8. Qualis diligentia Examinis requiritur?

Resp: In Concilijs prærequiritur, ac omnino necessaria est diligentia examinis, ut scilicet invocato cælesti auxilio adhibeatur omnis humana industria in veritate conquirenda. Deus enim qui omnia svaviter moderatur, viâ supernaturali apertâ ac manifestâ non adest Concilijs, sed occultâ Spiritûs subministratione, quæ certè inertibus, ac otiosis & negligentibus non conceditur. Nequè etiam Episcopis Conciliaritèr sedentibus, nova aliqua fit revelatio, sed quod in purissimis Scripturæ ac Traditionis fontibus diligenti facta inquisitione jam à Deo revelatum fuisse detegunt ac dignoscunt, id út dogma credendum statuunt, ac fidelibus proponunt. Quare in ipso etiam Apostolorum Concilio de legalibus magnam factam fuisse disquisitionem legimus, quod etiam à Patribus 5ti Concilij Act: 8vâ observatum fuit, ubi sic inquiunt. Licet Spiritûs S. gratia circa singulos abundaret, & non indigerent alienô consiliô ad ea quæ agenda erant, non tamen aliter volûerunt de eo quod movebatur definire, priúsquam communiter congregati Divinarum Scripturarum testimonijs unusquisquè sua dicta confirmaverit. Unde in omnibus quæcunque hucusquê celebrata

sunt,

sunt, Conciliis, quæstiones fidei ac morum propositæ, diligentissimé examinabantur, Scripturæ ac Sanctorum Patrum testimonia, scriptaqué illorum in medium adducebantur, disputationes instituebantur, ac re maturê perpensâ atquè summâ deliberatione discusâ, unanimi Episcoporum consensu finiebatur, ac decisa terminabatur.

Quæres: 9. Cur in Conciliis requiritur libertas suffragij?

Resp: Idêo in Concilijs requiritur libertas suffragij, quia ubi libertas non est, ibi Episcopi non quod sentiunt ipsi, sed quod vi aut metu ab ipsis extorquetur, pronuntiant: hinc præclarè Athanasius ad solitarios inquit. Quæ per tormenta extorta sunt ea jam non metuentium, sed cogentium voluntates sunt. Quare Liberius Papa, sic respondit Eusebio Eunucho ab Imperatore, ad se misso, ut ibidem scribit Athanasius: fiat Ecclesiastica Synodus longè à Palatio, ubi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec Judex minatur, & ubi solus timor Dei ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio. Itaquè ubi Episcopi in ferendo Suffragio liberi non sunt, sed per vim illud ab ipsis extorquetur, de jure nullum est Concilium, nec dici potest in nomine Christi congregatum. Idêo plura sub Constantio habita Concilia meritò reprobantur, et si numerosissima fûerint, quod in ijs omnia per vim ad nutum Imperatoris fierent, tale fuit Mediolanense trecentorum Episcoporum, & Ariminense quadringentorum, eadem sors fuit Concilij Ephesini 2di, quod meritò Latrocinium appellatur, nam in eo per vim & contra omne fas gesta sunt omnia.

Quæres 10. Quâ ratione certò nobis constare potest, Concilium quodpiam Generale esse ac legitimum?

Resp: Concilia Generalia, ac legitima esse, atquè ad juris regulas celebrata fuisse, fide humanâ certo nobis constare potest, adêo ut nemo cordatus id in dubium revocare possit. Evidens namquè esse potest ad illa ex varijs Provinciis convenisse Episcopos, ab illo, qui authoritatem habet, convocatos fuisse, eos communibus votis liberè in illa quæ definita fuerant, conspirâsse. De his & similibus, quæ ad Concilium generalé, ut legitimum sit, necessariò prærequiruntur, quemadmodum de cæteris quibusvis historicis factis fide humanâ certo nobis constare possunt, atquè hâc ratione Concilia & generalia & legitima esse, certi esse possumus. Quod si quædam sint Concilia de qui-

quibus prudentèr dubitari posſit, an ritè ac legitimè celebrata sint, tunc Ecclesiæ judicium attendendum est. Si enim universalis Ecclesiæ consensione recepta sint, argumentum est, ea fuiſse ritè peracta. Si verò è contra, universalis Ecclesiæ consensus illis non suffragatur, hôc ipso è Conciliorum Generalium numero expungi debent, quare illa tantum Concilia, tanquam generalia, àc legitima habenda sunt, quæ ùt talia, per unanimem consensum Ecclesia acceptavit: ea vero pro generalibus, ac legitimis habenda non sunt, quæ Ecclesia per unanimem consensum non acceptavit. Hâc ratione S. Athanasius in in Epistola ad Episcopos Africæ probat Concilium Nicænum et generale & legitimum esse, ita scribens. Huic certe Concilio universus orbis aſsensum præbuit, & quamquam multæ habitæ sunt Synodi, hanc agnoverant & admiratæ sunt, & subscriptione approbârunt. Et S. Leo Magnus in Epist: 75. docet, Statuta Concilij Generalis Chalcædonensis convelli non posse, sed illis inhærendum esse, quia illas universalis Ecclesia amplexa est. Unanimis itaquè Ecclesiæ universæ consensus, atquè illius acceptatio, certiſsima, atquè tutiſsima est regula, quâ Concilia ritè celebrata, ab alijs discérni poſsint.

ARTICULUS 2dus.

De forma Conciliorum.

Quæres 1. Quæ ad formam Conciliorum spectare ac pertinere censentur?

Resp: Ad formam Conciliorum pertinent, Convocatio eorum, & in illis Præsidentia.

Quæres 2. Ad quem pertinet Concilia convocare?

Resp: Concilia convocare ad solos pertinet Præsules Ecclesiæ. Enimverò convocare & celebrare Concilia ad Spirituale Fidelium, & Ecclesiasticum regimen pertinet. Nec enim aliam ob causam Concilia congregantur, quam út fidei morumqué vel Ecclesiasticæ disciplinæ capita præscribantur. Porro Spirituale & Ecclesiasticum regimen solis Præsulibus Ecclesiæ competit. Illis enim solis dedit Christus potestatem ligandi & solvendi, illos solos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei: sæculares, quamvis supremi Principes, nullas in his habent, neç habere poſsunt partes. Ergo non ad illos, sed

ad

ad Ecclesiæ Præsules, tanquam fidelium Pastores, ac Rectores pertinet Concilia convocare & celebrare. Quare ab initio statim nascentis Ecclesiæ Christi, ortâ de legalibus contentione, Convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc, quemadmodum legitur Actorum Cap: 15. & priùs adhuc ad eligendos Diaconos, dûodecim Apostoli convocaverant multitudinem discipulorum, ut habetur Act: cap: 6to Deinceps verò per tria priora Ecclesiæ Sæcula, ad ætatem Constantini Magni, celebrata sunt quam plurima Concilia, quæ non à Principibus Sæcularibus fuerunt convocata, sed ab Ecclesiæ Prælatis, quia proinde tunc illô jure fruebantur. Constantinus verò Magnus, & alij Principes fidem amplexi, jus quod Ecclesiæ Præsulibus inerat non abrogârunt, nequè Spiritualem hac in rè Ecclesiæ libertatem sustulerunt. Unde Valentinianus Imperator, quemadmodum scribit Sosomenus Libro 6to cap 7mo Episcopis petentibus facultatem cogendæ Synodi respondit. Sibi, qui unus è Lajcorum numero erat, non licere se ejusmodi negotijs interponere, & idêo Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc jura sunt sêorsum per se, ubicunquè ipsis libitum fuerit, in unum conveniant. Quibus verbis permittit quidem Synodum fieri, sed convocandos Synodos sibi non competere potestatem ultrò fatetur, ac proinde ipsis Episcopis, id jus convenire agnoscit.

Objicies: Octo priora Concilia, à Nicæno primo inchoando usquè ad Constantinopolitanum 4tum, Imperatores Romani convocârunt. Ergo ad illos pertinet Concilia etiam Generalia convocare.

Resp: Hæc Concilia convocârunt Imperatores Romani non propriò marte, sed ad petitionem, & de consensu Episcoporum, maximè verò Romani Pontificis. De Nicæno legitur Act: 18. Synodi Sextæ generalis, illam à Summo Pontifice Silvestro, pariter & ab Imperatore Constantino fuiſse congregatam: Constantinopolitanum 1mum à Damaso Papa fuiſse indictum, satis significant, ejusdem Concilij Patres in sua ad eundem Pontificem Epistola. Ephesinum 1mum de Cælestini Summi Pontificis consensu, ipsoquè sciente fuiſse convocatum ex Act: 3tia apparet, ubi dicitur, antequam hæc Synodus conveniret, Cælestinum per litteras suas indicâſse Cyrillo Episcopo, & ut vices ejus subiret, commisiſse. Chalcædonense sinè dubio ex decreto S. Leonis indictum fuerat. Quintum Concili-

cilium pariter annuente Vigiliô Papâ ad postulationem Episcoporum fuit convocatum atquè celebratum, qui quamvis Concilio, propter quasdam rationes, causasquè sibi bene visas, adefse præsens noluit, ut tamen celebraretur annuit, atquè consensit. De sexto, septimo, atquè octavo Conciliis idem dici debet, constat enim ex variis Epistolis, quæ Actis horum Conciliorum præmittuntur, ipsâ nonnisi re priùs cum Episcopis, ac præsertim cum Romano Pontifice communicata, convocata fuifse. Unde cúm in antiquis monumentis legitur, octo priora Concilia Generalia ex Imperatorum Sanctione convocata fuifse, id non debet ita intelligi quasi authoritate regiminis, quæ ad solos Ecclesiæ Præsules pertinet, Imperatores illa Concilia convocaverint, sed quia ad illorum convocationem ac celebrationem, suum auxilium, præsidium, Imperiali potestate contulerint, illaquè convocare ac congregare suis in Urbibus permiferint. Episcopi siquidem tunc temporis paupertate prefsi, non poterant magnas itinerum expensas sustinere, necefse itaquè erat, ex publicis sumptibus alimenta, & vehicula illis suppeditare, & quia Civitates in quas pro celebrando Concilio conveniendum erat, Imperatoris ditioni subjiciebantur, legibusquè cautum erat, ne absquè Imperatoris licentia conventus fierent, ideô sinè Imperatoris consensu nullum generale præsertim Concilium haberi, nequè locus pro ipso celebrando afsignari potuit. His de causis quando ex Episcoporum, maximê Romani Pontificis judicio, Concilium Generale ad bonum Ecclesiæ necefsarium videbatur, apud Imperatores agebant, ut omnes Imperij Episcopos vellet ad aliquam Civitatem convocare. Hoc & Imperatores, Prælatorum Ecclesiæ votis obsequendo, præstabant, sed propterêa jus Concilia pro nutu suo congregandi sibi arrogare non poterant. Quodsi aliquando Imperatores jus istud sibi usurparunt, atquè Concilia absque Episcoporum consilio & afsensu convocaverant, semper illa infelicem exitum habuerunt, & novas in Ecclesia turbas excitarunt, ne dum antea exortas sopirent.

Quæres 3. Potestas Concilia Generalia convocandi cui ex Præsulibus Ecclesiæ competit?

Resp: Potestas ordinaria convocandi Concilia Generalia soli Romano Pontifici convenit. Jllius siquidem est generalia Concilia convocare, qui potest singulis orbis Catholici Episcopis præcipere ut ad Concilium conveniant. Solus vero Romanus Pontifex potest Episcopis totô orbe dis-

dispersis præcipere, ut ad Concilium conveniant, quia solus in tota Ecclesia Primatum honoris & jurisdictionis obtinet, à Christo supremus omnium, sinè ullo discrimine, fidelium Pastor & Rector est institutus ac ipsi in Beato Petro pascendi, & gubernandi universalem Ecclesiam plena potestas Divinitus concessa fuit, cæterorum verò, etiam Patriarcharum jurisdictio, intra singulares Diæceses, & Provincias limitata est. Nempe ût scribit S. Bernardus Lib: 2do de Consideratione cap: 8vo Eugenium Papam alloquens, Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos, tibi universi crediti sunt, nec modò ovium, sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor. Sicut ergo Pastori convenit oves sibi commissas congregare, sic Summi Pontificis est, Generalia Concilia convocare. Sed & ipsa Concilia jus illud Romano Pontifici luculenter asserunt. Actione 1ma Concilij Chalcedonensis, Dioscorus Alexandrinus Patriarcha ejiciendus dicitur eo, quod Synodum generalem ausus esset facere sinè Apostolicæ Sedis authoritate, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Act. 6ta. Concilij 7mi Generalis exinde ostenditur irritam esse Synodum à Leone & Constantino Imperatoribus congregatam; quod Adjutorem non habuerit illius temporis Romanorum Papam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Summi quoqué Pontifices, plaudente Ecclesiâ, nedum reclamante, jus illud sibi vindicârunt. Pelagius 2dus Epist: 1ma ad Orientales ita scribit: Synodorum generalium convocandi authoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari Privilegiô est tradita, & nulla unquam Synodus rata legitur, quæ Apostolicâ authoritate non fuerit fulta. Nicolaus 1mus Epist: 38. hæc habet. Generale Concilium sinè Apostolicæ Sedis Præcepto nulli fas est vocandi. Et revera constat octo priora Concilia Generalia in Oriente ex Summi Pontificis consensu fuisse convocata: quæ veró deinceps in Occidente celebrata sunt, ex illius decreto convenisse, nemo inficiari potest, ac proinde jus illud, quod nemine contradicente, imò consentientibus omnibus Catholicis per tot sæcula Romanus Pontifex exercuit, Romanæ Sedi competere certissimum est. Ex hoc manifestè consequitur, quod etsi daremus Romanorum Imperatores aliquando in Oriente Concilia Generalia convocâsse, id nullatenus potest præjudicare juri quod Romani Pontifices habent, ut ipsi soli Concilia Generalia

con-

convocent, quia facta à jure debent accuratè secerni, nec sequitur illi jus in aliquam rem statim convenire, quia illam sibi vindicaverit: constat verò Græcos Imperatores aliquando plus sibi in negotijs Ecclesiasticis vindicâsse, quam ipsis re ipsa conveniret, qua in re nec ipsi Summi Pontifices semper Imperatoribus, ob bonum pacis obsistebant, & sæpius de Jure suo aliquantulum remittebant, ut facilius ipsorum præsidium, ac protectionem, pro fidei atquè Ecclesiæ emolumento, demererentur.

Quæres 4. An non posit dari casus, in quo Concilium Generale ab alio, quam à Romano Pontifice posit convocari?

Resp: Duo sunt casus in quibus sinè Romani Pontificis convocatione posit generale convenire, & celebrari Concilium. Primus: Quando duo vel plures contendûnt de Papatu, quorum nullus est in posesione illius, nec aliter quam per Concilium generale lis et contentio dirimi, ac finiri posit. Tunc enim Concilium Generale aliter congregandum est, quam per Romanum Pontificem, cùm nullus ex contendentibus Pontificibus sit in Posesione Papatûs, ac propterea Sedes Apostolica vacare censenda est. Secundus. Dum ex pluribus de Papatu contendentibus Pontificibus, is qui est in posesione illius, non vult generale Concilium convocare, quo lis et contentio dirimatur ac terminetur, tunc enim cúm necesitas postulat, ut Ecclesiæ de Summo Pontifice certò constet, & per Concilium generale tantùm, huic necesitati, quæ maximi est momenti congruenter ac opportuné provideri posit, aliter istud quam per Romanum Pontificem convocare necese est.

Quæres 5. Quinam debeant ad Concilia vocari?

Resp: Ad Concilia vocari debent, qui ad eorum celebrationem necesarij sunt. Jlli autem vel Judices sunt, qui suffragium decisivum ferunt, vel Consultores, qui disputando quæstiones controversas examinant.

Quæres 6. Qui ùt Judices ex Divina institutione jus habent in Concilijs decisivum ferendi suffragium?

Resp: Soli Episcopi ex Divina institutione habent jus in Concilijs decisivum ferendi suffragium. Scripturæ namquæ Sacræ solis Apostolis et eorum Succesoribus Episcopis tribuunt regendæ atquè gubernandæ Ecclesiæ potestatem, jus docendi atquè prædicandi, ipsisquè solis asistentia Divina promisa est. Solis Apostolis præcepit Christus, ut docerent Gentes, dicens eis Math: cap: 28.

Eun-

Euntes docete omnes Gentes: illis afsistentiam suam usquè ad finem mundì duraturam appromisit, Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usqué ad consumationem sæculi: unde Petrus Apostolus in Epist: 1ma cap: 5to Episcopos admonet. Pascite qui in vobis est gregem Dei. Et Apostolus Paulus Actu: cap: 26. Episcopos graviter hortatur dicens: Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Cúm itaquè ad solos Episcopos ex Divina institutione pertineat docere, & doctrina gregem Domini pascere, Ecclesiam Dei regere ac gubernare, ipsi ergo soli ex Divina institutione jus habent in Conciliis decisivum ferrè suffragium. Idem evincitur ex Concilijs, quæ pafsim testantur ac definiunt, solos Episcopos de jure Concilijs interefse, tanquam Judices decretis in illis latis subscribere, & in eis suffragium decisivum habere. Actio: 1ma Concilij Chalcedonensis, Episcopi adversus quosdam Clericos qui Synodum ingredi volebant, sic exclamârunt; Synodus Episcoporum est, non Clericorum, superflûos foras mittite, Synodus Episcoporum est. In Synodo Constantinopolitana sub Flaviano celebrata refertur Monasteriorum Præpositos, imprimis verò Martium Presbyterum, Euticheti ipsorum subscriptionem emendicanti respondifse. Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantum, quibus verbis agnoverunt, illi Religiosi Presbyteri non sibi, sed solis Episcopis concefsam efse potestatem de fidei & Ecclesiæ negotiis dijudicandi. Quare Decreta Conciliorum, quibus cum Episcopis etiam Presbyteri interfûerunt, solis tantummodo Episcopis attribuuntur. Sic Nicæna definitio sæpiùs vocatur trecentorum octodecim Patrum fides, & nuncupatò centum quinquagînta Patrum Conciliô, Constantinopolitanum primum statim ab omnibus intelligebatur, licèt plures Nicœnæ & Constantinopolitanæ Synodo interfuerint Presbyteri; certè in tota retrò antiquitate, soli semper Episcopi, seu fidei Judices, & traditionum Divinarum interpretes habebantur. Hegesipus qui 2do Ecclesiæ sæculo florebat, Eusebiô teste lib. 4to hist. cap. 21. itinere versùs Romam suscepto eam multis Episcopis sermonem contulit, & unam eandemque accepit ab omnibus doctrinæ institutionem. Sanctus quoque Iræneus lib. 4. cap. 34. ad solos Episcopos remittit, ut ex eorum Judicio, & uniformi prædicatione veritas habeatur.

In

In Ecclesia Presbyteris obedire oportet, qui ſucceſsionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatûs ſucceſsione charismata veritatis certum acceperunt. Quare Synodus Alexandrina ad Nestorium ſcripsit: Sentias & doceas quæ nos universi sive per Orientem sive per Occidentem Episcopi credimus & docemus. Soli igitur Episcopi, sive per Orbem dispersi, sive in Concilio congregati ſunt fidei Judices, ipsi ergo ſoli in Conciliis decisivum habent ſuffragium.

Objicies. In multis Conciliis, etiam Generalibus Presbyteri simplices, non modò interfuerunt, ſed ſubscripserunt, & ſententiam dixerunt.

Resp: Verum est multis Conciliis interfuiſse simplices Presbyteros, ſed alii Clerici illis interfûerunt, Episcopos adjuvando in refellendis, atquè convincendis Hæreticis, cum iis disputando, errores illorum detegendo, documenta ad probandam ac corroborandam veram fidei morumquè doctrinam, proferendo, illustrando, verbo interfûerunt multis Concilis simplices Presbyteri, ut Consultores non ût Judices. Sic S. Athanasius adhuc Diaconus in Synodo Nicæna maximam partem Concilii quemadmodum in oratione funebrali ſcribit S. Gregorius Nanzianzenus, contra Arium ſuâ doctrinâ, eruditione ac eloquentiâ ſustinuit. Aliquando simplices Presbyteri in Conciliis & ſententiam dicunt ſed consultivam & doctrinalem, quomodò factum in Synodo Romana ſub Siricio Papa legimus, qui in Epist. 2da ad Ecclesiam Mediolanensem sic loquitur: Adversùs Jovinianum omnium nostrum, tam Presbyterorum & Diaconorum, quam etiam totius Cleri ſuscitata fuit ſententia. Aliquando Decretis, Statutis ſubscribunt, ſed insignum obedientiæ, & ſubmiſsionis, quomodò ſæpiùs legitur Laicos ipsos Conciliis præsentes ſubscripsiſse. Demum aliquando etiam ſuffragium ferunt, ſententiam dicunt, ſed ex conceſsione Ecclesiæ Episcopis annuentibus, vel etiam ex commiſsione, & loco Episcoporum, quorum legatione in Conciliis fungebantur, verum nunquam Jure ac nomine proprio res fidei aut morum decidebant.

Quæres 7mo. Ad Concilium Generale qui Episcopi debent vocari?

Resp: Ad Concilium Generale omnes debent vocari Episcopi totius Ecclesiæ. Omnes enim Episcopi à Deo positi ſunt in Ecclesia Pastores & Rectores, atque Docto-

res gregis Dominici, ipsis concreditum est depositum doctrinæ Christi, ad eos ſpectat videre de omni verbo, & quemadmodum illis, atquè Spiritui Sancto visum fuerit de eo statuere, quare omnes Divina institutione Judices ſunt, & non modò ligandi atquè ſolvendi, ſed & docendi, arguendi potestatem à Christo acceperunt, omnes itaquè totius Ecclesiæ vocandi ſunt Episcopi, quatenus in Generali Concilio Ecclesiæ atque Religionis bono ipsi consulant, nullusquè qui venire voluerit excludi potest. Quare legitimum non erit Concilium Generale, ad quod vel non omnes vocati ſunt Episcopi, vel non omnes, qui venire voluerunt, admiſsi fuerant.

Resp: Certum est, non requiri ut omnes prorsus totius Ecclesiæ Episcopi Concilio Generali intersint, id enim impoſsibile est, & in nullo unquam Concilio practicatum fuit. Neque etiam necesse est, ut intersit, major, media aut tertia Episcoporum pars, nullusquè determinatus numerus aſsignari potest, ſed ut legitimum sit Concilium, tot ex omnibus Provinciis convenire debent Episcopi, ut Ecclesiam universalem ſuo cætu representare valeant, quod certè fieri potest, licèt ad Concilium congregati Episcopi, multo pauciores sint eis, qui à Concilio absunt, dummodò tamen ex variis Provinciis, & diversis orbis partibus aliqui adsint, tum enim totius moraliter Ecclesiæ ſensus haberi potest. Quodsi pauci nonnisi Conciliö Episcopi adeſsent, ac fere omnes ex eadem Provincia, cæteris præsertim ne adeſsent legitime, impeditis, Concilium illud pro Generali non haberetur.

Quæres 9no. Quis in Concilio Generali præsidere & illi præeſse debeat?

Resp: Romanus Pontifex & quidem ſolus, jus ordinarium habet, præsidendi Conciliis Generalibus. Romanus siquidem Pontifex S. Petro ſuccedit in Primatu, & in iis omnibus quæ ad Generalem totius Ecclesiæ statum ac regimen pertinent. Porrò S. Petrùs jure à Christo sibi conceſsò Pastorum Ecclesiæ præerat congregationi, ipsi enim à Christo dictum fuit Joannis cap: 20. Pasce agnos meos, pasce oves meas; hoc est interprete S. Chrisostomo in hunc locum: Esto præpositus loco mei, & caput fratrum tuorum. Jus ergo idem Romano convenit Pootifici, atque ex Primatu quem in universa tenet Ecclesia, necessariò consequitur, vi cujus pleniorem inter omnes sibi vindicat authoritatem. Si enim in Republica Princeps Commitiis præest, Romanus Pontifex Eccle-

clesiæ caput, & Pastorum Princeps à Christo constitutus, debet iis Conventibus præesse, quæ universalem Ecclesiam repræsentant. Atquè illud exemplô suô S. Petrus comprobavit, ipse enim in tribus illis Apostolorum Conciliis, quæ in Actibus à S. Luca referuntur, præfuit ac primus sententiam dixit, præsertim in tertio, quod Actorum cap. 15. describitur, quippe ut observat S. Hieronymus Epist. 11ma ad S. Augustinum: Primus surrexit, primus locutus est, primus quæstionem definivit, & omnes sententiam ejus secuti sunt.

Idem ex usu Conciliorum comprobatur, quæ Romano Pontifici jus præsidentiæ concorditer asserunt, & in quibus ille semper præsidebat; in Concilio Nicæno primo nomine Silvestri Papæ præfuerant Osius Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius Præsbyteri. Hi enim tres omnium primi subscripserunt. S Athanasius in Apologia sua de fuga, Osium Synodi Nicænæ Præsidentem, & Principem vocat, Socrates lib. 1mo hist. cap. 9. ubi Nicænos Patres recenset, primum locum Osio, Vito, & Vincentio tribuit, secundum Alexandrino, tertium Antiocheno, juxta ordinem in Canonibus Nicænis definitum; At quâ ratione Osius mediocris in Hispania Ecclesiæ Episcopus id honoris habuisset præ Patriarchis, Alexandrino & Antiocheno, quibus hæc ipsa Synodus Nicæna secundum & tertium à Romano Pontifice locum assignat, nisi primæ Sedis Romanæ scilicet, vices egisset. Idem de Vito & Vincentio Præsbyteris dici debet, qui nunquam primi sedissent, & subscripsissent ante ipsos Episcopos, & Patriarchas, nisi locum tenuissent Romani Pontificis, à quo Nicæam missi fuerant.

Concilio Ephesino Generali 3tio præfuit S. Cyrillus nomine, & vice Cœlestini Summi Pontificis. Id constat ex Act. 1ma ejusdem Concilii, ubi Cyrillus dicitur Cœlestini locum obtinuisse, sed & Cœlestinus ipse in sua Epistola ad Cyrillum, ipsi vices suas in toto Nestorii negotio committit, sic scribens: Quam ob rem nostræ sedis authoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate usus, ejusmodi non absquè exquisita severitate sententiam exequeris. Insuper ab eodem Cœlestino directi sunt Ephæsum duo Legati Arcadius & Philippus, qui speciali ratione, non derogando juri quod Cyrillus priùs acceperat, ipsum in Concilio repræsentabant, quare ipse ante cæteros Romani Pontificis legatos primus subscripsit Concilii Actis, atque in toto

ipsius tractu, præsertim Actione 3tia, 7ma. Cyrillus Cœlestini locum obtinere dicitur, Præses & Princeps vocatur.

In Chalcedonensi Concilio, quod fuit Generale 4tum per Legatos ſuos præfuit, S. Leo Summus Pontifex, sie enim ipse in Epistola ad Patres Concilii loquitur ſuos mittens Legatos, Paschasinum nempè Julianum & Bonifacium; In his fratribus qui ab Apostolica Sede directi ſunt, me Synodo fraternitas vestra existimet præsidere, & in Epistola ejusdem Concilii ad S. Leonem ita Patres inquiunt de iisdem illius Legatis: Tu quidem sicut membris caput præeras in his qui tuas vices obibant. Et revera S. Leonis Legati in singulis illius Concilii Actionibus primi nominantur, primi ſedent, ac loquuntur, ſubscribunt primi in Dioscorum, nomine Summi Pontificis, ac totius Concilii ſententiam ferunt.

Sexto & ſeptimo Concilio Generali præfuiſse Summos Pontifices Agathonem & Adrianum rimum, inde patet, quia eorum Legati in omnibus Actionibus illorum Conciliorum, primi ſemper nominantur, loquuntur & ſubscribunt: Idem de 8vo Generali Concilio dici debet, ad cujus calcem Donatus Adriani II. Papæ legatus his verbis subscripsit. Ego Donatus Dei gratiâ Episcopus Ostiensis, locum obtinens Domini mei Adriani universalis Papæ, huic Sanctæ & universali Synodo præsidens omnia quæ superius leguntur promulgavi, & manu mea subscripsi.

Inutile verò foret ea recensere Concilia quæ in Occidente celebrata sunt, quia convenit inter omnes Summos Pontifices plerisquè eorum per ſe ipsos, aliis autem per legatos præfuiſse, ac proinde ex constanti Ecclesiæ praxi manifestum fit, in Conciliis Generalibus ordinarium jus præsidendi Romano Pontifici convenire.

At inquies. Certum est Concilio Generali ſecundo, & quinto, nequè per se, nequè per Legatos Romanum præfuiſse Pontificem.

Resp: Concilium Generale secundum quod est Constantinopolitanum I. illud in se prôut Constantinopoli celebratum est, non fuiſse Generale, cum nullus illic adfuerit Episcopus Occidentalis, nec aliquis Ecclesiæ Occidentalis Legatus, quia eodem tempore Damasus Papa Occidentalium Episcoporum Romæ Synodum celebrabat, sed postea accedente Occidentalium Episcoporum unanimi con-

sensu,

sensu, illud Orientale factum est Generale, maximè cùm ipsum Damasus Romanus Pontifex suæ authoritatis ponderε confirmaverat.

Quod verò attinet Concilium 5tum Constantinopoli similiter celebratum, equidem Eutichius Patriarcha Constantinopolitanus, & non Vigilius Papa, qui tunc etiam Constantinopoli aderat, illi præfuit, quia ipse noluit, & omninò recusavit, sed jus habuit, & revera si voluisset præsidere potuisset, unde & Eutichius ipse, & omnes illius Concilij Patres multoties professi sunt Vigilio Summo Pontifici Præsidentiam debitam esse, si Concilio interesse voluisset, & ut hoc faceret, tum per honorificas legationes, tum per Epistolam nomine Concilii scriptam invitatus & rogatus fuit, in qua hæc habentur. Petimus præsidentæ nobis Vestra Beatitudine communi tractatu eadem Capitula in medio proponendo: Sed Concilij precibus non annuit Vigilius, responditqué Patribus Synodi, ut illi *Act:* 2da: retulerant, non posse unà nobiscum convenire, eo quod plurimi hìc sunt Orientales Episcopi, pauci verò cum eo. Itaque licèt Concilio quinto Vigilius Papa non præfuerit, jus tamen præsidendi habuit. Sed & propterea quod istud Concilium à solis Orientalibus Episcopis celebratum fuerit, Vigilio Romano Pontifice, alijsqué Episcopis Occidentalibus dissentientibus, multæ Ecclesiæ diu recusabant illud recipere, & revera non fuit Generale, nisi postquam Vigilius ejusqué successor Pelagius Romani Pontifices cum universa Ecclesia ei adhæserunt, ipsumqué confirmârunt ac roborârunt.

Objicies. In plerisquè Concilijs Generalibus quæ prioribus Ecclesiæ sæculis celebrata sunt, Imperatores præfuerant. Ergo jus illud non soli Romano Pontifici competit.

Resp: Imperatores nihil possunt in ijs, quæ ad internum Ecclesiæ regimen pertinent, sed tantum in illis quæ spectant ad rerum ab Episcopis definitarum executionem, auxilium præstare, opem ferre possunt ac debent. Illorum pariter erat in Conciliis res ordinare, tumultibus obviare, ut omnia paccatè, atquê ordinatè sinè strepitu, turbis ac violentiis ab Episcopis ne peragentur. Protectores itaquè ac defensores atquè etiam Executores Conciliorum erant, & quia etiam propter suam dignitatem eminentiorem in illis semper obtinebant locum, propterea aliquando Conciliis præfuisse dicuntur, hoc sensu, teste Eu-

 sebio

sebio lib: 4to de vita Constantini cap. 24. dicebat iste Magnus Imperator. Episcopos in ijs, quæ intra Ecclesiam, se aútem in ijs, quæ extra gerùntur à Deo Episcoporum eſse constitutum. Certe quodammodo Constantinus dici potest Concilio Nicæno præsediſse, qui & humilem in illo post omnes Episcopos sibi elegit Sedem nec priùs sedere voluit, quam Episcopi annuiſsent,

Imperatores etiam Theodosius junior & Valentinianus dum ad Concilium Ephesinum Candidianum Comitem mittunt, ut illi præsideat, simul per literas significant se illum mittere ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis quæ circa dogmata fidei incidunt, nihil quidquam commune habeat. Verum ut diligenter prospiciat, ne quæ gravior diſsensio veritatis indagationem obumbret, ut omnibus & singulis quæ dicuntur ritè perceptis, singuli inoffense, quod visum fuerit, in medium proponere queant. Marcianus quoque Theodosii Succeſsor ad Chalcedonense Concilium loco sui Judices delegavit, sed eo duntaxat fine, ut quæ à Patribus decernerentur, statim curarent executioni demandare, quod ab iis factum eſse ex Actis ejusdem Concilij manifestum est; nam actione 4ta sic inquiunt. Quod placuit venerando Concilio, ipsum nos doceant & rursum Rogamus vestram Reverentiam docere quid de ijs placùerit, moxquê Paschasino sedis Apostolicæ legato, & Concilij Præside sententiam dicente concludunt Sanctiſsimi Paschasini firmum sit judicium. Constantinus tandem Pogonatus qui præsediſse dicitur Concilio 6to Generali, ita scribit ad Gregorium Papam in Epistola, quam idem Gregorius refert in Ante-actis ejusdem Concilii. Neque enim cum illis tanquam Imperator sedebo, aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis, & prout statûerint Pontifices, ego exequar. Ex his apparet aliter Principem Ecclesiasticum, aliter Civilem dici in Conciliis præsediſse, ille enim quæstionibus fidêi, morum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ definiendis præest, hic verò externo Concilij regimini, ut quæstiones illæ ab Episcopis ordinate sinè turbis, sinè violentia ac liberè definiantur.

CA-

CAPUT SECUNDUM

De Conditionibus ad Concilium Generale requisitis, illiusquè authoritate.

ARTICULUS 1mus

De Conditionibus ad Concilium Generale requisitis.

Quæres 1. Quot sunt Conditiones ut aliquod Concilium Generale sit?

Resp: Ut Concilium Generale sit, ac legitimum, quatuor præcipuæ sunt conditiones. Convocatio, Celebratio, Præsidentia, & acceptatio.

Quæres 2. Qualis ista debet esse Convocatio?

Resp: Debet esse Canonica, & Universalis, ad hoc autem necesse est 1mo: ut fiat à Romano Pontifice ad quem ordinarie jus convocandi Concilium Generale pertinet. 2do: ut per omnes Christiani nominis majores Provincias innotescat, id enim constat semper servatum fuisse, adêo ut 7ma Synodus Act: 6ta idêo judicaverit Concilium Constantinopolitanum contra Sacras Imagines cèlebratum, non fuisse Generale, quia non exiit sonus ejus in universam terram.

Quæres 3. Quid ad legitimam Concilij Generalis celebrationem requiritur?

Resp: Necesse est ut ex diversis orbis Christiani Provinciis conveniat, et adsit tanta Episcoporum multitudo, quæ sufficiens sit ad repræsentandam Ecclesiâm universalem. Nullus Episcopus nisi sit Excommunicatus à Concilio excludatur, nequè expellatur; nam omnes â Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei, atquè ut Beatus Cyprianus ait, singuli tenent in solidum partem Episcopatus, cui potestas judicandi de rebus Ecclesiasticis annexa est. Quod etiam de Titularibus Episcopis intelligi debet, ac de iis qui Episcopatui renuntiàrunt, modò non fûerint juridice depositi, siquidem & ipsi dignitatem Episcopalem retinent; quæ ad Ecclesiæ regimen à Christo fuit instituta,

Jam vero si Concilium Generale fiat in Oriente ad id semper visum est sufficere, si ex omnibus Orientis Provinciis multi Episcopi conveniant, ex toto autem Occidente

mittantur aliqui à Summo Pontifice, qui aliorum locum suppleant & è contra si celebretur in Occidente, conveniant ex omnibus Occidèntis Provinciis multi, ex Oriènte pauci aliqui veniant nomine aliorum, sic in Concilio Nicæno 1mò ex Occidente fŭerunt solum duo Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, unus Episcopus ex Gallia, unus ex Hispania, unus ex Africa, è contra verò ad Concilia Occidentis exg: Lateranense sub Innocentio 3tio. Lugdunense sub Gregorio 10. & nuper ad Tridentinum venerunt Episcopi frequentes ex toto Occidenté, ex Oriente verò nonnisi pauci quidam. Nèque etiam necesse est ad Concilium Generale, ut in unum eundemqué locùm Episcopi tùm Orientis, tum Occidentis simul congregentur sed fieri potest ut Orientis Episcopi in unam Civitatem, Occidentis verò in alteram eodem tempore conveniant, & utriusque Synodi simul habitæ consensus & conspiratio pro Concilio uno Generali habeatur. Hâc ratione Concilium Constantinopolitanum 1mum, ad quod soli Episcopi Orientales convenerunt, fuit Generale, simul enim tunc Romæ sub Damaso habita est altera Occidentalium Synodus, quæ cum Constantinopolitana in ejusdem fidei Confesione circa Divinitatem Spiritûs Sancti convenerat.

Quæres 4. Cujus præsidentia necesaria est, ut Concilium Generale sit legitimum?

Resp: Præsidentia Romani Pontificis est necessária; quia ad illum de jure pertinet, ut Conciliis Generalibus per se, vel per suos Legatos præsit, maximê cùm præcipuæ sint illis partes in causis fidei & morum, quæ in Conciliis Generalibus tractantur.

Quæres 5. Qualis acceptatio requiritur ut Concilium & Generale sit & legitimum censeatur?

Resp: Ut Concilium & Generale sit, & legitimê celebratum censeatur, necesse est ut præcipuè per Orbem Ecclèsiæ, præsertim verò Romana illi suum afsensum præbeat. Cum enim omnes & singuli Episcopi re ipsa Conciliis non intersint, sed aliqui duntaxat ex singulis Provinciis, aut Nationibus, Ordo, & æquitas postulat, ut â cæteris absentibus Episcopis, qui Judices pariter sunt, in causis fidei morum, ac disciplinæ, acceptentur illa, quæ â Concilio statuta sunt. Quæ tamen Synodus convocatione, ac celebratione verè & certò Generalis est, non idêo acceptatione indiget, ut robur & authoritatem recipiat, cùm eam sibi vindicet ex Privilegio Divino, eo ipso quod sit Generalis, illam habeat, sed idêo tantùm requirit acce-

pta-

ptationem, quia consensùs ille Ecclesiàrum signum & argumentum velut à posteriori quo declaratur Concilium Generale legitimum fuisse. Quare si nonnullæ insigniores Ecclesiæ cuidam Concilio consentire recusârent, signum esset illud penitùs absolutum, & obsignatum non esse, nec ejus decretis fideles teneri, antequam Ecclesiarum præcipuarum, maxime verò Romanæ accessisset consensus.

Quæres 6. Cur præsertim Romanæ Ecclesiæ acceptatio, & consensus requiritur?

Resp: Idêo Romanæ Ecclesiæ præsertim requiri consensum, quia ipsa inter alias omnes Ecclesias jure Divino Primatum tenet, & à Concilio Tridentino dicitur cæterarum Ecclesiarum Mater, & Magistra, unde Innocentius in sua decretali ad Africanos Epistola, quæ inter Augustini numero 93. habetur, sic loquitur. Patres non humana sed Divina decrevêre sententia ut quidquid in remotis Provinciis ageretur, non priùs ducerent definiendum, quam ad illius Sedis notitiam perveniret ubi tota ejus authoritate juxta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur. Hinc Justinianus Imperator novella 197. inquit. Nulla unquam Synodus rata legitur quæ ab Apostolica Beati Petri Sede non fuerit fulta. Et in Capitularibus Caroli Magni ex Epistola 8va Pelagij II. depromtum istud legitur. Authoritas Ecclesiàstica, atque Canònica docet non deberè absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Idêoque Julius 1mus apud Socratem lib: 11. cap: 13. ad Episcopos Concilij Antiocheni scripsit eos contra Canonem Ecclesiæ egisse, quia ipsum ad Concilium non invitârunt. Ecclesiastico inquit: Canone jubente non oportere præter sententiam Romani Episcopi Canones condere Ecclesiis, & apud Sosomenum lib: 2do cap: 9no legitur scripsisse. Esse legem Sacerdotalem, quod irrita declarentur quæcunque fiunt præter sententiam Romani Episcopi. Nimirum Romanus Pòntifex caput est Ecclesiæ, totius unitatis Ecclesiàsticæ centrum, ac proinde ex perfecta Episcoporum cum ipso conjunctione, resultat definitio quæ universalis Ecclesiæ consensum repræsentat. Et id satis innuunt Concilia non particularia modò, sed etiam Generalia, quando sua Decreta postulant à Romanis Pontificibus confirmari. Hic sufficit laudare quintum Generale, quod non priùs inter generalia receptum fuit, quam Vigilius Papa ei consensisset. Unde

etiam

etiam ad Leonem Chalcedonensis Concilij Patres ita scripserunt. Rogamus ut tuis decretis, nostrum honores judicium, & firmitas tua filiis quos docet adimpleat, quod & S. Leo libenter præstitit, gesta per Concilium approbando, uno excepto Canone, quem suâ authoritate irritum fecit.

Quæres 7. Unde constare nobis potest, conditiones ad Concilium Generale requisitas, ut ipsum legitimum sit, omnes fuisse observatas?

Resp: Ex quo Ecclesia per Orbem diffusa Concilij alicujus Generalis definitiones acceptavit, hæc ipsa acceptatio certissimum nobis est, â posteriori ut ajunt, argumentum, omnes conditiones ad Concilium generale ritè celebrandum requisitas adamussim observatas fuisse; videlicet omnia in eo ordinatè peracta fuisse, satis mutarè omnia discussa, & examinata, libere constituta sunt, unanimi consensu decisa fuisse, ac propterea legitimum esse, illius decreta, ac Statuta, ut firma atque rata ab omnibus recipienda esse & tenenda.

ARTICULUS 2dus
De Authoritate Conciliorum.

Quæres: 1. Quæ sit authoritas Conciliorum particularium?

Resp: Concilia particularia, Provincialia aut Nationalia, infallibilis non sunt authoritatis, quia universam Ecclesiam non repræsentant, sed quasdam duntaxat particulares Ecclesias, quæ errare possunt, & nonnunquam de facto erraverant, ut patet de Africana Ecclesia, quæ agente S. Cypriano pluribus in Concilijs definiverat baptisma collatum ab Hæreticis, tanquam nullum iterandum esse. Inde tamen nemo inferre potest, lata per illa Concilia decreta, ac sanctiones spernendas esse, nam non mediocris sunt authoritatis, pleraquè istiusmodi Concilia, extirpandis erroribus multum contulerant, & ab ipsis etiam Concilijs generalibus cum honore laudata sunt, atque suscepta; quamobrem non leve ex ipsius pro fide, & moribus argumentum erui potest.

Quæres 2. Concilia Generalia cujus sunt authoritatis?

Resp: Concilia Generalia Divinæ sunt, & infallibilis Authoritatis. Id ex Scriptura clarissimè evincitur Math: cap:

cap: 18. ita loquitur Christus. Ubi duo sunt vel tres congregati in Nomine meo ibi sum in medio eorum. Hæc verba juncta cum superioribus ibidem positis argumentum à minori ad majus validissimum pro Generalium Conciliorum infallibilitate subministrant. Nimirum Conventus illi errare non possunt, quibus adest ipse Christus, auxilium & authoritatem ipsis præbet. Porro Christus adest Concilijs Generalibus, & authoritate & auxilio, quia illa repræsentant Corpus Ecclesiæ quod sine primario quamquam invisibili capite suo esse non potest, & si Christus adest privatis hominibus, qui in ejus nomine congregantur, ipsisque lumen ac sapientiam cæteraquè quæ petunt sibi necessaria elargitur, quanto magis aderit multis Episcopis, qui in nomine ipsius, atqué ejus authoritate conveniunt ad ea decernenda, atquè statuenda quæ ad totam Ecclesiam dirigendam spectant, lumen cæleste sapientiamquè désuper ipsis impertiendo, ne in communibus Ecclesiæ negotijs definiendis à veritate aberrent. Hæc certe ratiocinatio ipsiusmet Christi esse videtur, ac magis conventus Ecclesiæ respexisse credendus est, quam conventus privatorum. Dixerat siquidem Christus cap: 18. apud Mathæum versu 17mo Ecclesiàm seu primos Pastores sub Anathematis pæna audiendos esse. Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus; & statim versu 18. illis promittit potestatem ligandi, atquè solvendi. Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunquæ solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Et consequenter ad exercendam prædictam ligandi ac solvendi potestatem, in totius Ecclesiæ gubernatione, atquè regimine se semper auxilio ijsdem Pastoribus ad futurum appromittit versu 20. inquiens: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Hoc sensu prædicta Christi verba exponunt Concilium Chalcedonense in Epistola ad S. Leonem, Concilium 6tum Generale Act: 17ma, Celestinus in Epistola ad Concilium Ephesinum; & Cyrillus Alexandrinus in Expositione Symboli Nicæni atquè in illis Ecclesiæ Conventibus, seu Conciliis generalibus singularem præsentiam ab ipso appromissam viderunt, ac intelexerunt. Merito igitur ex adducto textu Conciliorum maxime Generalium inerrantiam, atquè infallibilitatem probamus, ac inferimus.

Et certè Ecclesiæ Pastoribus singulariter se ad futurum Christus appromisit. Apostolos suos & eorum alloquens Succes-

Succesſores Math: cap. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Et hanc Christi promissionem non solos Apostolos spectare exinde evidentiſsimum efficitur, quia illi usquê ad consummationem Sæculi victuri non erant, eorum igitur respicit Succesſores, qui quemadmodum Ecclesia ad consummationem Sæculi durare ac permanere debènt, at ìstam Chrístus suam præsentiam Apostolis eorumquè Succesſoribus appromisit ne docendo errarent. Docete inquit, omnes gentes, & ecce ego vobiscum sum, idquè illi præstant præcipuè in Conciliis congregati, quid sit credendum, tenendum ac faciendum definientes, indubium igitur est, tunc illis vel maximè adeſse Christum, lumen sapientiamquê illis desuper impertiendo, nê & ipsi fallantur, & gregem docendo decipiant.

Confirmatur hæc eadem veritas Joannis cap: 14. Christus alloquens Apostolos sic inquit. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis. Oratio Christi non fuit inanis, & vacua quæ promiserat hæc & adimplevit. Promiſsio autem ista ad Apostolorum etiam Succesſores extendi debet ac proinde semper adimpletur, in Pastoribus Ecclesiæ quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Pastores igitur Ecclesiæ, maximè dum in nomine Christi conveniant, præsentem & aſsistentem sibi habent Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis qui suggerit illis omnia, omnemqué illos edocet veritatem. Non ergo falli, nequê errare poſsunt. Quare ad primum celebrandum Concilium quod Act: cap: 15. describitur, congregati Apostoli atquê Seniores in causa legalium, suam definitionem tanquam infallibile Spiritûs Sancti oraculum pronuntiârunt. Visum est Spiritui Sancto & nobis. Cumquè istiusmodi Concilium, cæterorum omnium norma ac regula fuerat, ut observant Patres Concilij 5ti Generalis Act: 8va idem judicium eſse debet de cæteris omnibus Concilijs Generalibus, ac de primo illo, quod Apostoli celebrârunt. Sed illud aſsistentiam Spiritûs Sancti, ne erraret habuit. Ergo & cætera illa præsentia gaudere debent, nequè enim minus alijs posterioribus quam Apostolicis temporibus Ecclesiæ opus est Spiritu Sancto, a quo veritatem in Concilijs edoceatur, sequé ipsam, ac fideles suos ab erroribus immunem conservet. Quemadmodum igitur Concilium, quod Apostoli celebrârunt, Divinæ fuit Auctoritatis, ita & cætera omnia Con-

cilia

cilia generalia infallibilia sint necesse est. Unde S. Basilius Epist: 114. Patres Nicænos ait, non sinè Spiritûs Sancti afflatu locutos fuisse. Et S. Leo in Epist: 63. ad Leonem Augustum de iis, quæ circa fidem in Concilio Chalcedonensi, fuerunt definita sic loquitur. Nulla permitatis retractatione pulsari, quia in illo Concilio per Spiritum Sanctum congregato tam plenis atque perfectis definitionibus cuncta firmata sunt, ut nihil ei regulæ, quæ ex Divina inspiratione prolata est addi possit vel minui. In id etiam conspirant Omnes Sancti Patres S. Ambrosius lib: 3tio de fide cap: 7. decreta Conciliorum generalium appellat. Hæreditaria signacula, nullius temeritate violanda. Nicolaus 1. emissa à Conciliis decreta, in Epistola ad Michaëlem Imperatorem scribit esse Divinitus inspiratas sententias S. Gregorius magnus lib: 1mo Epist. 24. inquit: Sicut Sancti Evangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me profiteor.

Sed & Theologico argumento idem evincitur Ecclesià in causis fidei & morum definiendis errare non potest. Porro Concilium Generale per Episcopos qui conveniunt, universam Ecclesiam repræsentant, quælibet siquidem Societas representatur per eos, qui illius regendæ authoritatem habent, Ecclesiæ autem regendæ authoritas in Episcopis residet. Nequit igitur Concilium Generale in causis fidei ac morum definiendis errare. Unde tanta erat apud veteres de Conciliorum Generalium infallibilitate persvasio, ut fideles omnes pro eorum definitionibus bonorum expoliationem, exilia & mortem ipsam tollerare non dubitaverint. Ad hoc satis est legere, quæ Catholici pro tuenda fidé Nicæna à Wandalis in Affrica perpessi sunt Quapropter Ambrosius scribit Epist: 32. Sequor tractatum Concilij Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Illi verò qui Synodorum Generalium decretis contumaciter parere detrectabant tanquam Hæretici excommunicati, atquè ab Ecclesia præcisì, per Catholicos semper habiti sunt.

Quæres 3. An etiam Concilia particularia possint esse æqualis authoritatis, ac sunt Concilia Generalia?

Resp. Concilia particularia per Sedem Apostolicam confirmata, & aliarum per Orbem Ecclesiarum expresso, vel tacito consensu recepta, ejusdem sunt cum Generalibus Concilijs authoritatis. Enimverò Conciliorum Generalium autho-

authoritas inde præsertim sumitur, quòd universam Ecclesiam repræsentent. Porrò hoc ipsum convenit Concilijs particularibus, quæ Summi Pontificis, & Ecclesiæ dispersæ consensu firmata sunt, nimirum Ecclesia etiam per Orbem dispersa errare non potest, erraret verò, si probaret, imo si non reijceret Synod in cujus nofset decreta sanæ doctrinæ efse contraria. Quare ex Ecclesiæ praxi constat multas Hæreses particularium Conciliorum Ecclesiæ per Orbem dispersæ consensu firmatorum authoritate repressas, & irreformiabili judició damnatas fuifse. Sic sub finem Sæculi secundi celebrata in Asia Concilia contra Montanistas summæ fuerant authoritatis eo, quod universa per Orbem Ecclesia consensifset, ut refert Eusebius lib: 5to: hist: cap: 16. Nec minoris ponderis fuerunt Concilia, quæ tertio Sæculo contra Novatianos habita sunt, & toto Orbe per Cornelium Papam promulgata fuerunt, quemadmodum scribit idem Eusebius lib: 6to hist: cap: 43. Quarto Sæculo Siricius in Synodo Romana, & S. Ambrosius in Mediolanensi Joviniani doctrinam velut Christianæ legi contrariam proscripserant, nec ultra progrefsa est ad alias Synodos ista disquisitio. Quinto Sæculo Innocentius I. duo Africæ Concilia contra Pelagianos habita confirmavit, de quibus sic loquitur Augustinus Sermone 2do de verbis Apostoli. Jam de hac causa duo Concilia mifsa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error. His addi debet Concilium Arausicanum 2dum cujus Canones de gratia per Apostolicam Sedem confirmati, cæteris per Orbem Ecclesiis non reclamantibus, sed consentientibus, pro suprema fidei regula contra Semipelagianorum errores habiti sunt. Igitur Concilia particularia, quibus accedit Romani Pontificis confirmatio, & aliarum per Orbem Ecclesiarum exprefsus vel tacitus consensus, ejusdem sunt cum Conciliis Generalibus authoritatis.

Obijcies I. Ex Conciliis generaliter receptis, nonnulla sibi mutuo contradicunt etiam in fidei Canonibus. Sic vox consubstantialis rejecta à Synodo Antiochena, quæ Paulum Samosatenum damnavit, a Nicæna verò generali solemniter consecrata fuit. Ephesinum 2dum approbavit doctrinam Eutichetis, Chalcedonense damnavit. Concilium etiam 5tum è diametro pugnat cum Concilio Chalcedonensi, hoc enim Theodoretum, & Ibam in suam communionem, ût Catholicos recepit, contra verò Synodus 5ta

utram-

utramquè cum Theodoro Mopsveteno proscripsit, necesse est ergo alterutram Synodum errâsse. In duobus quoquè Conciliis Constantinopolitanis rejectus fuit cultus Imaginum in Nicæno 2do approbatus. 2. Sanctus Gregorius Nanzianzenus Epist: 55. ad Procopium scribit nullius Concilij finem lætum se vidisse, mala non imminuta, sed multiplicata, nullius ergo momenti sunt Concilia. Et S. Augustinus libr. 2do de Baptismo cap: 3tio asserit Concilia plenaria priora à posterioribus emendari, quod autem emendari potest, supponitur errori obnoxium esse.

Resp: ad 1mum. Nullum potest proferri; Concilium Generale, aut etiam particulare ab Ecclesia approbatum, quod aliis legitimis in fide vel moribus contradicat. Sic Nicæna Synodus non pugnat cum Antiochena, hæc enim, vocem consubstantialis rejecit in Sensu duntaxat Pauli Samosateni, qui perversè Filium Patri consubstantialem dicebat, vel quòd Pater & Filius nonnisi duo sint nomina unius atquê ejusdem substantiæ vel quòd Pater & Filius forent duæ substantiæ, quarum una esset ab altera derivata ac decisa. Primô Sensu Trinitatem Personarum tollebat, secundô unitatem Divinitatis inficiabatur, quia ergo Paulus Samosatenus, voce consubstantialis abutebatur, in ejus perverso sumpta sensu, à Synodo Antiochena rejecta est, in sensu verò Catholico, ad significandum Filium cum Patre esse ejusdem, atquè unius Divinæ substantiæ, â Concilio Nicæno usurpata, atquê consecrata fuit. Concilium Ephesinum 2dum tanquam latrocinium ab omnibus diffamatur, in illo namquè vi & armis Dioscorus omnia Jura subvertit, S. Flavianum interfecit, Legatos Summi Pontificis fugavit, Orthodoxos Episcopos non admisit, ipse proscripsit, ipsam Eutichetis hæresim approbavit. Unde â S. Leone Papa fuit primo cassatum, & à Concilio Generali Chalcedonensi iterum reprobatum.

In Synodis 5ta Generali, & Chalcedonensi diversa causa agitata fuit. In Calcedonensi actum est de Personis, & quia Theodoretus & Ibas penitentiæ & sinceræ fidei signa exhibùerunt, ad Communionem & pristinum honoris gradum admissi sunt. Nihil etiam contra Theodorum Mopsvestenum actum est, quia in pace Ecclesiæ jam obierat. In Synodo autem 5ta sol ummodo eorum scripta ad trutinam revocata sunt, quod in Chalcedonensi factum non fuerat, & quia erroribus scatebant, meritò condemnata fuerant, duo itaquè hæc Concilia non sunt sibi contraria.

Duo

Duo quoque Concilia Constantinopolitana adversus Sacras Imagines collecta, nusquam pro legitimis habita sunt, imo tanquam spuria semper ab Ecclesia reprobata fuerant, ac tandem à Concilio 7mo Generali damnata sunt, non solum propter impietatem erroris, quem approbârunt, sed etiam quia sinè Romani Pontificis consensu celebrata fuerùnt.

Ad 2dum. S. Gregorius Nazianzenus non negat cum fructu celebrari Concilia Generalia, & ea cum legitima sunt, certam fidem facere, ipse enim & Nicænum primum summis laudibus commendat, & in Constantinopolitano primo contra Macedonium magnam partem sustinuit, reprobat itaque nonnisi Conciliabula sub Imperatore Constantio Ariano celebrata, in quibus Ariani plerumqué dominabantur, & quorum dicit meritò faustum exitum non fuiſsé, qualia fuerùnt Mediolanense, Syrminense, Ariminense, per quæ Fides Catholica conculcata, mala Ecclesiæ multiplicata sunt. Frequenter Concilia nationalia ac Provincialia plenaria, atquè etiam universalia vocitantur, ex his priora per posteriora emendari poſse indubitatum est, non verò Generalia totius Orbis, hæc namquè errare in fide & doctrina morum nequeunt. Dum autem S. Augustinus affirmat Concilia plenaria priora à posterioribus emendari poſse, non loquitur de Conciliis Generalibus totius Orbis, quorum irrefragabilis authoritas est, atquè irreformabilis, sed loquitur de Conciliis plenariis totius nationis, sermo enim ipsi ibi est de Conciliis Africæ à S. Cypriano celebratis, quæ certe non erant plenaria totius Orbis, sed tantummodò nationalia, quæ propterea errore Rebaptisantium lapsa sunt, quibus & Stephanus Papa obstitit, deinceps à Concilio Nicæno 1mo Generali emendata fuerùnt.

Quæres 4. Unde repetenda est Conciliorum Generalium infallibilitas?

Resp: Conciliorum Generalium inerrantia, atquè infallibilitas repetenda est ex Spiritûs Sancti aſsistentia, quam nunquam Ecclesiæ suæ defuturam repetitæ sæpius Jesu Christi promiſsiones nos certos faciunt.

Dices. Multi docent infallibilitatem Conciliorum Generalium, à Pontificis Romani confirmatione pendere non ergo à seipsis illám Concilia habent?

Resp: Quidquid sit de hac quæstione, quæ inter Catholicos salvâ fidei unitate agitatur, illud omnibus ratum fixumqué est, Concilia Generalia à Pontifice Romano confirmata infallibilia eſse, cujusmodi sunt ea omnia quæ si-

nè controversia pro legitimis ac Generalibus habentur. Quanquâm enim nonnullorum Theologorum sententia Concilia Generalia legitime celebrata ante Summi Pontificis confirmationem ut infallibilia habeantur, omnes tamen unanimiter fatentur Summi Pontificis confirmationem, saltem tanquam solemnem supremi Ecclesiæ capitis acceptationem, majus robur iisdem Conciliis addere per eam namquè magis luculenter apparet capitis cum toto corpore consensio & insuper deficiente Summi Pontificis confirmatione, saltem dubitari meritò posse an Concilium sit Generale, & legitimum universalem Ecclesiam repræsentans.

Quæres 5. Quæ sit authoritas Conciliorum Generalium in rebus, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, definiendis?

Resp: Multa in Conciliis Generalibus definiri ac statui solent ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentia, pro certo autem habendum est, in his etiam nunquam contingere posse, ut aliquid statuatur legi Dei, & Evangelio contrarium. Nam & istas definitiones non sinè speciali Spiritûs S. assistentia fieri colligitur ex decreto primi illius Concilij Jerosolimis celebrati, verba quippe illa. Visum est Spiritui Sancto & nobis non minus doctrinam spectant, quâ statutum fuit, Legalium vim nullam ampliùs esse, quam disciplinam quâ Gentilibus ad fidem conversis præceptum est, ut à sangvine & Suffocato abstinerent. Certè ut Theologicum fert axioma: Deus non deest Ecclesiæ in necessariis cujusmodi certe est exterior ipsius disciplina. Fieri ergo nequit ut in ea ordinanda atquè constituenda Ecclesia erret.

Quæres 6. Quale est discrimen inter fidei & morum decreta, quæ in Conciliis Generalibus definiuntur, & statuta quæ ad disciplinam spectantia conduntur?

Resp: Latum est inter hæc discrimen. Nam fidei & morum decreta sunt immutabilia & omnes omnino fideles obligant, quia jus ipsum Divinum, Divinamque in se continent revelationem, quæ respectu omnium eodem modo se habent, unde semel ea de re in receptis ab universa Ecclesia Conciliis constituta, semper inconcussa fuerunt Ecclesia nunquam passa est illa retractari, nec sinè hæreseos nota potuerant ab ullo impugnari: At verò statuta disciplinæ, Ecclesiastici duntaxat sunt juris & varia esse possunt pro temporum & locorum diversitate, mutari igitur possunt, ac penitus abrogari, non quidem ut mala,

san-

sancita & noxia, cùm Ecclesia nihil poſsit noxium statuere, vel proponere, sed quia mutatis circumstantiis, jam non sunt necefsaria. Imo fieri potest illæsâ fide, & salvâ quæ debetur Conciliis Generalibus reverentiâ, ut quædam disciplinæ capita à nonnullis particularibus Ecclesiis non observentur; non quod sufficiens non sit in Concilio Generali ad obligandum omnes Ecclesias potestas, sed quod meritò credatur Concilii mentem non eſse, ut particulares Ecclesiæ ad ea adstringantur observanda, quæ judicant suis moribus, tempori, & genio talis nationis non convenire.

Quæres 7. An omnia quæcunque in Conciliis Generalibus proferuntur, res fidei tractando. ad fidem pertinere censeri debent?

Resp: Ea, quæ in disputationibus, colloquiis & concertationibus proferuntur, ut Canonibus sanciendis via paretur, probationes, argumenta & à fortiori quæ dicuntur obiter, & extra materiam inquisitioni subjectam, ad fidem non pertinent, & quamvis magni sint ponderis, non tamen cogimur, ut illa velut Spiritûs Sancti oracula veneramur, ac recipiamus. Sed hoc unum velut fidei dogma haberi debet ab omnibus, quod à toto Concilio in fidei Symbolis, & Canonibus proponitur firmâ fide credendum.

Porro censeri debet, ut fide credendum à Conciliis proponi, & pro dogmate fidei constitutum eſse. 1. Cum contrarium aſserentes pro Hæreticis declarantur. 2. Si aliquid expreſse à Fidelibus firmiter, tanquam dogma fidei Catholicæ accipiendum statuatur, contrarium Evangelio, doctrinæ Apostolicæ repugnans dicatur. 3. Si quidpiam dici, doceri, sentire, sub anathemate prohibeatur, vel in eos qui statutó decretó contradixerint excommunicationis sententia proferatur.



DE

JUDICE CONTROVERSIARUM

CAPUT PRIMUM

De Supremo Controversiarum fidei Judice, quem moderni statuunt Hæretici.

Quæres. Quid moderni Hæretici pro Supremo Controversiarum fidei Judice statuunt?

Resp: Moderni Hæretici pro Supremo Controversiarum fidei Judice statuunt alij naturalem rationem, alij Spiritum privatum, alij deniquè solam Scripturam Sacram.

ARTICULUS Imus.

De ratione naturali, atque privato Spiritu.

Quæres. 1. In quem modum moderni Hæretici statuunt rationem naturalem velut controversiarum fidei Judicem?

Resp: Hæretici moderni in hunc modum rationem naturalem statuunt pro Controversiarum fidei Judice, quia nimirum docent illi nihil credendum esse, quod virtutem intelectus humani excedit, ac proinde omnia Religionis nostræ Mysteria explodunt, docentes hoc solùm credi oportere quod rationis nostræ oculis verum perspicuè visum fuerit, proinde in Sacrarum Scripturarum interpretatione primas rationi naturali dandas esse contendunt, atquè rationem naturalem unicam volunt esse Sacræ Scripturæ interpretandæ regulam, atquè omnium fidei Controversiarum Judicem.

Quæres 2. Utrum per Divinam revelationem possint proponi fide credenda, quæ sunt supra humanam rationem?

Resp: Per Divinam revelationem possunt proponi fide credenda quæ sunt supra humanam rationem. Certè re

ipsa Sacra Scriptura multa in se complectitur, quæ Dei eſsentiam, ipsius atributa, ac ejus opera spectant, ista omnia infinita sunt, & modis infinitis debile & limitatum rationis nostræ ingenium excedunt, quare veluti enigmata nobis videntur, credenda attamen sunt, quia à Deo revelata sunt, qualia sunt Mysteria maximè Religionis nostræ, cuj intellectus nostri obsequium præstare omnibus modis tenemur atquè obligati sumus. Sané si in rebus naturalibus multa reperiuntur, quæ non perspicimus, in Divinis longè plura sunt quæ abscondita cùm sint, intelligi à nobis nequeunt: quod si illa naturalia quia sensus nostros feriùnt, humanâ fide agnoscimus, licèt causas proprietatesqué earum ignoremus; longè plùs hæc Divina, quia à D qui suprema veritas est manifestata sunt nobis, fide Divinâ credere debemus, quanquam illa minimè perspecta habemus. Quæ proût in se sunt noscere liceret, nihil illa in se continere cerneremus, quod cum principiis per se notis non exactiſsimè congruere videremus, sed ipsa quoquè Religionis nostræ Mysteria talia non eſsent, si poſsent nostrâ ratione utcunquè comprehendi. Quemadmodùm igitur in ordine rerum naturalium non rejicimus ea, quæ nostram intelligendi vim effugiunt, non etiam in ordine rerum supernaturalium repudianda sunt illa, quæ ipsi non percipimus & quemadmodum Deo authori naturæ credimus in iis quæ videmus, audimus, quamvis illorum causas rationes, connexiones ignoremus, ita pariter Deo fidei nostræ authori firmiter credendum, quamvis ea quæ ipse nobis revelat, non percipiamus. Unde merito scripsit Augustinus: Credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides. Tract: 20. in Joan:

Objicies 1. Religio utpote omnibus communis, debet eſse evidens, ut omnibus exclusis Mysteriis à quolibet intelligi poſset. 2. Mysteria si non intelligantur, nihil aliud erunt quam soni sinè sensu, verba quæ non intelliguntur 3. Fides nostra debet eſse rationabile obsequium, qui verò credit Mysteria, credit sinè ratione. 4. Deus noster non est Deus tenebrarum, sed lucis, nequè nos intellectu instruxit, ut nihil intelligeremus, nequè revelare, nequè nos credere poſsumus, nisi quod verum eſse cognoscimus.

Resp: ad 1mum. Religio debet eſse evidens, non quidem evidentia intrinseca, quantum ad ipsorum Mysteriorum essentiam clare percipiendam, sed tantûm eviden-

tia

tia extrinseca quantûm ad ipsius existentiam attinet, ut scilicet claris & evidentibus argumentis constet, Deum qui nec falli, nec fallere potest, Religionem instituiſse, Mysteria revellâſse, hoc enim ipso certi omnino sumus, ea eſse vera, quanquam eorum eſsentiam intrinsecam non concipiamus.

Ad 2dum. Quanquam Mysteria quantûm ad eſsentiam sint incomprehensibilia, non tamen dici poſsunt soni sinè sensu, videlicet etsi non omnino perspicuè, satis tamen cognoscitur quid per terminos enuntiatur, quibus Mysteria exprimuntur, licètsi lateat modus, quo termini simul connectuntur, unde recte Apostolus Paulus 1. Corinth: 13. dixit: ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus. Si exg: Mysterium est, Deum eſse unum in eſsentia, & trinum in Personis neminem fidelium latet, quid nomine naturæ significetur, quid verò nomine personæ, quantûm igitur hæc à nobis cognosci poſsunt, ex hac parte Mysterium Trinitatis etiam à rudibus intelligitur; At vero nemo est, qui comprehendere valeat, quomodo in unica natura Divina poſsint tres subsistentiæ inveniri, quibus tres personæ constitùantur. Et sic Mysteria ex parte saltem cognoscimus.

Ad 3tium. Mysteria Religionis nostræ rationabiliter creduntur, non quod ratio humana intrinsecam eorum constitutionem attingat, hoc enim est impoſsibile, sed quia evidentibus credibilitatis motivis ad hoc rationabiliter adducitur, ut credat ea â Deo, falli, & fallere nescio eſse revelata.

Ad 4tum. Deum non eſse Deum tenebrarum si in se spectetur, attamen respectu nostri lucem inacceſsibilem inhabitat, cujus vim imbecilles oculi nostri, ferre nequeunt. Hinc etiam in Scripturis vocatur. Deus absconditus & is dicitur qui posuit tenebras latibulum suum: Donavit nobis intellectum, rationisqué lumen, non ut omnia intelligeremus, perfecteque cognosceremus, sed ut iis uteremur revelationi obsequentes, non ei reluctantes.

Queres 3. An illa quæ à Deo revelata sunt, eo ipso sint contra rationem, quia sunt supra rationem?

Resp: Inter hæc duo eſse supra rationem, & eſse contra rationem magnum est discrimen. Illud est supra rationem quod mente attingere, illud percipere non valemus, adeoquè coram nobis absconditum, nobis plane ignotum est; contra rationem illud est, quod cum ijs quæ nobis nota, ac benè perspecta sunt pugnat, iisqué quæ no-

bis certissima, ac indubitata sunt adversatur, ac contrariatur. Quæ itaquæ à Deo nobis revelata sunt, quemadmodum Religionis nostræ Mysteria, quamvis sint supra humanam rationem, quia nostrum excedunt captum, non sunt tamen contra rationem. Etenim quemadmodum illa, quæ naturaliter rationi nostræ sunt insita, verissima esse constat, adêo ut falsa esse possibile non sit, ita etiam id quod fide tenetur verum non esse, aut falsum censeri nequit, cum evidenter Divinitus confirmatum sit. Cum autem solum falsum vèro contrarium sit, impossibile est illis principiis, quæ ratio humana naturaliter cognoscit, veritatem fidei esse contrariam. Certe cognitio principiorum, quæ naturaliter nobis nota sunt, Divinitus est nobis indita, cum ipse Deus naturæ nostræ author sit. Hæc etiam principia, Divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est quoque Divinæ sapientiæ contrarium, non igitur à Deo esse potest. Quare quæ ex revelatione Divina per fidem tenentur, non possunt naturali rationi, esse contraria. Postremò ut aliquid proprie rationi repugnare dicatur, necesse est, duas claras distinctasque concurrere ideas, secum ipsis adversâ fronte pugnantes. Id autem impossibile est, ubi de Mysteriis Religionis nostræ agitur, quorum claram, distinctamqué notionem nemo habere potest. Quare quis audeat asserere Personarum Trinitatem, Divinæ naturæ adversari unitati, cum neqùé naturam, neque Divinas Personas clarè & distinctè cognoscat. Meritò itaque scripsit S. Cyrillus Alexan: Lib. 2do in Julianum. Oportet quæ supra nos sunt fide venerari, non ratione inquirere, imbecillior quippe mens hominis est, quam ut intelligentia ista capere possit. Igitur ea omnia quæ supra rationem humanam sunt, cum idêo minime à nobis percipiantur, nonnisi cæco quodam abrepti æstu, contra rationem illa esse affirmare non possumus.

Objicies. Mysteria Religionis nostræ non sunt humanæ rationi consentanea. Sed quæ rationi humanæ consentanea non sunt, contra rationem sunt. Igitur Mysteria Religionis nostræ sunt contra rationem.

Resp. Quod est supra rationem humanam, neque potest dici consentaneum esse rationi humanæ, nequæ illi dissentaneum. Nam illa tantummodo possunt dici, & esse secum consentanea, vel dissentanea, quæ sunt ejusdem ordinis, quia inter ipsa datur convenientia, congruentia, aut etiam oppositio, & discrepantia. Cum itaque Myste-

ria Religionis nostræ sint ordinis multo excellentioris, quam ratio nostra imaginari posſit, propterêa neque ipsa posſunt dici rationi humanæ consentanea, neque disſentanea. Rationis siquidem humanæ ductum sequentes, neque cognoscimus modum, quo Mysteria Religionis nostræ cum principiis nobis benè notis, ac perspectis cohæreant, unde non posſumus dicere ea rationi nostræ congruere ac consentanea eſse, neque etiam è contra videre posſumus, aliquam veram eorundem cum iisdem principiis oppositionem, quia intrinseca prædictorum Mysteriorum eſsentia nos omnino latet, unde iterum rationi humanæ disſentanea eſse aſserere non valemus. Tria proinde distingvenda sunt, unum cum ratione humana eſse consentaneum, alterum illi eſse disſentaneum, tertium nec consentaneum neque disſentaneum, & hoc Mysteriis Religionis nostræ conveniens est, quia ergo diversi à ratione humana, & longe superioris ordinis sunt, supra rationem humanam sunt, illamque excedunt, sed contra rationem dici nequeunt.

Quæres 4. Utrum humana ratio posſit eſse Judex in fidei controversiis dirimendis?

Resp: Omnino absurdum est, humanam rationem, fidei Controversiarum constituere Judicem. Id ex Sacris evincitur Scripturis, Apostolus Paulus ad Hæbr: cap. 11. fidem sic describit. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, rerum nempe quæ nullo rationis argumento probari posſunt. Hac verô solâ fidei definitione luculenter apparet, eos qui rationem in fidei Controversiis Judicem statuunt, perinde facere ac eum, qui ortâ de coloribus lite cæcum constituèret ejusdem arbitrum. Sed & Christus Dominus Math: cap: 11. Patri gratias agens dixit. Confiteor tibi Pater Domine Cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis, & cap: 16. ad Petrum sic locutus est. Beatus es Simon Barjona quia caro & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in Cælis est. Quibus verbis non aliud insinuatur, nisi doctrinam Christi eſse supra rationem, supra carnem & sangvinem, sapientiæ, ac prudentiæ humanæ minime subjectam totam cælestem à Patre luminum, & ex ipsius revelatione procedentem, quare turpiter falluntur, qui illam ad rationis humanæ judicium exigendam eſse putant, cum è contra juxta doctrinam Apostoli Pauli 2. Corinth: cap: 10. omnem intellectum nostrum in obsequium fidei redige-

re

re teneamur, alias omnia humanæ rationis consilia, & omnis altitudo, atquè sublimitas, adversùs scientiam Dei se extollens destruetur atquè deprimetur, ut ibidem inquit Apostolus. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.

Id ipsum communi calculo confirmant Sancti Patres. S. Basilius Homil: in Psal. 115. qui fidem dicit eſse. Aſsensum nullâ prævia inquisitione nitentem, & libro 2do adversùs Eunom: post multa egregiè in hanc rem disputata concludit. Si cuncta intelligentia nostra mensurare voluerimus, & quod mente non capimus, id nihil omnino eſse putaverimus, amittetur profectò fidei, amittetur etiam spei remunerationis. S. Joannes Chrysostomus Homil: 24. in Joan: ideo inquit: Nos fideles appellamur, ut humanarum cogitationum veritate contempta, ad fidei altitudinem evadamus. Tandem notiliſsima est illa S. Gregorij M. sententia. Nec fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum, Homil. 26. in Evang:

Objicies 1. Ecclesiastici cap. 19. Spiritus Sanctus nos admonet ne facile credamus, nam qui citò credit levis est corde. Nihil ergo credendum est nisi quod certa, ac evidenti ratione constat. 2do Apostolus etiam ad Romanos scribens cap: 20. vult obsequium nostrum rationabile eſse.

Resp: ad 1mum. Non temere nos credimus, nec citò, cum Sacris Litteris sinè disquisitione rationis credimus, harum enim Divinam authoritatem evidentiſsimis argumentis priùs compertam habemus.

Ad 2dum. Est rationabile nostrum obsequium, quia sinè evidentibus credibilitatis motivis Dei revelationem non admittimus, sed hac semel admiſsa, ac constituta, ipsa sana ac recta ratio dictat, ut quidquid Deo placuerit revelare, sinè dubitatione credamus, etiamsi nostræ mentis aciem longè superet, sicut enim plura in se habet Deus, quàm nos poſsimus solâ ratione cognoscere, ita etiam plura revelare potuit, quæ nostram intelligendi capacitatem superant.

Quæres 5. Quid per Spiritum privatum intelligi debe-

debeat, quem moderni Hæretici velut Judicem statuunt in dirimendis fidei Controversiis.

Resp: Sunt multi inter modernos Hæreticos, qui putant Spiritum Sanctum unicuique verum, germanumqué Scripturæ Sacræ sensum interne manifestare, eô fere modô, quô Scriptoribus Sacris primitûs revelando dictavit. Non aliam ergo Regulam sive ad discernendos Libros sacros â prophanis, sive etiam ad verum & legitimum eorum Sensum dignoscendum admittere volunt, quam internam Spiritûs Sancti motionem, seu cujusque Spiritum privatum, quem proinde in dirimendis quibusvis fidei controversiis velut Judicem constituunt.

Quæres 6. Spiritus privatus estné legitimus Scripturæ Sacræ interpres, ac fidei controversiarum Judex?

Resp: Spiritus privatus nec est legitimus Scripturæ Sacræ interpres, neque Controversiarum fidei Judex esse potest. Hoc è Sacra Scriptura imprimis evincitur. S. Petrus Apostolus in Epistola 2da cap. 1. sic inquit. Omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sanctô inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Porrò hoc nomine Prophetia, quæ voluntate humanâ non est allata, aliud non intelligitur nisi expositio Scripturæ, unde ex prædicto textu sic arguendum est. Cum non voluntate humanâ, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines, neque etiam voluntate humanâ, seu propriâ interpretatione explicatio Scripturæ fieri debet. Ex quó manifestissimê colligitur privatum nostrum sensum, nequê nostrum arbitrium, pro explanandæ Scripturæ Sacræ regula statui posse, nec proinde ad dirimendas fidei Controversias Judex legitimus esse valet.

Sed & argumentis Theologicis comprobatur Spiritum privatum non posse esse legitimum Sacræ Scripturæ interpretem, neque in dirimendis fidei Controversiis Judicem. 1. Enim legitimus Scripturæ Sacræ interpres, ac Controversiarum fidei Judex debet suprema atque infallibili pollere authoritate, ut nos de veritate certos, paccatosquê reddat, porrò ejusmodi non est Spiritus privatus, nemo enim ignorat fuisse sæpius Prophetas, & interpretes Spiritu mendacij deceptos, quibus per Ezechielem dicitur Cap 13. Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident, alia igitur opus erit regula certa, clara, & aperta, qua dignoscere pos-

posſimus inter Spiritum veritatis, & Spiritum mendacij, nihil itaquè constitui, ac definiri poterit per Spiritum privatum. Quod ipsô etiam experimentô comprobatur. Qui enim Spiritum privatum in rebus fidei se sequi gloriantur, non solùm cum Catholicis, sed etiam secúm ipsis in Scripturæ interpretatione, & in graviſsimis fidei capitibus acerrime digladiantur ac longum esset omnia enarrare paradoxa, atquè monstrosas opiniones quæ apud ipsos enascuntur, quasqué ex Scripturis Spiritu privatò malè intellectis probare nituntur, cumqué veritas una est, fieri quidem potest, ut ex tot diversis sententiis nulla sit vera, sed fieri non potest, ut omnes sint veræ, consequenter necesse est Spiritum privatum falli, quis autem tunc litem dijudicabit? cum Spiritui privato unius, alter suum quoque privatum Spiritum opponet. 2. vel Spiritus privatus est Judex tantum discretivus & fallibilis, vel decisivus, & infallibilis. Si primum cum nemo teneatur alterius privato Spiritui sese submittere, tot emergent sententiæ, & Sectæ quod capita, quod & reipsa contigit, nam de illorum qui Spiritu privato reguntur inconstantia, luculentiſsimum argumentum præbent tot illæ Sectæ quæ ex Sacris Litteris secundum privatum uníuscujusquè Spiritum intellectis natæ sunt, & novæ in dies nascuntur. Si verò Spiritui privato infallibilis decisivi Judicis authoritas tribuatur, id unicuiquè mulieri tribuendum erit, quod ridiculum, atquè insaniſsimum est. 3. Tandem Judex decisivam habens authoritatem, debet à partibus litigantibus videri, audiri, debet habere potestatem coactivam, alioqui nihil prodesset ipsius judicium. Hæc autem omnia Spiritui privato nec conveniunt, nec convenire possunt. A partibus litigantibus nec videtur, nec auditur, cogere illos ut suo pareant judicio nequit, ad nihil ergo prodest, supervacaneus est.

Objicies. Per Jsaiam atque Jeremiam Prophetas promisit Deus tempus fore, in quo omnes ab ipso immediate internâ illustratione doceantur. Jam verò hujusmodi promiſsionem in novo Testamento adimpletam esse Christus testatur Joannis Cap: 6. dicens. Scriptum est in Prophetis; Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit venit ad me. Ulterius S. Joannes Epist: 1. cap: 2. affirmat fideles unctionem habere à Spiritu Sancto, & nôsse omnia neque opus esse ut aliquis illos doceat, jubet quoque cap: 4. ejusdem suæ Epistolæ, sed utrum Spiritus ex Deo sit, probent, ac demum

mum S. Paulus Apostolus 1. Corinth: cap: 2do docet hominem animalem non percipere ea, quæ sunt Spiritûs, Spiritualem vero omnia judicare. Agnoscendus est itaque Spiritûs privatus, qui omnia novit, omnia judicat, & ipse à nemine judicatur.

Resp: Promifsionis à Deo per Jsaiam atque Jeremiam Prophetas factæ hunc efse sensum, venturum scilicet tempus, in quo non amplius Prophetarum ore, Deus populum suum docebit, sed ore filij sui, quem in mundum se mifsurum contestatur, quod adimpletum Christus affirmat, & Paulus Apostolus in Epist: Ad Hæbr: cap: 1. clarius exponit dicens. Multifariam multisqué modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novifsimê diebus istis locutus est nobis in Filio. Per unctionem autem, quam fideles habere testatur Joannes Apostolus, non intelligitur Spiritus privatus unumquemque docens, sed gratiæ interioris infusio, qua illuminamur ut cognoscamus omnia, quæ prædictione & ministerio Pastorum edocemur, quia ut inquit Augustinus tract: 3. in hunc locum ubi interior Christi inspiratio, & unctio illius non est forinsecus inaniter verba perstrepunt. Addit S. Apostolus illos ad quos scripserat nôfse omnia, non quidem Spiritu privato, sed prædicatione, & doctrinâ, quam ab ipso acceperant, unde non est necefse ut aliquis illos doceret, quoniam ab illo edocti erant omnem veritatem, quare illos admonet, ut semel acceptæ fidei stabiliter adhæreant, atque in ea permaneant.

Tandem idem Apostolus Joannes præcipit fidelibus ut non omni Spiritui credant, sed utrum Spiritus ex Deo sit probent, vitandos Pseudo-Prophetas præcipit, quos etiam dignoscendos efse ibidem docet, non ex privato Spiritu, sed ex doctrinæ profefsione, si inquam spargant doctrinam veritati Catholicæ contrariam unde dicit. In hoc cognoscitur Spiritus Dei, omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venifse, ex Deo est, & omnis Spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Anti-Christus. Doctrina itaque vera, & Catholica non privato instinctu dignoscenda est, & secernendus Spiritus Dei, Spiritus veritatis, â Spiritu Diaboli, Spiritu erroris & seductionis; unde ibidem subdit. Qui novit Deum audit nos, qui non est ex Deo non audit nos, in hoc cognoscimus Spiritum veritatis & Spiritum erroris. Postremo verum est, hominem Spiritualem, hoc est in lege Dei optime instru-

structum omnia judicare non quidem secundum suum privatum Spiritum judiciô decisionis, sed prout ab Ecclesia edoctus est, judiciô discretionis, veritatem à falsitate discernendo, & talis certe spiritualis homo, à nemine qui non sit æque spiritualis, in doctrina fidei æqualiter instructus, judicari poterit, sed à doctiore, atque magis erudito judicari poterit, uterque autem ab Ecclesia judicandus, cujus irreformabile semper est judicium, unde ibidem subjungit Paulus. Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum. Nos autem sensum Christi habemus. Nemo itaque Spiritu privatô sensum Domini, qui nos verbo suo instruit cognoscere potest, sed magisteriô Apostolorum, atque eorum qui illorum Succeſsores sunt, quoniam ji soli Spiritum Christi habent, & verum ipsius sensum optime nôrunt.

ARTICULUS 2dus

De Sacra Scriptura, utrum ipsa poſsit eſse Judex Controversiarum fidei.

Quæres 1. Quâ ratione moderni Hæretici affirmant Sacram Scripturam eſse Judicem Controversiarum fidei?

Resp: Moderni Hæretici Sacram Scripturam adeô ex se claram, ac perspicuam eſse dicunt, ut ad dirimendas fidei Controversias nullô aliô Judice opus sit ac proinde unicuiquê libertatem examinis concedunt, ut illud sequatur quod in scripturis verum perspexerit, ex quo inferunt, solam Sacram Scripturam, Judicem eſse, normam ac regulam ad quam omnia fidei dogmata exigenda sunt, omnes fidei controversiæ per ipsam dijudicandæ.

Quæres 2. Sola Scriptura Sacra potestné eſse Judex Controversiarum fidei?

Resp: Sola Sacra Scriptura nequit eſse supremus, ac sufficiens controversiarum fidei Judex. Is enim non potest eſse supremus ac sufficiens omnium fidei controversiarum Judex, cujus sententia non ita in omnibus clara est, ac perspicua, quin poſsit ab alterutra litigantium parte eludi. Porro hujusmodi est Sacra Scriptura, quia obscura est. Id SS. Patres tanquam certiſsimum habuerant, & propterea eorum plurimi magnô labore, Sacras Scripturas commentariis illustrare studuerunt. Sed & moderni Hæretici velint, nolint, hanc Scripturæ obscuritatem agno-

agnoscere, & fateri coguntur. Si enim eſset per se clara, & aperta omnibus, quomodo in ipsa interpretanda tantùm inter se diſsentiunt, unde inter ipsos, dum Scripturæ perspicuitatem tantoperè deprædicant, tanta oriri potuit errorum & opinionum diversitas. Certè videtur Deum voluiſse sensibili funestaquè experientia eos, qui Scripturæ claritatem deprædicant confundere permittendo ut de omnibus ferè Religionis Dogmatibus, quæ evidenter in Scripturis contineri jactant, mirè inter se diſsidentes luctarentur, omnesqué fermè jam obsoletas hæreses suscitarent. Cum igitur obscura sit Scriptura Sacra, ut ipsa nos edocet experientia, nequit illa pro Judice constitui ad dirimendas quascunque fidei controversias.

Verúm etiamsi Sacra Scriptura ubiquê eſset clara, & perspicua tamen dirimendis omnibus fidei quæstionibus non sufficeret, quod & ipsô quotidianô usu compertum est quam maximè. Nemo enim ignorat ingentem illam controversiarum segetem, quæ tum inter Catholicos & Hæreticos, tum inter ipsos Hæreticos, longò jam temporis intervallô vigent, quælibet litigantium pars Scripturas sibi patrocinari gloriatur, quæ testimonia clara videntur uni ab altero reputantur obscura, quæ ab istis in sua causa patrocinium afferuntur, ab aliis diverso, & sæpe contrario sensu explicantur, cum diſsidia hæc sola Scriptura compescere nequeat, quia mortua est, & ipsa silet cum in varios detorquetur sensus, nulla proinde affulget spes futurum aliquando harum Controversiarum finem, quia nullum moderni Hæretici supremum, vivum, ac visibilem Judicem agnoscere volunt, qui de vero ac legitimo Scripturarum Sensu, sententiam irrevocabilem ferat. Hanc rationem disertè proponit Vincentius Lirenensis in Commonit. cap: 2do sic inquiens. F o r s i t a n r e q u i r e t a l i q u i s, c u m s i t p e r f e c t u s S c r i p t u r a r u m c a n o n, s i b i q u ê a d o m n i a s a t i s, s u p e r q u é s u f f i c i a t, q u i d o p u s e s t u t e i E c c l e s i a s t i c æ i n t e l l i g e n t i æ j u n g a t u r a u c t o r i t a s? Q u i a v i d e l i c e t S c r i p t u r a m S a c r a m p r o i p s a s u a a l t i t u d i n e n o n u n o, e o d e m q u e s e n s u u n i v e r s i a c c i p i u n t. Sola igitur Scriptura Sacra nequit eſse supremus ac sufficiens Judex in fidei controversiis dirimendis.

O b j i c i e s 1. Ad solam Scripturam in fidei quæstionibus definiendis confugiendum eſse, Sacra ipsa Scriptura docet. Nam Joan: cap: 5. Christus ad finiendam controversiam de se ipso cum Judæis exortam, illos ad Scriptu-

ras

ras remittit. Scrutamini Scripturas, illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Unde etiam Beroenses, ut habetur Actor: cap: 17. Erant quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 2. Sancti Patres, exortis Controversiis, non ad alium Judicem provocabant, quam ad Sacras Scripturas. Sola igitur Sacra Scriptura est Judex Controversiarum fidei?

Resp: ad 1mum. Christus doctrina, & miraculis, atquè testimonio Joannis Baptistæ Divinam suam misſionem comprobaverat, sed frustra, quapropter Judæos incredulos provocat ad Scripturas, quibus solis se inhærere profitebantur, ut ex Prophetiis in jis contentis tandem convincantur, ipsum eſse Meſsiam. Sed & dici potest, Christum ibi non loqui modô imperativô quasi præcipiens Judæis, ut scrutentur Scripturas, sed modô indicativô, quasi exprobans ipsis quod Scripturas scrutarentur, & illas non intelligerent, veluti diceret. Scrutamini atquê consuletis Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam se habere, et obcæcati ipsi non videtis, quia illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, quare nullo modo arbitrari poſsumus Christum Scripturas Judæis proposùiſse velut controversiarum Judicem.

Quod veró attinet Beroenses, dicimus. Aliud eſse Scripturas scrutari judició discretionis, ut magis in fide consolidemur, ex quo videmus ea, quæ Ecclesia definiente credimus, eſse Scripturæ omnino consentanea, aliud est id facere judició definitionis, quasi supra Ecclesiam sapientes, ejus decisiones in dubium revocare velimus. Hoc secundum Beroenses non fecerunt qui cum aviditate verbum Dei à Paulo & Sila prædicatum suscæperunt. Scrutabantur igitur Scripturas non quod dubitarent de veritaté eorum, quæ ipsis annunciata sunt, sed ut Prophetica Scripta, cum Apostolorum Pauli et Silæ verbis conferendo magis magisquê in veritate confirmarentur, atquè etiam haberent unde alios convincere poſsent.

Ad 2dum. Id merito à Sanctis Patribus factum eſse, & à nobis id ipsum etiam fieri, quotiescunquè controversia est cum Hæreticis, qui Ecclesiæ definitionibus acquiescere renûunt, & solas Scripturas audire volunt, oportet enim cum illis de aliquo principio convenire, ex quo argumenta desumantur ad eos convincendos. Id tamen non probat Sanctos Patres fuiſse persvasos solas Scripturas eſse legitimum ac sufficientem in dirimendis controversiis fidei Judicem, cum semper & constanter in jis definiendis infallibilem Ecclesiæ authoritatem agnoverint, ac venerati sint.

CAPUT SECUNDUM

De Legitimo Controversiarum fidei Judice, quem Catholici agnoscunt.

Quæres 1. Quis apud Catholicos est Legitimus Controversiarum fidei Judex?

Resp: Catholici omnes unanimiter docent Ecclesiam eſse legitimum Controversiarum fidei Judicem, quod ut clarè & ordinatè demonstrent, 1. probant Ecclesiæ ineſse supremam potestatem Controversias fidei decidendi 2. Ecclesiam in decidendis fidei, ac morum Controversiis eſse infallibilem. 3. tandem nemini licere citra salutis dispendium, fidei dogmata quæcunquè illa sint, ab Ecclesia definita rejicere, jisqué contradicere.

ARTICULUS Imus

De suprema Ecclesiæ authoritate in decidendis fidei morumquè Controversiis.

Quæres 1. An Ecclesia supremam habeat authoritatem fidei, ac morum Controversias decidendi?

Resp: Ecclesia supremam habet potestatem, authoritatemqué fidei ac morum controversias decidendi. In ipsa etenim veteri etiam lege, erat aliquod supremum Tribunal, ad quod omnes causæ graviores, maximè in materia Religionis deferebantur, ut liquet ex Deuter: cap: 17. quod etiam innuit Christus Mat: cap: 23. dicens: Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunquè dixerint vobis servate, & facite. In lege autem nova luculentius id apparet. Exortà siquidem celebri Controversià de legalium observatione, Apostoli rem ad Ecclesiam deferri voluerunt Actor: cap: 15. Conveneruntqué Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc: quæstione autem diligenter examinata, tandem decretum protulerunt, his verbis. Visum est Spiritui Sancto, & nobis. Ex eo autem tempore quotiescunquè controversiæ majoris momenti exortæ sunt, Ecclesiæ Præsules Apostolorum vestigia, præme-

mentes, vel in Conciliis peculiaribus, vel si commode fieri poterat, in Conciliis Generalibus congregati, easdem definiebant. Sic in causa Arii Concilium Nicænum coactum est; in causa Macedonii Constantinopolitanum. Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychetem, & ita demum usque ad Concilium Tridentinum, quod ad definiendas Controversias, à Luthero, Calvino, aliisquè Novatoribus suscitatas celebratum fuit.

Idem probatur ex Sanctis Patribus S. Iræneus lib: 2. adversùs Hæreses cap: 4to inquit. Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositorium dives plenissimè contulerint omnia, quæ sunt veritates. Cum itaquè omnia quæ ad veritatem pertinent in Ecclesia reposita sunt, nequè alibi illa quærenda sint, sola igitur Ecclesia de omni judicat veritate, in sola Ecclesia inveniri potest. S. Augustinus lib: de utilitate credendi cap: 17. hæc habet. Non dubitemus nos condere in Ecclesiæ gremio, quæ ab Apostolica fide per Successiones Episcoporum authoritatis obtinuit, cui nolle primas dare vel summæ impietatis est vel præcipitis arrogantiæ. Culmen authoritatis habet Ecclesia, supremus igitur ipsa est Judex in omnibus definiendis quæstionibus, nolle illi primas dare. adversùs ipsam se extollere, ipsius judicio nolle acquiescere summæ impietatis est, aut præcipitis arrogantiæ, & meritò sic censuit Augustinus, quia in omnibus quæ doctrinam fidei ac morum spectant, judicium Ecclesiæ infallibile ac irreformabile est, scilicet ut idem Augustinus Epist: 119. affirmat. Quæ sunt adversùs fidem, & mores Ecclesia nec approbat, nec tacet, nec facit.

Et certè aliquem debere esse Controversiarum fidei Judicem adèo certum est, ut res hæc nec disputatione digna videatur, si enim in exploranda Scripturæ intelligentia, nullus sit in Ecclesia certus Judex profectò nulla erit Respublica miserabilius constituta. Porrò neque sola Scriptura, neque Spiritus privatus, neque humana ratio potest esse ille Judex à quo Controversiarum decisio expectetur. Restat ergo ut hic Judex sit Ecclesia, à qua & Scripturas recipere debemus, & germanam ac rectam illarum intelligentiam haurire.

Objicies 1. S. Paulus hanc supremam res fidei definiendi potestatem in Ecclesia non agnovit, inquit enim

Epist:

Epist: 2. Corinth: cap: 1. Non dominamur fidei vestræ. 2. Tertulianus in Apolog: cap: 4to unicuique viam examinis apertam probat, imo addit. Suspecta lex est quæ se probari non vult, improba autem si non probata dominetur. Certè jure naturæ unusquisque & potest, & debet ea, quæ ad salutem suam spectant diligenter examinare, non igitur fideles cogi possunt, ut judicio Ecclesiæ acquiescant. 3. Non potest suprema judicandi Controversias Ecclesíæ tribui potestas, nisi manifeste in circulum vitiosum incidamus. Etenim esse in Ecclesia hanc potestatem nonnisi ex Scripturis probari potest, at verò quænam sint Scripturæ Sacræ, quinam illarum sensus nonnisi ab Ecclesiæ definitione pendet, unde Ecclesia definit, se definiendo authoritatem habere, quod pura est petitio principii. Sanè suprema Ecclesiæ authoritas creditur à nobis, ut fidei articulus, porrò nullus est articulus fidei, nisi qui fuerit ab Ecclesia definitus, ergo hæc etiam Ecclesiæ authoritas debet esse ab Ecclesia definita, quod circulum vitiosum continet, & suprema Ecclesiæ definiendi authoritas per eandem ipsissimam authoritatem probatur.

Resp: ad 1mum. Verè dici posse Ecclesiam non dominari fidei nostræ, quia quæ nobis credenda proponit, non ab ejus arbitratu procedunt, sed â Spiritu Sancto, qui in Sinu Ecclesiæ totum revelationis depositum collocavit. Hinc Spiritus Sanctus fidei nostræ dominatur, & Ecclesia quasi organo ad nos instruendos ùtitur.

Ad 2dum. Id à Tertuliano de legibus humanis est dictum, quæ erroribus sunt obnoxiæ. Ipsius enim scopus erat ut gentiles adduceret ad eam legem examinandam, quam contra Christianos Imperatores tulerant, eamqué retractandam esse persvadere conatur, cum injusta apparuerit, neque enim inquit ibidem de cælo ruit ut propterêa infallibilis credatur. Jam verò unumquemquè posse, & debere diligenter examinare ea, quæ ad ipsius salutem pertinent, id non est verum, quotiescunquè homo jis præsidiis non est instructus, quæ ad examen ritè instituendum requiruntur sic exg: egrotus artis Medicinæ ignarus male præsumeret de medicinis sibi à perito medico porrectis judicare. Porro homo quamvis doctissimus arroganter faceret, si eo lumine se instructum putaret, ut sinè ullo erroris periculo verum Scripturæ Sensum semper attingeret, meliùs certè sapientiusqué faceret, si Ecclesiæ definitionibus adhæreat, sciens ei una cum summa judi-

judicandi potestate, etiam inerrantiæ Privilegium fuiſse à Christo conceſsum.

Ad 3tium. Nullum hac in re eſse circulum vitiosum. 1. Enim quando cum Hæreticis de Eccleſiæ potestate in definiendis fidei Controverſiis disputamus, illas afferimus Scripturas de quarum Divinitate nulla cum ipsis est controversia, undecunquè eorum Divinitas certa sit, qua de re tunc præscindimus. Quamobrem omni vitio circuli dedinato, fundamenti loco id aſsumimus, quod utrique parti certiſsimum est, ut inde probemus Eccleſiæ in definiendis fidei controversiis authoritatem. 2. Quando ex Scripturis aliqua proferimus testimonia, ad supremam in rebus fidei, Eccleſiæ probandam authoritatem, non ea in eo Sensu intelligenda eſse contendimus, quia Ecclesia ita intelligenda definivit, quod certé eſset probare idem per idem, sed quia hunc eſse illorum legitimum ac obvium Sensum ex omnibus Hermeneuticæ legibus luculenter eruimus, in quo iterum vitiosus circulus prorsus excluditur. 3. Supremam Eccleſiæ authoritatem in definiendis fidei ac morum quæstionibus non solum ex Scriptura, sed aliis etiam probamus argumentis, potiſsimùm autem ex constanti omnium Sæculorum usu. Nam ab Apostolorum temporibus, usque ad nostra, hæc semper in Ecclesia praxis obtinuit, ut graviorum controversiarum decisio ab Ecclesia fieret, adêo ut quamvis nullæ eſsent Sacræ Litteræ, vel ex hoc solo colligere deberemus fuiſse ab Apostolis in Ecclesia constitutum, quòd in qualibet bene ordinata Republica eſse debet, supremum ac inappellabile Tribunal. Tandem suprema Eccleſiæ authoritas in decidendis fidei atque morum quæstionibus, non pendet à definitione Eccleſiæ. In Religione siquidem nostra quædam sunt veritates fundamentales, quæ ab Eccleſiæ definitionè non pendent, sed ipsi præsupponuntur, & vocari solent articuli præambuli ad fidem. Hujus generis sunt Dei existentia, existentia quoque Religionis, non solum naturalis, sed etiam supernaturalis, & à Deo revelatæ, talis quoque est existentia unius veræ Eccleſiæ, quam Christus doctrina & miraculis fundavit. & veritatis magistram instituit. Hæc à definitione Eccleſiæ non pendent, sed ipsi præsupponuntur, & aliunde probantur quam per Eccleſiæ definitionem, non ergo hic est circulus vitiosus.

Quæres 2. Potestas definiendi fidei ac morum Controversias, cui in Ecclesia competere censetur?

Resp. Potestas definiendi fidei ac morum Controversias

sias solis in Ecclesia competit Episcopis. Id luculentissime testantur Sacræ Scripturæ Math· cap. 28. omnibus Apostolis dixit Christus. Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra, euntes ergo docete omnes Gentes. Marci cap. 16. Prædicate Evangelium omni creaturæ Joan. cap. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Ex quibus sic licet argumentari: Christus Apostolos misit in mundum universum ut Evangelium prædicarent omni creaturæ, ut omnes Gentes docerent, & propterêa appromisit se illis adfuturum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, dicens. Et ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, Eandem præterêa ipsis concessit potestatem, quam ipse â Patre acceperat, quapròpter omnibus fidelibus præcepit ut illos tanquam se ipsum audirent, atquè ipsis obtemperarent. Lucæ cap. 10. Qui vos audit, me audit. Quare Apostolorum munus erat, Christi Evangelium prædicare, ac proinde etiam à Pseudo-Evangelio illud suo judicio secernere, veram Christi doctrinam omnes Gentes edocere, ac propterea quoque suâ authoritate à noxiis erroribus illam discriminari, atque tutari, & in his Apostolos tanquam ipsum Christum audire, atque ipsis obtemperare, omnes fideles fuisse obligatos, adstrictosquè nemo in dubium vocare potest. Quapropter penes Apostolos erat tota authoritas exortas in fidei morumquè doctrina quæstiones definiendi, enascentesquè errores supprimendi, qua etiam statim ab incunabulis Ecclesiæ Christianæ illos usos fuisse compertissimum est. Porro hæc eadem quæ Apostolis competebant, Episcopis quoquè utpotè eorum in officio & munere Successoribus insunt, quod Sanctorum Patrum testimonio facile est comprobare. Namque Sanctus Iræneus lib: 3tio adversus Hær: cap: 3tio expresse affirmat, ab Apostolis constitutos esse in Ecclesiis Episcopos, quos & Successores relinquebant suum ipsorum locum magisterij illos tradentes. S. Cyprianus in Epist: 79. de Christo sic habet. Dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt. Qui vos audit me audit. Hjeronimus Epist: ad Evagrium inquit: Cæterum omnes Episcopi Apostolorum sunt Successores. Itaquè quemadmodùm Apostolis, ita & Episcopis competit potestas atquè auctoritas in doctrina fidei & morum exortas definire, ac decidere controversias, contrarios errores judicio suo compri-

mere. Sed ex Epistolis Pauli id multo clarius, ac luculentius brevi evincitur argumento. Christus namquè ut scribit Apostolus in Epist: ad Ephes: cap: 4to. Dedit quosdam quidem Apostolos, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ut non simus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ, ad circumventionem erroris, quare iisdem Pastoribus præcipit Paulus dicens Actor: cap: 20. Attendite vobis & Universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei; idque non alia de causa illis mandat nisi hac sola, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi, & ex vobis exurgent, viri loquentes perversa. Igitur Episcopis velùti Pastoribus, ac Doctoribus convenit gravissimum onus strictaqué obligatio fideles in veritate doctrinæ confirmare ne simus velut parvuli fluctuantes quæ recta ac justa sunt ostendere, ab omni errore defendere, ac præmunire, in vera fide solidare, ut non circumveniamur in nequitia hominum. Ipsorum est gregi Christi attendere, Dei Ecclesiam regere ac gubernare, opus Ministerij sibi à Spiritu Sancto concrediti fideliter adimplere. In ædificationem Corporis Christi, ad consummationem Sanctorum, ut omnes occuramus in unitatem fidei; quemadmodum in eadem Epistola loquitur Paulus. Ad hanc igitur tutandam fidei unitatem, ad præcavendos fideles ab omni circumventione erroris, & nequitiæ, ad consolidandum in veritate adversus falsitatis contrarios ventos, ad eos præmuniendos adversùs lupos rapaces, & adversùs illos qui loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se, inesse omnino debet Episcopis potestas, & omnimoda authoritas decidendi ac definiendi quascunquè fidei & morum exortas lites, ac controversias. Hæc certê nisi adsit Episcopis ac Ecclesiæ Pastoribus, opus Ministerii eorum inanè erit, & vacuum, semper tanquam parvuli erimus fluctuantes, omni vento doctrinæ circumferemur, & facilè circumveniri poterimus errore in nequitia hominum, loquentes perversa discernere non poterimus, contrà lupos rapaces qui sæpe ad nos in pellibus ovium veniunt, nemo securos nos faciet. Nihil autem horum pejûs dici, aut deteriùs quidpiam cogitari potest.

Idem probatur ex Ecclesiæ continua praxi, àprimis siquidem institutionis ipsius temporibus, omnes fidei & morum

morum quæstiones, ac exortæ quæcunque Controversiæ per Episcopos decidebantur, illi in Conciliis tanquàm Judices omnia definiebant, per ipsos innumeri conditi sunt Canones ad fidem & mores pertinentes. Ergo Episcopis inest potestas atque authoritas fidei ac morum Controversias definiendi.

ARTICULUS 2dus

De infallibilitate Ecclesiæ in definiendis fidei ac morum Controversiis

Quæres 1. Ecclesia in definiendis fidei ac morum Controversiis estné infallibilis?

Resp: Ecclesia in definiendis fidei, ac morum controversiis est prorsùs infallibilis. Insignis ad hanc veritatem demonstrandam est locus Apostoli Pauli in Epist: 1. ad Timoth: cap: 3tio: ubi post nonnulla monita Timotheo data ita concludit. Hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi; columna & firmamentum veritatis. Ecclesia itaque firmamentum est et columna veritatis, à veritate igitur deflectere, errori subjacere nequit, est ergo infallibilis. Unde Augustinus Serm: 1. in Psalmos prædicta Apostoli verba sic exponit. Firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas. Non inclinabitur in sæculum sæculi. Ipsa Ecclesia est prædestinata columna & firmamentum veritatis. Sed multò plûs faciunt ipsiusmet Christi verba Math: cap: 16. quibus sic alloquitur Petrum. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædifiscabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam· Igitur contrà Ecclesiam Christi, quemadmodum hactenus infernus non prævaluit, neque quando Tyrannos ad illam persequendam excitavit, neque quando per Hæreticos eam corrumpere conatus est, sic & deinceps adversùs ipsam nec vi & persecutione, nec fraudibus, aut errorum insidiis prævalere poterit, quia cum ipsa Christus est usque ad consummationem Sæculi semper interpellans ad Patrem ut non deficiat fides ipsius. Sed & pro Apostolis eorumqué Succeſsoribus, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, Christus precatus est Patrem, ut Paracletum daret ipsis, Spiritum veritatis,

 qui

qui in æternum manens cùm ipsis omnem illos edoceret veritatem. Ego rogabo Patrem inquit Joan: cap: 14to & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Manet igitur in Ecclesia atque in æternum manebit Spiritus veritatis, Pastores Ecclesiæ ipse omnem edocens veritatem, omniaqué illis suggerens, non poterùnt itaque errare, & Ecclesia quæ per ipsos à Spiritu Sancto regitur ac gubernatur nec falli, nec fallere potest.

Huic veritati concinunt Sancti Patres S. Joannes Chrysostomus Homil: 4ta in Isaiam. Ecclesia firmioribus quâm cælum ipsum, defixa radicibus hæret. Facilius est solem extingvi, quâm Ecclesiam deleri. S. Hieronimus ad Caput 4tum Isaiæ. Supra Petram fundata Ecclesia nullâ tempestate concutitur, nullo turbine, ventisqué subvertitur. Et S. Augustinus in Psal: 60. Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus Sæculi finis. Demum addi & istud potest, etiam Ecclesias à Romana communione separatas, Græcorum scilicet Nestorianorum, AEtpyopum in articulò infallibilitatis Ecclesiæ, ùt in pluribus aliis nobiscum concordare. Certè toties moderni provocati Hæretici, qui infallibilitatem Ecclesiæ abnegant, ut ostenderent Epocham in qua Ecclesia ab avita Apostolorum doctrina defecerit, nunquam illam indigitare potuerant; quia in illa semper immobilis permansit, & usque ad finem Sæculi permanebit.

Objicies 1. Ecclesia Universalis de nulla re judicat, nihil definit, neminem docet, hæc enim omnia nonnisi ab Ecclesiis particularibus, seu illarum Pastoribus fiunt, qui falli & decipi possunt. 2. Si ista est in Ecclesia Catholica suprema judicandi authoritas, atque infallibilitas, cur in ea tot, ac tantæ vigent controversiæ. 3. Positâ Ecclesiæ in judicando infallibilitate, poterit quilibet in sua Secta tranquilus quiescere, quia illam veram esse Ecclesiam credit.

Resp: ad 1mum. Nihil magis falsum dici potest. Imprimis enim Ecclesia Universalis in Conciliis Generalibus congregata, judicat; definit, docet. Id factum est in Nicæno, id in aliis usque ad Tridentinum, quod omnium postremum est. Deinde quando Ecclesiæ particulares, earumqué Pastores doctrinam Ecclesiæ particularis proponunt, Ecclesia ipsa Universalis per eorum ora loqui censetur,

setur, & si aliquando illos labi contingat, Ecclesia ipsa Universalis, animadvertit, ac corrigit.

Ad 2dum: Ecclesia justis de causis plerumqué definitivam sententiam suspendit, quam si eo juris formulis pronuntiaret, omnes illico sublatæ efsent Controversiæ, non est autem nostrum istiusmodi indagare causas, piè credendum omnia ab Ecclesia justè ac prudentèr ordinari.

Ad 3tium. Aliud est credere Ecclesiæ infallibilem in judicando auctoritatem, aliud est credere hanc Sectam efse illam veram Ecclesiam quæ infallibili judicandi auctoritate pollet. Quantum ad hoc secundum examine opus est, quod & facilè ab unoquoque institui potest, & quod si ritè instituatur, facilè erit veram Ecclesiam, cui Christus semper afsistit â falsis Hæreticorum Sectis discernere.

Quæres 2. Ecclesiæ infallibilitas in definiendis fidei ac morum Controversiis quibus competat?

Resp: Ecclesiæ suprema ac infallibilis authoritas in definiendis fidei ac morum controversiis imprimis competit Conciliis Generalibus legitimè congregatis. Generalia siquidem Concilia legitimè congregata universalem Ecclesiam repræsentant, atque exhibent in suis definitionibus sensum totius Ecclesiæ exprimunt, specialem Spiritûs Sancti afsistentiam habent; unde ea tantummodo in quæstionibus fidei & morum decernunt, quæ ipsis & Spiritui Sancto benè visa fuerint, quare quemadmodum universalis Ecclesia in decidendis fidei ac morum controversiis infallibilis est ita pariter & Concilia Generalia legitime congregata, quapropter omnes Conciliorum Generalium in materia fidei & morum decisiones, definitiones, tanquam irrefràgabilia dogmata ab omnibus fidelibus in universa Ecclesia habebantur, firmiterqué credebantur, qui verò illa recipere, sese ipsis submittere detrectabant pro Hæreticis semper habiti sunt, à communione fidelium præscindebantur.

Dices. Si Ecclesia dirigente Spiritu Sancto in suis definitionibus foret infallibilis, paris efsent ponderis, atque auctoritatis illius decreta, cùm Scripturæ Sacræ libris, quod ideò tantum ut Sacros veneramur, quod Spiritu Sancto afflante exarati sunt. Porrò ista consecutio absurda est, & ab omnibus exploditur.

Resp: Licèt Ecclesia sit infallibilis, attamen inter ipsius decreta, & Sacros Libros magnum intercedit discrimen. Scriptores Sacri Deò revelante, vel inspirante singula scripserunt, nunc verò Ecclesiæ Pastoribus ac Epi-

eopis in Concilium congregatis, nova non fit revelatio, nec inspiratio, per quam suas definitiones con tituant, sed tanquam Judices ea proponunt, quæ in Scriptura ac Traditione continentur, afsistit duntaxat eis Spiritus Sanctus, qui singulari quadam providentia præcavet, ne à verò deflectant & omnia sic attemperant, ut revelatam veritatem semper detegant, & certò ad credendum proponant.

Quæres 3. In rebus fidei ac morum communis Episcoporum per Orbem dispersorum sensus estné infallibilis?

Resp: In rebus fidei ac morum, sensus ac Judicium notoriè majoris partis Episcoporum per orbem dispersorum, paucis licèt contradicentibus est infallibilis. Christus siquidem Math: cap: 28. mittens Apostolos in totum mundum, ut omnes docerent Gentes suam ipsis appromisit præsentiam. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Sæculi, quod & Episcopis, qui per omnes Gentes dispersi sunt competit; eodem siquidem & ipsi gaudere debent privilegiò, unde Hieronimus in Caput ultimum Math: hæc habet: Qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum efse promittit, & illos ostendit semper efse victuros, & se nunquam à credentibus recefsurum. Præterêa Christus antequam in Cælum ascenderet, iterum Apostolis promisit Spiritum Sanctum se daturum, ut illò instructi ac roborati efsent ipsius testes usque ad ultimum terræ. Accipietis virtutem supervenientis Spiritûs Sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem & omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Actor: cap: 1. & hoc certè ad Apostolorum Succefsores, Episcopos videlicet extendi omnino debet, quia & ipsorum munus est prædicare & testificari, ipsos quoquè Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, cum illis etiam in æternum permanere debet Spiritus veritatis, edocens illos omnem veritatem. Major itaque numerus Episcoporum, qui per Orbem dispersi sunt, in tradenda Christi doctrina à veritate aberrare nequit. Unde Tertulianus lib: de Præscrip: cap: 28. hæc habet. Age nunc omnes erraverint, nullam respexerit Spiritus Sanctus Ecclesiam, ut eam in veritate deduceret, ad hoc postulatus à Patre, ut efset Doctor veritatis. Neglexerit officium Dei vilicus, Christi Vicarius sinens Ecclesias aliter intelligere, aliter credere quod

ipse

ipse per Apostolos prædicabat, Ecquid verò simile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint. Quibus verbis aperte affirmat Tertulianus per Orbem dispersas Ecclesias errare non poſse, idcirco quod ipsis semper adsit Spiritus Sanctus. Ergo illorum quoque Rectores, Episcopi nimirum à veritate nunquam deviare poterunt. Quare planum ac prolatum efficitur, sensum communem, ac dogmaticum judicium majoris partis Episcoporum, qui per Orbem dispersi sunt infallibile ac irrefragabile eſse. Merito itaque S. Basilius Epist: 75. scripsit. Justum est res judicari non ex uno vel altero qui non rectè ambulant ad veritatem, sed ex multitudine Episcoporum per Orbem terrarum conjunctorum per gratiam Christi.

Et certe idêo juxta Apostolum Paulum in Epistola ad Ephesios cap: 4to dati ſunt à Christo in Ecclesia Pastores, ut fideles non circumferantur omni vento doctrinæ, nec per astutiam erroris circumveniantur. Porrò finem illum Christi Providentia non aſsequeretur, si Episcoporum societas, totò Orbe dispersa poſset erroneum aliquod dogma fidelibus proponere, imo tum opus ministerij eorum cederet in ruinam ovium, non in ædificationem sed in destructionem Ecclesiæ. Dicendum igitur est, Christum cujus sapientia attingit à fine ad finem fortiter & omnia disponit svaviter, optimè providiſse, ne Societas Ecclesiæ Pastorum, atque Episcoporum, totô Orbe dispersorum in docendo à veritate aberraret, alioquin tunc & tota Ecclesia à veritate deficeret, eô quod a Christo & Spiritu Sancto per Episcopos regatur. Hoc autem cum fieri nequeat, nequit etiam admitti; ut tota societas Episcoporum in fidei & morum quæstionibus erret. Sanè non minus Ecclesia per Orbem dispersa est infallibilis, quam in Concilio congregata. Episcopi in suis sedibus manentes non minùs sunt Judices doctrinæ, positi à Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei; Christus non minùs promisit se tum futurum cum illis, quum ipsi Synodicè sunt congregati. Imo multa sunt Concilia quorum idêo tantum suprema est auctoritas, quia per Ecclesiam dispersam recepta sunt exg: Arausicanum ſecundum; dum è contra, quædam longe numerosiora authoritate destituantur, eô quod sint per Ecclesiam totô Orbe dispersam rejecta, ut Ephesinum ſecundum. Itaque per Ecclesiæ dispersæ authoritatem absque Generali etiam Concilio, Controversiæ fidei, ac morum definiri poſsunt. Episcoporum ergo per

Orbem

Orbem dispersorum unanimis consensus, illorum dogmaticum Judicium infallibile est.

Objicies 1. Singuli Episcopi in suis sedibus existentes falli possunt & fallere. 2. Et reverâ Liberius Romanus Pontifex quadringinti circiter Episcopi Occidentales Arimini congregati, cùm Orientalibus apud Seleuciam subscribentes formulæ per quam fides Nicæna damnabatur; in fide pessimè erraverunt, unus fere Athanasius cûm Hilario, & paucis aliis huic prævaricationi restiterunt 3. S: Augustinus lib. 2do de Baptismo contra Donatistas credidit Controversias inter Christianos agitatas in Conciliis duntaxat plenariis posse dirimi, loquens enim de rebaptisationis quæstione, quæ multos Episcopos cum S. Stephano Romano Pontifice commiserat, asserit se de ea re adhuc fore ancipitem, nisi à Concilio plenario fuisset definita. 4. ut judicium dogmaticum legitime fiat, examen requiritur, quod extra Concilium vix fieri potest, neque enim Episcopi sêorsim sumpti possunt de sensu definitionis dogmaticæ definire. 5 tandem incertum est, quid per majorem Episcoporum numerum sit intelligendum, an qui uno tantum suffragio mediam partem excedit, an quî duplici parte, aliam partem vincit. Ergo major ille Episcoporum numerus idem sentientium ac docentium pro certa fidei regula, statui nequit.

Resp. ad 1mum. Singuli Episcopi, sibi relicti falli & fallere possunt, sed illorum societas, ac multitudo quatenus à Spiritu Sancto diriguntur nec falli, nec fallere potest. Porrò Societas & multitudo Episcoporum quando de rebus fidei & morum decidendis agitur, assistentem sibi Spiritum S. habet, ab eo dirigitur, illuminatur ac instruitur, propterêa nec falli nec fallere potest.

Ad 2dum. Quæ vi, metu, dolo, fraudibus extorta sunt, veritati præjudicare nequeunt, nulliusquè sunt momenti. Si Liberius Romanus Pontifex, si Episcopi Ariminenses, & Seleuciani formulæ fidei ab Arianis sibi porrectæ subscripserunt, id ab ipsis vi, metu, dolo, fraudibus extortum fuit; allegari ergo non potest. Præterêa bonâ fide, & ex intima persvasione formulam fidei sibi porrectam Catholicam esse arbitrantes subscripserunt, quare detectis dolo & fraudibus reclamârunt. Tandem etsi verum esset, Liberium Romanum Pontificem, & postêa Ariminenses & Seleucianos Patres errâsse, semper tamen certum est, eorum errori longè majorem numerum Episcoporum, qui per totum Orbem dispersi erant obstitisse.

Ultimo

Ultimo totam historiam lapsus Liberij Romani Pontificis, atque Ariminensium Episcoporum, dubiam ac prorsus incertam eſse:

Ad 3tium. S. Augustinus aſserit quidem se absque Ecclesiæ authoritate non ausurum eſse quidquam circa rebaptisationis quæstionem aſserere sed non dicit hanc authoritatem in solo plenario Concilio residere, imo contrarium docet dum affirmat S. Cyprianum rebaptisantium acerrimum Patronum ante mortem universi Orbis auctoritati, patefactâ veritate, licèt nullum tunc plenarium celebratum fuerit Concilium, ceſsiſse.

Ad 4tum. Episcopi singuli in suis sedibus, vel per Provincias Synodicè congregati, extra Generale Concilium, poſsunt examen illud facere, ad hoc enim sufficit inspectio Scripturæ Sacræ & Traditionis, quæ ubique præsto est, & ubique consuli potest. Facile quoque est illos de sensu dogmaticæ definitionis convenire definitionem purè & simpliciter in sensu naturali & obvio accipiendi, quod etiam extra Concilium fieri commodè potest.

Ad 5tum. Per majorem Episcoporum numerum, ea intelligi debet pars, quæ notoriè aliam excedit, & quam certum est alteri nec parem eſse & nec inferiorem. Nam juxta Christi promiſsiones vox Ecclesiæ in suis Pastoribus ita semper eminebit, ut & ab omnibus facilè ubique audiri poſsit, & cuilibet errantium parti prævaleat, sicut semper reverâ prævaluiſse evidentiſsime constat.

Quæres 4to: Judicium Romani Pontificis in definiendis fidei & morum quæstionibus estné infallibile?

Resp: In definiendis fidei & morum quæstionibus Romani Pontificis Judicium, cum sciente & non improbante Ecclesiâ latum fuerit, est infallibile ac irreformabile. Enim vero in quæstionibus fidei & morum Romanum Pontificem ratione Primatûs quem in universa Ecclesia obtinet, judicium suum interponere obligatum eſse, certiſsimum est, ipse enim est supremus omnium Fidelium etiam Episcoporum Pastor, unde Christus ad Petrum, & ad illius in Primatu Succeſsores dixerat Joan: cap: 21. Pasce agnos meos, pasce oves meas. & Lucæ cap: 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Romani itaque Pontificis est, & agnos & oves pascere, Fratres suos confirmare. Meritò itaque Felicem Papam in Epist: sua sic alloquitur S. Athanasius. Vos, prædeceſsoresqué vestros Præsules in summitatis arce constituit

Deus

Deus omniumqué Ecclesiarum curam habere præcepit. Quare ipsius munus est, in omnibus Controversiis, atque exortis quæstionibus judicium suum interponere, quod etiam semper Romani Pontifices præstiterunt. Ita Victor Papa in contentione orta circa diem celebrandi Pascha, Stephanus in Controversia circa Baptismum ab Hæreticis collatum, Julius in causa S. Athanasij, quæ cum orthodoxa fide maximè connexa erat, Celestinus in causa Nestorij, Leo magnus in causa Eutychetis. Neque hoc mirum videri debet, quia circa fidei & morum quæstiones, Romanus Pontifex, ut supremus Ecclesiæ Pastor, ex toto Orbe semper consulebatur, ejusqué Judicio standum esse Sancti Pastores docuerunt. Instar omnium sint Præsules Africani in tribus Conciliis congregati, qui in Epistola ad Theodorum Papam sic loquuntur. Antiquis regulis Sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis ageretur Provinciis, non priùs accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis fuerit deductum, ut hujus auctoritate, justa pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi Regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta salutis. Hôc certè testimoniô nihil potest illustriùs proferri, ut ostendatur Romani Pontificis auctoritatem in fidei ac morum quæstionibus toto orbe valere, imo & præcipuam esse. Quod verò Romani Pontificis judicium dogmaticum accedente Ecclesiarum Consensu infallibile ac irreformabile sit, multis evincitur argumentis.

Et quidem Math: cap: 16: sic Christus Petrum allocutus est. Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Judicium itaque cuj error subesse nequit, infallibile est ac irreformabile, porro Judicio dogmatico, quod favente ac obsequente Ecclesiâ circa fidem, ac mores à Romano Pontifice profertur, error subesse non potest. Si enim id contingeret, portæ Inferi sive hæreses, erroresqué contra fidem ac bonos mores, à dæmone suscitandi prævalerent contra Ecclesiam, quæ in Petro fundata est, dum ipsa Pontifici errorem docente obsequeretur. Ex Christi verò promissione fieri non potest, ut portæ inferi prævaleant adversùs Ecclesiam, quæ supra Petrum fundata est, & cui ùt caput, vice Petri Romanus præsidet Pontifex, quoties ergo ipse de re-

bus-

bus ad fidem & mores pertinentibus, non contradicente imo consentiente Ecclesiâ judicium dogmaticum profert, toties illud infallibile ac irrefragabile est. Et hôc sensu, Sancti Patres asserunt, Beatum Petrum fidei columnam, & Catholicæ Ecclesiæ fundamentum, in suis semper successoribus vivere, & judicium exercere, quærentibus fidei veritatem præstare, & fidei damna resarcire per sanam doctrinam, quam Romana Ecclesia cum aliis perseveranter conjuncta semper tenuit ac tenet.

Et certe ipsa generalia Concilia Romani Pontificis de Ecclesiæ consensu circa fidem & mores lata decreta semper ut rata ac fixa habuerunt. Sic Concilium Ephesinum Celestini, Chalcedonense Leonis Magni, Constantinopolitanum tertium Agathonis, Nicænum secundum Adriani I. & Constantinopolitanum 4tum Nicolai I. & Adriani II. Romanorum Pontificum, Judicium ac decreta in rebus fidei ac morum ante prædictorum Conciliorum celebrationem, atque ante definitionem ab illis conceptam, atque statutam, lata atque promulgatâ non solum firma ac rata esse censuerunt, sed & pro fidei ac morum regulis illa habuerunt:

Tandem exemplis bene multis constat, multas hæreses, pro damnatis supremo Judicio ab omnibus reputatas fuisse, quæ à solo nonnisi Romano Pontifice, Ecclesiâ non improbante, sed tacite consentiente confixæ sunt. Sic Zephirinus Papa Montanistas damnavit. Jovinianus solô Siricij Papæ decretô proscriptus fuit, Pelagianorum causa ex rescriptis Innocentij primi finita fuit. Pariter Semipelagianorum Controversiæ, postquam Episcopi quatuordecim, à Felice 4to ad se missos Canones receperunt, & à Bonifacio 4to illorum Synodus confirmata fuit, sopitæ sunt. Sed & posterioribus Sæculis errores Berengarii, Lutheri, & Calvini, ante celebrata Concilia, a Romanis Pontificibus, annuente Ecclesia damnati, tanquam Hæreses ab omnibus habiti, ac rejecti sunt. Ultimo errores Baij, Jansenij, Romanorum nonnisi Pontificum decretis protriti sunt, quibus Ecclesiæ accessit consensus.

Denique omnino necesse est, ut in Ecclesia sit Tribunal permanens, & semper subsistens, per quod natæ circa fidem ac bonos mores Controversiæ illico dirimi possent, ne simus tanquam parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, alias Christus securitati Ecclesiæ non sufficienter providisset. Porro illud Tribunal tam necessarium aliud esse non potest, nisi Romani Ponti-

tifi-

tificis dogmaticum Judicium non contradicente, sed tacite saltem annuente Ecclesia prolatum, ac promulgatum. Per multas siquidem temporum circumstantias, sæpe diu non licet Concilium generale celebrare, expressus quoque & solemnis Episcoporum omnium consensus vix dabilis est, tacitus itaque eorum consensus sufficere debet, ut dogmaticum Romani Pontificis Judicium pro infallibili, ac irreformabili habeatur.

Objicies 1. Multi olim doctrinâ & sanctitate illustres Viri Romanis Pontificibus in rebus ad fidem & mores pertinentibus restiterunt. Ita Polycrates cum Asiaticis Episcopis, Victori Papæ circa diem celebrandi Paschatis, & S. Cyprianus cum Africanis, Stephano circa Baptismum ab Hæreticis collatum. 2. Error Monothelitarum, qui unam in Christo voluntatem, & operationem admittebant, ab Honorio Papa in Epistola ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham missa approbatus fuit, unde etiam Honorius à Concilio Generali 6to inter Hæreticos damnatus fuit. 3. Bonifacius 8. & Gregorius 7. jus sibi in temporalia Regum appropriaverunt. 4. Romanus Pontifex quoniam ex se fallibilis sit, posset decreto suo dogmatico fideles in errorem inducere. Judicium ergo illius non est infallibile.

Resp: ad 1mum. Quando Polycrates, & Cyprianus Romanis Pontificibus Victori ac Stephano restiterunt, tunc ipsi non noverant quid de eorum decretis sentiret Ecclesia; at ubi rescierunt, ea non improbari, credi debet ipsos obsecuturos fuisse quemadmodum illorum asseclæ obsecuti sunt. Sic Asiatici Episcopi paucis Annis post latum à Victore decretum â sua consvetudine circa diem celebrandi Paschatis recesserunt, & decreto Victoris obtemperârunt. Certum quoque est Africanos Episcopos, decretum Stephani amplexos fuisse, ut testatur S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, & S. Augustinus lib: 2do contra Donatistas cap: 4to expressè asserit Cyprianum ante mortem patefactâ veritate, eidem cessisse.

Ad 2dum. Communiter Honorius Papa â labe hæreseos vindicatur, tum ex ejus ad sergium scripta Epistola, in qua clare Catholicum dogma, de duobus in Christo distinctis operationibus ac voluntatibus confitetur, tum ex testimonio Scriptorum præcipue S. Maximi, & Joannis Abbatis, qui Epistolam ad Sergium nomine Honorij scripsit. Unde cum Patres Concilii 6ti Generalis anathema Honorio cum aliis Hæreticis dixerunt, id ex eo factum est, quia ipsum suâ agendi, ac loquendi ratione, errori favisse

arbi-

arbitrati sunt. Præterêa Epistola Honorij ad Sergium scripta, fuit privata Epistola, ad solum Sergium directa, omnibus ignota non fuit, consulta priûs locali Synodo, ut semper Romanorum Pontificum mos erat conscripta, neque ad omnes Episcopos directa, ac proinde non fuit illa decretum dogmaticum, nihil ergo Romanis Pontificibus præjudicare potest.

Ad 3tium. Bonifacij 8. & Gregorij 7. Bullæ atque decreta non erant in Ecclesia recepta, Episcopi majori ex parte illis restiterant, seseqúe opposuerant.

Ad 4tum Utrum Romanus Pontifex seorsive consideratus, independenter à tacito vel expreſso Ecclesiæ consensu in fidei & morum definiendis quæstionibus sit infallibilis, vel non, liberum est unicuique sentire prôut ei placuerit, sed Romani Pontificis in materia fidei, ac morum dogmaticum decretum, accedente tacitô vel expreſsô Ecclesiæ seu notoriê majoris partis Episcoporum consensu infallibile eſse, ac irreformabile, certiſsimum est, ac indubitatum. Si enim tunc Romanus Pontifex erraret, error ipsius totius eſset Ecclesiæ, ut enim Felix 3tius Papa ad Acatium scribens ait: Error cui non resistitur, approbatur, & veritas quæ non defensatur, opprimitur. Cum verò nullus error in rebus fidei ac morum Ecclesiæ attribui poſsit, & præterea principium ab Augustino in Epist: 119 ad Januarium immobile sit dicentis. Ecclesia Dei quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam nec approbat, nec tacet, manifestè inde consequitur Romani Pontificis in materia fidei & morum dogmaticum decretum accedente tacito vel expreſso Ecclesiæ consensu erroneum eſse non poſse.

ARTICULUS 3tius

De his in quibus definiendis Ecclesiæ infallibilitas agnoscenda sit.

Quæres 1. In quibus rebus agnoscenda sit Ecclesiæ infallibilitas?

In jis omnibus rebus agnoscenda est Ecclesiæ infallibilitas quæ à Deo revelata sunt, ac proinde quæ vel in Sacris Litteris, vel in Divinis continentur Traditionibus. Cum vero illa omnia quæ ad ædificationem Ecclesiæ in fidei ac bonis moribus neceſsaria sunt, abundè Apostolis

reve-

revelata sunt, ab jis autem Ecclesiæ Pastoribus comendata, scripta, vel ore, in omnibus ergo quæ ad rectam fidem ac bonos mores pertinent Ecclesia infallibilis est. Iam autem in rebus purè Philosophicis Ecclesiæ definitiones non eſse infallibiles apud omnes receptum est. Cum enim Ecclesia non sit infallibilis nisi in iis definitionibus, in quibus infallibilis Divinæ revelationis fax ipsi prælucet, & veritates pure Philosophicas Deo revelare non placuit, in ipsis itaque definiendis Ecclesia non censetur eſse infallibilis.

Quæres 2do. An in ijs recipiendis atque credendis, quæ ab Ecclesia definita sint aliqua indifferentia, & tolerantia admitti poſsit?

Resp: Moderni Hæretici varias Religiones, quæ, doctrinam à Deo revelatam sectari ſe profitentur, tametsi ſecum ipsis omnino pugnent, indifferenter tollerandas eſse volunt, non ſolum tollerantia civili, ſed etiam theologica, ita ut poſsit unusquisque in ſua ſecta vivere, & ſalutem conſequi. Qui hunc indifferentismum vel tollerantismum profitentur, non omnino inter ſe concordant, alij arctioribus limitibus eum deffiniunt, docentes eos ſolos tollerandos eſſe, qui non ſolum in confitenda Religione Christiana, ſed etiam in præcipuis quibusdam ejusdem Religionis articulis, quos fundamentales vocant, inter ſe conſentiunt e.x g; Trinitatem in Deo Perſonarum, Conſubstantialitatem Filij cum Patre confitentes; alij vero id latius extendentes, ea ſolum dogmata de neceſsitate ſalutis volunt eſſe credenda, de quibus omnes ad unum conſentiunt Christiani, ea vero de quibus aliqua est diſsensio, pro indifferentibus reputanda eſſe arbitrantur.

Quæres 3tio: Utrum omnia fidei ac morum dogmata ab Ecclesia definita, recipi ab omnibus, ac firmiter credi debeant?

Resp: Omnia fidei ac morum dogmata, ab Ecclesia definita firmiter credenda ſunt, quare sine ſalutis diſpendio ne uni quidem dogmati refragari licet. Jd vel ipſa unitas fidei manifestiſsime evincit, ac probat de qua Apostolus Paulus Ephes: cap: 4to hæc habet: Unum corpus, & unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, & ad Philip: Jmplete inquit gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipſum ſentientes. Hujusmodi autem fidei nostræ, centrum est Ecclesia, cujus proinde definitionibus nemo refragari potest, ſecundum Chri-

Christi ipsius effatum Math: cap: 18. Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, quare Apostolus ad Titum cap: 3tio: hæreticum hominem fugiendum eſsè præcipit. Hæreticum hominem post unam & ſecundam correptionem devita: propterea certe, quia Ecclesiam audire nolens ſubverſus est, & proprio ſuo judicio condemnatus. Qua propter ex perpetuo Ecclesiæ uſu constat eos ſemper pro Hæreticis fuiſse habitos & condemnatos, qui ab Ecclesiæ doctrina in quibusvis Articulis diſsentiebant. Sic Novatiani tanquam ab Ecclesia ſegregati habebantur, quia in perſecutione lapsis veniam denegabant: & Canon 8. Concilij Nicæni illos ad Ecclesiam redeuntes recipere prohibet, nisi errore deposito, in scriptis profiteantur, quod adhærebunt & ſequentur Catholicæ Ecclesiæ decreta. Eodem plane modo in Concilio Constantinopolitano primo Canone 7mo: ab Arianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Quartodecimanis, atque Apollinaristis scripto exigebatur profeſsio fidei, qua omnem hæresim anathemalizarent, quæ non ſentit, sicut Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia. Porro si ſunt aliqui in ſolis Articulis non fundamentalibus errantes, certe erant præter Novatianos, Sabbatiani, Quartodecimani, nihilominus tamen hi etiam à Catholicæ Ecclesiæ gremio præcisi pro Hæreticis habebantur. Jn omnibus itaque dogmatibus, ac quibusvis articulis ab Ecclesia definitis, illi obtemperare, ac obedire neceſse est.

Eadem fuit ab ipsis Ecclesiæ incunnabulis Sanctorum Patrum ſententia Clemens Alexandr: lib: 7mo Stromat: Nro. 17. postquam plures Hæreſes enumerâſset, eas omnes à vera Ecclesia, quæ una est, excludit, dicens. In unius sortem coaptatur Ecclesia, quæ est una, quam conantur hæreses in multas díscindere. Post autem illas hæreses, quæ Ecclesiam Dei conantur discindere ennumerat, scilicet Valentini, Marcionis, Basilidis, Peraticorum, Phrygum, Enoralitarum, Docitarum, & Hæmatitarum, Cajanistarum, Ophianorum, & Eutychitarum, quas certè in solis fundamentalibus articulis errâſse nemo dixerit. Origenes autem in Epistolam Pauli ad Titum scribens, Hæreticos quoscunque à salute omnino excludit dicens: Sicut hi, qui fornicationibus, immunditiis, atque impudiciciis, & idolorum cultibus maculati ſunt, regnum Dei non possidebunt, ita & hi, qui in hæresim declinaverunt

Auctor

Auctor quoque Constit: Apost: lib: 6to cap: 18. hæc habet. Jmpios Hæreticos resipiscere nolentes deducite, à fidelibus separate, & Ecclesia Dei palam expellite & cap: 10. diversa Hæreticorum genera enumerans. Quidam eorum inquit docent non esse nubendum & abstinendum esse à carne, & vino, circumcisionem ex lege usurpandam. Atque hi omnes Diaboli instrumenta sunt & filij iræ. Longum esset alios subsequentes adferre Patres, quia omnes unanimiter cujuscunquè generis Hæreticos, ab Ecclesia præcisos esse docent, & propterea eos ad Christi præmia pervenire non posse, profanos esse, hostes, Anti-Christi Synagogas, alienos esse à numero filiorum Dei, nec illos habere posse Deum Patrem, cùm noluerint Ecclesiam habere Matrem. Jta Cyprianus, Augustinus, Hieronimus. Igitur sinè salutis æternæ dispendio, ne in uno quidem fidei dogmate licet Ecclesiæ refragari definitioni, quare futilis prorsus, & ementita est, illa distinctio Articulorum in fundamentales & non fundamentales, cum omnia prorsus fidei & morum dogmata ab Ecclesia definita firmiter credi debeant.

Et certè hucusquè nulla certa regula constitui potuit, qua sinè omni controversia articulorum fundamentalium cathalogus constitueretur. Quos enim una Secta in fundamentalibus ponit, eosdem altera penitus explodit, unde semel invecta ista tollerantia, nulla jam erunt errorum monstra quæ æquo Jure sibi Asylum in Ecclesia non vindicent, & salutem non appromittant.

Objicies 1mo: Jn exordio nascentis Ecclesiæ multi erant judicantes contendentes observantiam Mosaicæ legis esse ad salutem necessariam, contra ac in Concilio Jerosolimitano fuit definitum, at vero hi omnes ubique fuerant tollerati, 2do durum & inhumanum est infinitam propemodum hominum multitudinem, ex eo præcise condemnare, quòd à Catholica Ecclesia errore mentis, cordis tamen simplicitate dissentiunt. Certè si Deus nonnisi unam Religionem esse voluisset, easdem omnibus circa eam ideas indidisset, 3tio etiam in Ecclesia Catholica infinitæ propemodum sunt controversiæ, ac dissensiones circa fidei dogmata, & tamen id sinè ullo salutis dispendio fieri putatur. Quidni etiam Heterodoxis eadem licentia in totis levioris momenti Articulis concedatur.

Resp: ad 1mum. Jn exordio Ecclesiæ eos fuisse toleratos, qui legis, cæremonias ad sufficientem usque Evan-

gelij

gelij promulgationem ita obſervarunt, ut tamen eas neceſſarias ad ſalutem eſse non dicerent, nam in Concilio Jeroſolimitano fuerat quidem definitum, Gentiles ad legis Moſaicæ obſervationem non teneri, non autem fuerat legis obſervantia interdicta. Quando autem universæ Eccleſiæ conſensu, obſervatio legalium interdicta fuit, nemini amplius citra piaculum id facere licuit.

Ad 2dum: Jd crudele ac inhumanum ſinè blasphemia dici nequit, quod ex inscrutabili Divinorum Judiciorum abyſso est constitutum. Apostolus Paulus inter opera carnis, quæ à regno Dej excludunt, etiam Hæreſes & Sectas recenſet, Apostolo ſuffragatur tota Eccleſiæ Traditio, hoc ſufficit, ut id certò certius eſse credamus, utut incomprehensibile sit, alioqui multa alia negari poſsent impunè, ut peccati originalis transfusio, parvulorum sinè Baptismo morientium damnatio, pænarum æternitas, aliaquè id genus, quæ fide credimus compræhendere non valemus. Nihil vero magis falſum, quam in nostra potestate non eſse, Dei gratiâ opitulante veram Religionem dignoscere poſse; siquidem & rectas de ipſo ideas unicuique Deus ſubministrat, & in tanta perſpicuitate illam constituit, qualis ad hominis ſuæ ſalutis ſollicitum plenè convincendum ſufficere poſsit, ac debeat, ut proinde meritò iis vitio vertatur, qui eam non credunt, utatur itaque quilibet, eâ quâ par est, in re tanti momenti diligentiâ, & nullus dubitò inveniri poterit, qui Dei fretus auxiliô, omnibus explosis erroribus, veram & unicam Religionem non cognoscat, ſanctè amplectatur, atque in ea perſeveret.

Ad 3tium: Jnter Catholicos ſalvâ fidei unitate de iis diſputare licet, quæ Eccleſiæ definitione nondum determinata ſunt, dummodo id fiat cum ea animi diſpositione, ut omnis controversia ceſset, quam primum Eccleſiæ oraculum prolatum fuerit. At verò Tolerantes effrenem sibi licentiam postulant, cum ea etiam in controversiam vocare ſe præſumant, quæ infallibili Eccleſiæ definitione rata & firma jam ſunt. Quæ licentia si daretur; nulla jam eſsent fidei dogmata, quamvis capitalia quæ pari Jure in controversiam vocari non poſsint. Atque aperta ſemel hac ianuâ, eo usque Tolerantismus excurret, ut quælibet Secta, nedum Christianorum, ſed & Judeorum, Mahumetanorum, atque ipſorum Gentilium tolerari debeat.

Quæres 4. Jn definiendis quibusvis factis quæ est Eccleſiæ auctorita?

Reſp: Facta triplicis ſunt generis, imo: facta sunt

 reve-

revelata & expreſse in Scripturis contenta exg: quod Chriſtus Dominus sit in Bethleem natus, à Magis adoratus, quod fugerit in Ægyptum, quod paſsus sit, crucifixus, ac mortuus. Atque in hujusmodi factis definiendis, sicuti in cæteris rebus revelatis decidendis Ecclesiam eſse infallibilem, nemo ambigere potest, quia in his prælucet Ecclesiæ infallibilis Divina revelatio, 2do: facta ſunt pure perſonalia, minime revelata, quorum nulla est neque in Sacris Litteris, neque in Divinis Traditionibus mentio, út quod extiterit Hieronymus, Augustinus, hæc & illa scripſerint. Et in hujusmodi factis purê perſonalibus, judicium Ecclesiæ non eſse irrefragabile inter omnes convenit. Omnes siquidem tanquam immobilem ac indubitatam hanc admittunt regulam Juri Canonico inſertam Cap: Nobis de Sent Excom: Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur. Judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit ſollutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica ſententia sit innodatus. 3tio: facta dogmatica quæ ſunt cum doctrina conjuncta exg: an Janſenij liber contineat in ſe quinque propositiones ab Innocentio X. damnatas an non. Et in istiusmodi factis dogmaticis decidendis atque definiendis utrum judicium Ecclesiæ infallibile sit? non convenit inter Theologos; Alij docent in definiendis atque decidendis factis dogmaticis Judicium Ecclesiæ eſse infallibile, alij verò id negant, omnes tamen unanimi conſenſu affirmant, in his etiam definiendis factis Judicio Ecclesiæ firmiter eſse obtemperandum —

CAPUT UNICUM.

De Symbolis Fidei Catholicæ.

Quæres 1mo: Quid ſunt Symbola fidei Catholicæ?

Reſp: Symbola fidei ſunt teſseræ quibus præcipua nostræ Religionis capita continentur. Symbolum enim, inquit S. Maximus Taurinensis est teſsera & signaculum quo inter fideles perfidosque discernitur. Homil in Symbolum. Porro de Singulis Symbolis, quæ vel à Sanctis Patribus, vel in Ecclesiis particularibus confecta ſunt, diſserere non est neceſse, aliqua tantum de illis dicemus, quæ in tota Ecclesia uſui ſunt, & publicâ pollent auctoritate, unde etiam OEcumenica appellari ſolent.

Quæ-

Quæres 2do: Quot sunt Symbola OEcumenica?

Resp: Symbola OEcumenica, tria præcipua sunt, videlicet Apostolorum, Constantinopolitanum, & Athanasij vulgo dictum.

ARTICULUS 1mus.

De Symbolo Apostolorum.

Quæres 1mo: Quid sit Symbolum Apostolorum?

Resp: Symbolum Apostolorum est illud, quod in quotidianis precibus â Fidelibus recitari solet, ideo autem Apostolorum vocatur, quod Apostolos habere Auctores creditur. De hoc Symbolo ita scribit Rufinus in Præf: exposit Symboli, ad Laurentium. Tradunt majores nostri, quod Apostoli discessuri ab invicem, normam sibi priús futuræ prædicationis, in communi constituerunt, ne forte alij alio adducti diversum aliquod his, qui ad fidem Christi invitabantur exponerent. Omnes igitur in uno positi, & Spiritu Sancto repleti breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.

Quæres 2do: Symbolum hoc, quod Apostolorum esse creditur, an re ipsa opus est Apostolorum?

Resp: Non solum multi ex Hæreticis, sed etiam aliqui ex Catholicis intemperantiores Critici, Symbolum hoc Apostolis abjudicant, contendentes non aliâ ratione hoc Symbolum posse Apostolorum nuncupari, nisi quia doctrinam ab Apostolis initio prædicatam in se continet. Verum communior & verior sententia est, Symbolum quod Apostolorum dicitur, verè esse ab Apostolis conditum, & fidelibus traditum. Et id quidem apertissimè testatur Rufinus, qui etsi quartó nonnisi floruit sæculô, antiquam tamen hujus rei adducit Traditionem, inquiens: Tradunt majores nostri; Sed & hujus antiquæ Traditionis â Rufino commemoratæ, alia habemus vestigia apud antiquos Patres, atque Ecclesiasticos Scriptores. S. Jræneus lib: 1mo: cap: 10. hæc habet: Ecclesia per universum Orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & â Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum omnipotentem &c. Tertul: lib: de veland: Virg: cap: 1. hæc scribit. Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unum Deum omnipotentem mundi conditorem, & in Filium ejus Jesum Christum, atque ibidem præcipuos recitat Symboli Apo-

stolici articulos. Hanc verò fidei regulam, Ecclesiam ab Apostolis, Apostolos à Christo accepiſse, testatur libro de Præscriptione. His accedit Lucifer Calaritanus, qui libro 2do adverſus Constantium; Symbolum hoc appellat: Formam disciplinæ, & regulam fidei, per Apostolos traditam. Quæ testimonia si cum ſuperioribus Rufini verbis conferantur, argumentum efficiunt ſatis firmum, ac validum. Et verò Rufini auctoritati vim plurimum addit, aliorum SS. Patrum auctoritas, qui Rufino aut ſuppares, aut paulo posteriores fuerunt. Nam S. Ambrosius Serm: ult: de Eliæ jejunio sic loquitur. Duodecim Apostolorum Symbolo Fides Sancta concepta est, qui veluti periti artifices in unum convenientes clavim ſuo Symbolo conflaverunt. Et iterum lib: 1. Epist: 42. inquit. Quod si doctrinis non creditur Sacerdotum, credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum ſemper custodit & ſervat. S. Hieronymus hac in parte Rufino conſentiens est, namque in Epist: 38. ad Pammach: hæc habet. Symbolo fidei & ſpei nostræ quod ab Apostolis traditum est. S. Cælestinus Romanus Pontifex in Epistola ad Nestorium, Symbolum hoc vocat: Symbolum ab Apostolis traditum. S. Leo Epist: 27. ad Pulcheriam Symbolum istud dicit, brevem & perfectam confesſionem, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata ſententiis. Similiter & Caſsianus lib: 6to de Jncar: cap: 3tio Symbolum hoc nominat, collatum ab Apostolis Domini totius Catholicæ legis fidem. Tandem S. Maximus Taurinensis Homil: de Tradit: Symboli sic inquit: Apostoli Ecclesiæ Dej Mysterium Symboli tradiderunt, ut quia ſub uno Christi nomine credentium futura erat diversitas, signaculum fidei inter fideles, perfidosquê discerneret. Ac demum Regula est, à S. Augustino constituta, & à cordatioribus Criticis probata. Ut quod univerſa tenet Ecclesia, nec Conciliis constitutum, ſed ſemper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum certisſime credatur. At verò Symbolum Apostolorum à nullo Concilio confectum est, cum ante Nicænam Synodum omnium primam, in Ecclesiis jam legeretur. Opus igitur Apostolorum est.

Objicies 1. Symboli Apostolorum apud S. Lucam qui Acta Apostolorum descripsit, nulla mentio. SS. Patres

hoc

hoc Symbolo ad revincendos Hæreticos non utuntur. 2. Si Apostoli ad fidei unitatem conservandam Symbolum confecissent, debuisset ubique locorum idem esse, & invariatum servari. Porro incredibilis est ipsius pro Ecclesiarum diversitate varietas. 3. Si ab Apostolis fuisset Symbolum totidem planè verbis, ac sententiis confectum, deberet ut Sacra Scriptura haberi ac venerari. Quod tamen non fit.

Resp: ad 1mum. Cum multa alia in Sacris Litteris fuerint prætermissa, mirabile videri non debet, si nulla à S. Luca Symboli mentio facta sit, præcipuè quia ut S. Hieronymus ait Epist: 38. non erat scribendum in charta, aut attramento, sed in tabulis cordis carnalibus. Nihil verò magis à veritate alienum est, quam SS. Patres hoc Symbolum ad revincendos Hæreticos non adhibuisse, namque S. Ambrosius Hæreticos Mariæ Virginitatem negantes ex hoc Symbolo confutat lib: 1mo: Epist: 42. S. Iræneus, & Tertulianus locis supra citatis id ipsum præstant.

Ad 2dum. Ex allato S. Ambrosii testimonio patet, Symbolum Apostolorum in Ecclesia Romana fuisse intemeratum asservatum, in aliis verò Ecclesiis nonnulla identidem fuerunt adjecta, quæ tamen implicitê jam in eodem Symbolo continebantur, hæc verò adjectio facta contigit, propter hæreses in illis Ecclesiis exortas, unde Rufinus in exposit: Symboli sic inquit: Commonendum puto, quod in diversis Ecclesiis aliqua adjecta inveniuntur, in Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur, propterêa quòd nec hæresis ulla illic sumpsit exordium, & mos inibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium populo audiente Symbolum reddere. Præterêa cum Symbolum non in charta, & attramento scriberetur, sed solùm memoriæ à fidelibus mandaretur, mirabile videri non debet, quasdam in illud irrepsisse mutationes. Sane si in ipsas Sacras Scripturas tot variantes lectiones invectæ sunt, multò minùs mirari quis debeat, in Symbolo memoriæ solùm commendato, multa fuisse mutata.

Ad 3tium. Symbolum Apostolorum non est Scripturis Sacris annumerandum, quia traditum est, non ut scribatur in charta, & attramento, sed ut tabulis cordis per auditum insculpatur. Verumtamen Symbolum Apostolorum est fidei nostræ Regula, sicuti cæteræ omnes Divinæ Traditiones.

AR-

ARTICULUS 2dus.

De Symbolo Constantinopolitano.

Quæres 1. Quid est Symbolum Constantinopolitanum?
Resp: Symbolum Constantinopolitanum est illud, quod à Sacerdotibus in Missa recitari solet. Hoc à Symbolo Apostolorum non differt nisi in paucis. Scilicet imprimis in Concilio Nicæno, ad condemnandam Arii Hæresim, quædam ad Symbolum Apostolorum adjecta fuerunt, deinde verò in Concilio Constantinopolitano, ad profligandos Macedonij errores iterum alia addita sunt. Duo itaque Symbola Nicænum & Constantinopolitanum à Symbolo Apostolorum re seu quantùm ad substantiam non discrepant, tantummodò pauca quædam ad hæreses Arij ac Macedonij condemnandas addita, atque adjecta in se continent.

Quæres 2. Quis fuerit Symboli Constantinopolitani usus?
Resp: In Ecclesia Orientali Catechumenis Symbolum Nicænum, & postea Constantinopolitanum potiùs quam Apostolorum tradebatur, ut contra Hæreses Arii atque Macedonii quæ ibi maximè grassabantur, præmunirentur, non tamen Symbolum Apostolorum planè omissum fuerat, quoniam illud fideles memoriæ mandare tenebantur, ut constat ex S. Cyrillo Cath: 5ta. Ecclesiæ tamen Occidentales constantes in antiqua disciplina perseveraverunt, & Apostolorum Symbolum Catechumenis ad discendum, atque profitendum tradebant.

Quæres 3tio: Cur Ecclesia Symbolum Apostolorum, submissâ nonnisi recitat voce, Constantinopolitanum vero publicè, & solemniter decantat?

Resp: Communis opinio est, Symbolum Apostolorum submissâ voce ab Ecclesia recitari solere ad designanda persecutionum tempora, in quibus ab Apostolis conditum, & in Ecclesiis propagatum fuit. Constantinopolitanum autem publicè recitari, immo solemniter cantari, quia eò tempore fuit confectum, quô Ecclesia extinctis Tyrannis, sub Constantino Imperatore Christiano, suam fidem palam profiteretur. Ceterum Ecclesia multo frequentius Symbolum Apostolorum, quam Constantinopolitanum recitat. Hoc enim nonnisi aliquando, & in Missa solum, illud autem quotidie, & sæpius in Officio adhibet.

ARTICULUS 3tius.

De Symbolo vulgo Athanasiano.

Quæres 1. Quodnam Symbolum vulgo Athanasianum vocitatum? Resp:

Resp: Symbolum quod vulgo Athanasianum nuncupatur illud est, quod Dominicis diebus ad Horas Canonicas à Clericis recitari solet, & incipit. Quicunque vult salvus esse: ideo autem Athanasianum nuncupatur, quod communis olim esset opinio, illius Auctorem fuisse S. Athanasium Patriarcham Alexandrinum. Huic autem communi opinioni sese opposuit magna recentium Criticorum cohors, qui tamen vehementer inter se dissentiunt, cum de illius Symboli auctore determinando agitur.

Quæres 2. Utrum S. Athanasius, Symboli Quicunque: sit verus ac genuinus Auctor?

Resp: Nullô firmô argumentô probari potest S. Athanasium Symboli Quicunque: esse verum ac genuinum Auctorem. Enimverò altum est hujus Symboli silentium apud Auctores S. Athanasio coævos, aut propinquiores ætate. Nihil de eo habent Theodoretus, Socrates & Sozomenus, qui ejusdem tamen commemorandi occasionem habuerunt, dum de Concilio Romano in causa Athanasij coacto verba faciunt. Nihil in vetustioribus S. Athanasij tum Græcis, tum Latinis codicibus. Nec S. Cyrillus, nec Ephesina Synodus, neque S. Cælestinus, neque Cassianus contrà Nestorianos, neque Patres Chalcedonenses, contrà Eutichianos hoc Symbolum adhibuerunt, cum tamen utraque hæc Hæresis, clarè atque explicatissime in eo profligata reperiuntur. Sanctus autem Leo in Epistola ad Leonem Imperatorem verba quidem S. Athanasij ex Epistola ad Epictetum allegat, Symboli autem quod ad rem multo magis facere potuisset, ne quidem meminit. Jmo nec Latini ante Gregorium IX. id est ante Annum 1232. hoc Symbolo contrà Græcos usi sunt, ut Phocianos Spiritûs S. processionem à Filio negantes tanti Ecclesiæ Græcæ luminis auctoritate confunderent. Præterea, Latina potius videtur esse, quam Græca prima hujus Symboli origo, quod vel eô solum constat, quod in Græcis Exemplaribus magna habetur varietas, contra vero in Latinis summa consensio, hæc autem Græcorum exemplarium varietas nonnisi ex diverso Interpretum genio oriri potuit. Quamquam verò S. Athanasius inter Latinos aliquamdiu commoratus fuerit, vix tamen est credibile, eum etate jam provectum, ita bene latinas litteras didicisse, ut opus hoc elucubrare potuerit. Hæc omnia sin minûs divisim, saltem simul sumpta, verisimiliter ostendunt Symbolum, Quicunque: non esse S. Athanasij genuinum opus.

Objicies 1. Sanctus Gaudentius Episcopus Brixiensis Commentarium in hoc Symbolum edidit. S. Augustinus Enarrat: in Psal: 120 istud Symbolum citat, inquiens Pater Athanasius Alexand: Episcopus ita pul-

chré

ehré locutus est. Filius inquit à Patre ſolo est non factus nec creatus, ſed genitus. Deinde Synodus Augustodunensis Anno 670. Toletana 4ta Anno 632. habita, hujus Symboli expreſsam mentionem sub nomine Athanasij habent. Tandem in antiquis manuscriptis Psalteriis, & vetustiſsimis codicibus hoc Symbolum, nomen Athanasij præferens, continetur.

Reſp: S. Gaudentij in Symbolum Athanasij editus Commentarius nullus est, neque in Bibliotheca Patrum, neque apud alios probatos Auctores invenitur. Verba autem S. Augustini mox citata, in omnibus Manuſcriptis ejusdem S. Patris operibus, ac in probatioribus editionibus non reperiuntur. Quod veró in quibusdam Synodis, Pſalteriis ac vetustis codicibus Symbolum Quicunque: nomine S. Athanasij insignitum habeatur, laudetur, non est mirum, siquidem à Sæculo 6to jam hoc Symbolum, ſub fictitio Athanasij nomine exstabat, quare concludendum est, ſuppositionem hujus Symboli eſse antiquiſsimam, unde plures Auctores etiam ex vetustioribus re minimè diſcuſsâ, illud ſub nomine S. Athanasij laudaverunt.

Quæres 3tio: Quis ergo Symboli Quicunque: verus est Auctor?

Reſp: Verisimilior est opinio illorum qui cenſent verum Auctorem Symboli Quicunque: eſſe Vigilium Tapſenſem in Africa Epiſcopum, qui Sæculo 5to claruit. Hoc enim ille Symbolum à ſe elucubratum ſub nomine S. Athanasij in lucem publicam emisit, ut majorem illi authoritatem conciliaret, quod non ſemel ab eo factitatum fuiſse obſervant viri eruditi. Sed quidquid sit de vero istius Symboli auctore, certum est hoc Symbolum veram Ecclesiæ doctrinam, maximè de Trinitatis & Jncarnationis Mysterio continere, magnamquè apud omnes habere auctoritatem.

Quæres 4. Præter tria prænominata Symbola, ſuntnè alia publicâ auctoritate comprobata?

Reſp: Præter prænominata tria Symbola, ſunt alia nonnulla publicâ Ecclesiæ auctoritate commendata, atque comprobata. Nimirum Symbolum Lateranenſe, in Concilio Lateranensi Anno 1215. conditum. Viennense in Concilio Viennæ Allobrogum Anno 1311. conditum. Profeſsio fidei, ſeu Jnstructio pro Armenis facta ab Eugenio 4to. Papa statim post abſolutam Synodum Florentinam, ac denum celebris profeſsio fidei à Pio IV. Romano Pontifice post Concilium Tridentinum Anno 1564. edita, quam emittere tenentur, quotquot ad beneficia Ecclesiastica, aut ad publicum docendi munus aſsumuntur.

TRA-

TRACTATUS
DE
RELIGIONE
CAPUT PRIMUM
De natura Religionis, ejus existentia, atque necessitate
ARTICULUS PRIMUS
De natura Religionis, atque ipsius existentia.

Quœres 1. Quid sit Religio?

Resp: Religio *a religando* dicta, in hoc posita est, quod hominem Deo obstringat, undè rectè definitur: *Modus, seu ratio colendi Deum, ipsi debitum honorem atque obsequium convenientissimum exhibendo* Hinc patet evidenter cultum à Religione præscriptum, debere esse Divinæ naturæ, ejusquè attributis maxime consentaneum, alias non erit Religio, sed superstitio. Religioni itaque opponitur superstitio, quâ cultus Deo exhibetur quidem, sed eô modô qui ipsius naturam dedecet, aut etiam non vero Deo, sed illis præstatur, quibus non debetur.

Quœres 2, Quomodo Religio dividi soleat?

Resp: Religio dividi solet *in naturalem, & revelatam. Naturalis* illa solum complectitur officia erga Deum, homines, ac nosmetipsos, quæ solius rationis humanæ ope investigare, ac cognoscere possumus. *Revelata* ea continet, quæ limitatæ nostræ rationi impervia sunt, & singulari nonnisi modô nobis à Deo manifestata sunt. Verum Religio unica est, eaque tota a Deo revelata, primo quidem ab exordio mundi solâ Traditione, post autem Scripto etiam propagata, attamen in Religione sunt quædam veritates quæ naturales dicuntur, quatenus naturales humanæ rationis

onis vires non excedunt, alia vero supernaturales nominantur, quia nonnisi supernaturalis revelationis ope, innotescere poterant; cujusmodi sunt Mysteria Fidei, & plura positiva Præcepta, à Deo hominibus imposita atque hujusmodi veritatibus naturalibus, ac supernaturalibus, una, & Sancta Religio constituitur.

Quæres 3. Quotuplex est cultus quem Deo debitum Religio præscribit?

Resp: Cultus quem Deo debitum Religio præscribit duplex est, alius *internus*, isque in Religione præcipuus, qui in cordis interioribus affectibus situs est, maxime vero in actibus Fidei, Spei, & Charitatis. alius *externus*, cum cæremoniis ac ritibus quibusdam exterioribus obsequium Supremo Numini debitum exhibemus.

Quæres 4. Quod est Religionis objectum?

Resp: Primarium Religionis objectum est ipse Deus, secundarium verò est cultus Deo exhibendus. Tota siquidem Religio eò occupatur ut Deus colatur, honoretur, sed semper ratione, ac modò, qui Divinæ naturæ congruit atque convenit, unde Religionis officium ac munus est Divinum cultum rectè ordinare, ac præscribere.

Quæres 5. Existitne reipsa Deus, qui ab hominibus colatur?

Resp: Deum existere certissimum, ac indubitatum est, id evincitur ex omnium rerum quæ in hoc mundo cernuntur conditione. Omnia siquidem contingentia esse, vel ipsa experientia constat, quare à se ipsis illa esse non possunt, sed ab alia aliqua causa producta sunt, cum verò in causarum serie procedi non posset in infinitum, necesse tandem est, ut ad aliquod ens perveniamus in productum, & necessitate naturæ suæ existens, à quo cetera omnia originem traxerint, hoc autem ens aliud esse non potest, nisi Deus. Sed & ipsa totius universi contemplatio ostendit Deum existere. Tanta siquidem in eo relucet pulchritudo, concinnitas, & in perpetua rerum variatione constantia, ut vel ratione eum carere necesse sit, qui eam non considerat, vel cum ratione insanire, qui eam sine Omnipotente, sapientissimaque causa esse, aut conservari posse comminiscatur. Quando etiam ad nos ipsos cogitationem convertamus, animiqué nostri naturam consideremus, cujus tanta est in cogitando facilitas, in intelligendo subtilitas, in volendo libertas, tantusqué aliarum perfectionum cumulus, ut rectè fuerit homo appellatus, miraculum omni miraculo majus, quis ergo inde non debeat concludere,

Deum

Deum eſse tam admirabilis operis artificem. Postremò omnium Gentium Barbarum, atque excultarum, omnium fere hominum tam Sapientium, quam indoctorum unanimis, ac perpetuus consensus, validiſsimum pro existentia Dei suppeditat argumentum, in quo plurimam vim ponebat Cycero *libro de natura Deorum Cap: 17mo* dicens: *de quo omnium natura consentit id verum eſse neceſse est.* Omnes autem tam doctos quam indoctos in confitenda aliqua suprema Divinitate inter se consentire, in omnibus etiam gentibus, quamquam aggrestibus, ac immaniſsimis, Dei notionem, cultum, ac timorem semper viguiſse, ac etiamnum vigere, nec unquam obliterari, delerique potuiſse, authoritate Philosophorum, atque Historicorum, quam plurium ac experientia ipsa luculentiſsime comprobatum est.

Quœres 6. An? & qualis Deo debetur cultus?

Resp: Internus æque ac externus Deo debetur cultus. Deum siquidem cultu interno colendum eſse nemo eorum dubitavit, qui Deum nostrum eſse & principium, & finem confitentur, ex eo namque summum amorem, obsequium, ac summam illi deberi à nobis servitutem evidentiſsimè consequitur. Porrò his cultus interior constituitur, & nemo nisi Atheus sit, negare potest Deum nostrum eſse principium & finem. Ergo internus Deo debetur cultus. Sed & externus pariter ipsi exhibendus est. Namque exhibendo Deo non solum spiritualia, sed & corporalia obsequia, eum per hæc confitemur non solùm animæ, sed & corporis nostri Auctorem, ac Dominum eſse. Et quoniam mens nostra per sensibilia quædam signa, facilius elevatur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur, igitur si neceſse est Deum actibus internis colere, oportet etiam actibus externis ipsum venerari. Quare ubicunquè invaluit aliqua Religio, invaluit & exterior aliquis Dei cultus, seu per preces publicè persolutas, seu per Sacrificia oblata, quibus testabantur homines Deum eſse supremum vitæ & mortis arbitrum. Nativa autem hæc hominum in exteriorem Dei cultum propensio nonnisi à natura eſse potest, atque à primis statim hominibus dimanavit ad ceteros omnes, ac hucusquê perseverat. Uterque itaque cultus tam internus, quam externus Deo omninò debetur.

Quœres 7, Utrum semper extiterit Religio?

Resp: Inter omnes Gentes quæ per totum orbem diffusæ sunt, etiamsi sint ferociſsimæ, dari aliquam Religionem indubitum est apud omnes, nullæ siquidem sunt

natio-

nationes Atheæ, apud omnes viget agnitio alicujus Dei: qui verô qualemcunque tandem agnoscunt Deum, illi cultum præstant, Sacrificia offerunt èum adorant, invocant, reverentur. Sed et ab exordio statim mundi, semper Religionem extitiſse comprobatiſsimum est. Quicunque enim Deum agnoverunt, illi debitum cultum nunquam denegarunt, nulla verô unquam fuit Gens, quæ Deum non agnoverit, nulla quoque fuit, quæ ipsum non coluerit, ac proindè non aliquam tenuerit Religionem. Et de primis quidem ab exordio mundi nationibus, ac populis, antiquiſsimus Scriptor testatur Moyses in suis libris, quem hic nonnisi ùt historicum consideramus, quare statim ab incunabulis mundi, Cain de fructibus terræ munera Domino offerebat, Abel vero de primogeniti gregis sui, et de adipibus eorum, & secundus post Adam Enos, cæpit invocare nomen Domini: quia scilicet cultum eius Publicum ordinaverat. Noe quoque egreſsus de Arca, ædificavit Altare Domino, & tolens de cunctis pecoribus, & volucribus obtulit holocausta super altare. Melchisedech quoque Sacerdos erat Dei altiſsimi, panem & vinum in Sacrificium obtulit. Quam celebratiſsime fuerit Religio cultusque Dei magnificentiſsimus apud Judæos nemo ignorat, verum & apud alias nationes AEgyptiorum, Chaldeorum, Græcorum, Romanorum fuiſse Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacrificia, ji testantur, qui eorum historiam conscripserant. Merito itaque Tullius in oratione pro Flacco dixit: *Sua cuique Civitati Religio est, Deum quippe natura venerari novit, nec quisquam est homo, qui lege, quæ hoc præcipiat careat.* Semper igitur, et ubique viguit qualiscunque tandem Religio, & sinè omni prorsus Religione nulla unquam extitit natio, neque ulla modô existit.

Quæres 8. Quis Religionem instituit?

Resp; Deus ipſe mundum ex nihilo creans, & hominem de limo terræ efficiens, Religionem statim instituit. Certè illud Deus ab exordio mundi instituit, quod in ipsa mundi creatione neceſsario intendere debuit. Porrò Deus in ipſa mundi creatione cultum sui tam interiorem, quam exteriorem in quo tota consistit Religio intendere neceſsario debuit. Enimvero Deus mundum creando ab homine cognoſci, amari, atque timeri voluit, voluit ut animi demissione in omnibus ei obtemperaret atque in eo ſpem ſuam totam collocaret. Quorsum enim Deus in cælo et in terra ſapientiæ, & magnificentiæ ſuæ divitias ostendit, nisi ut crea-

creaturâ rationalis operibus tam eximiis attendens, agnosceret quis eſset horum artifex, & à magnitudine ſpeciei creatorem horum intelligeret, ac veneraretur. Quorsum etiam cælestia, & terræna in solius hominis gratiam condidit, nisi ut is tot bonorum Authorem tenere deligeret. Quod si intonuit de cælo Deus, & Altiſsimus dedit vocem ſuam, non aliô prorſus fine, nisi ut timeat Dominum omnis terra, & contremiſcant omnes inhabitantes terram, eique in omnibus obſequantur. Certè vel Deus creando hominem voluit his, aliisquè similibus actibus ab ipſo neceſsario coli, vel omnia illis indifferenter permisit, ut ipsi eſsent omnia licita, & ex æquo rationi congrua. Sed hanc conſequentis impietatem & ratio, & natura demonstrant, quæ æternos inter bonum & malum, virtutem inter & vitia limites constituerant, ita ut antecedenter ad positivam quamcunque legem, amor Dei rationi congruat, ipsius autem odium ab ea omninò diſsonet. Miritò itaque Paulus in Epist: ad Romanos Cap: 1mo acriter insectatur, ac inexcusabiles pronuntiat Græciæ ſapientes, qui cum per ea, quæ facta sunt, ſempiternam Dei virtutem cognoviſsent, eum tamen non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed in cogitationibus ſuis evanuerunt, nefanda quæque perpetrantes, & hôc modô perfracte ſupremæ rationis legem conculcârunt. Quodsi Deus creando hominem quibusdam internis actibus voluit ab eo Religiose coli, voluit etiam exteriùs ab ipſo venerari, ſcilicet homo ut animam sic & corpus Deo debet, ergo & Sacrificium utriusquè ab homine Deus exigere & potuit, & quodammodo debuit, animæ quidem ut illum præceteris omnibus homo diligeret, corporis vero ut per exteriora signa testificaretur ſubstantiam ſuam tamquam nihilum coram ipſo eſse, ſeque ſummam illius Majestatem omnibus venerari modis.

Et vero potuit Deus cultum ſui hominibus præcipere, habet siquidem ſupremum in omnes creaturas Dominium, unde potest ab ipsis exigere quidquid æquum, ac justum ipſi videbitur, & hæc adimplere omni jure tenetur homo, & quô plùs opere præstat Deo, eô plus & mercedis expectat. Quemadmodum igitur Pater familias, ut filiorum amorem & obedientiam exploret, quædam identidem exigit, sic & Deum feciſse omnino credendum est, quædam hominibus præcepiſse ut illorum erga ſe amorem ac obedientiam exploratam haberet. Potuit ergo Deus cultum ſui hominibus præcipere. Sed & reipsa id Deum feciſse, ſuique cultum hominibus imperaſse indubita-

tum

tum est. Voluit siquidem Deus ab hominibus coli cultu Sancto, ac legitimo sibiq; grato, ne itaque in illo exhibendo homines à Divinæ ſapientiæ, justitiæ, ac Sanctitatis regulis aberrarent, ipſe eum instituit, atque præcepit. Deus igitur mundum ex nihilo creans, & hominem de limo terræ efficiens, Religionem instituit, & cultum ſui legitimum, ac Sanctum præscripsit.

Obijcies 1mo Cultus prorſus Deo inutilis est, quia ſolus cum sit ſumme beatus obſequiis mortalium non indiget, *2do.* Si Deus cultum aliquem ab hominibus exigeret, cultum hunc ubique gentium unum, & consimilem indixiſset. Porro Deus uniformem ſui cultum non indixit, unde tot fere extiterunt colendi Deum rationes, ac modi quot Nationes. Ergo nullum prorsus ſui cultum Deus instituit.

Resp. ad 1. Voluit Deus creare mundum, & ipſum reipſa effecit, ex nihilo producens omnia quamquam nihilo horum indiguerit, sine his ab æterno Beatiſsimus existens, parimodo obſequiis nostris non indiget Deus, cultus, quem ipsi exhibemus, Deo neceſsarius non est, inde tamen minimè ſequitur illum non instituiſsæ, quia & nobis ſumme utilis, & perneceſsarius est & ſumma æquitatis ratio eum expostulabat. Certe Deus cultum ſui eô ferè modô instituit, ac hominibus præcepit, quô Princeps de terra ſuscitat inopem, ſolam ab ipſo exigens gratitudinem, non ut bonum quô ditetur ipſe, aut perficiatur, ſed ut tributum, quod propter accepta beneficia rependi ſuprema jubet ratio, & quô plura ipſe apud Principem mereatur, atque obtineat. Sapienter itaque pronuntiavit Augustinus quæst: 3tia ad Paganos. *Nobis prodest colere Deum, non ipsi Deo:* quia inquam Deum colendo, & debitam gratitudinem pro acceptis beneficiis illi exhibemus, & majora per hoc promeremur bona.

Ad 2dum. Diversitas ac varietas in modo colendi Deum, Religioni minime contrariatur, dummodo nihil indecori, ac ſuperstitiosi habeat. Ut enim Deus cultu exteriori legitimè honoretur, ſufficit ut homo suam in illum obſervantiam testetur per signa quæ Divinæ ipsius congruunt naturæ. Hæc porro signa pro Regionum indole varia ac diverſa ſunt, ubique tamen Sacrificia, exterior corporis demiſsio, quando Deus invocatur, atque exoratur, pari conſenſu recepta fuerunt; amor autem Supremi Numinis, gratiarum actio, quæ primarium Dej cultum constituunt, pari viguerunt modô, ubicunque vox naturæ audita est.

Qua-

Quare unanimi populorum conſenſu, quoad ſubſtantiam una eademquè Religio ſemper agnita & obſervata fuit.

ARTICULUS 2dus

De Necessitate Religionis.

Quæres 1. Quid de Religionis neceſsitate ſentiunt Increduli?

Resp: Increduli atque Religionis hostes quemadmodum in cæteris rebus, ita etiam hac in re vehementer ſibi ipſis repugnant. Aliqui enim Religionem non à Deo datam, ſed à Politicis invectam eſse comminiscuntur, quare retinendam eſse putant utpotè utiliſsimam ad continendos in officio homines: alij verò ab opposito, eam tanquam inutilem, imo & perniciosam abolere conantur, verùm & primi turpiſsimè errant, & ſecundi peſsimè falluntur.

Quæres 2. Religio estne hominibus utilis, ac neceſsaria?

Resp: Religio hominum ſocietati est maximè utilis. Nihil ſiquidem efficacius eſse potest ad vitia impedienda, quæ cujusvis ſocietatis pestes ſunt, & ad virtutes quibus homines invicem colligantur promovendas fortiùs, quam amor & timor Dei, quæ ad Sanctiſsimas ipsius Leges, Societati humanæ maximè utiles obſervandas, etiam illi permoventur, qui temporalia ſupplicia non timent, aut præmia non ſperant, quales certé inter homines non pauci ſunt. Quare civilis Societas absque Religione stare non potest, ſi namque illa ſolvantur principia, quæ Religio docet, & quibus ipſa innititur, quibusvis ſceleribus latiſsimus aperietur aditus, ac proinde quævis periclitabitur ac ruet humana Societas: ad conſervandam igitur humanam Societatem Religio maximè utilis est.

Objicies 1. Etiam admiſsa Religione adhuc innumera mala graſsantur, quæ Societatem humanam infelicem reddant 2. Quæcunque de Religione circumferuntur, à præjudiciis orta ſunt, quia juvenibus paſsim judicia Dej inculcantur; præjudicia autem infantiæ ſpernere oportet.

Resp: ad 1. Qui à Religione in officio non continentur, eam illi nonnisi verbis profitentur, factis autem negant. Deinde certúm est, sin minûs omnia, ſaltem quam plurima vitia à Religione impediri. Quot enim ſunt homines, qui temporales pænas aut non timent, aut effugere ſe poſse ſperant, timent verò ſupplicia alterius vitæ, quibus ſe obnoxios in futurum certò credunt.

Ad

Ad 2. Quæ de Religione juvenibus inculcantur, præjudicia dici nequeunt, quia illa ſemper recta ratio dictat, ac inculcat, atque sinè educatione facilè ab unoquoque detegi poſsunt, per intimæ conscientiæ ſenſum, atque naturale lumen, nihil siquidem principiis naturæ, ac rationis magis conſonum, quam Religionem admittere, & illam quæ vera est ſectari.

Quæres 3. Religio privatis etiam hominibus, estné omnino necessaria ?

Resp: Religio privatis etiam quibusvis hominibus, est omnino neceſsaria. Homines siquidem cum à Deo creati ſunt, ad aliquem finem ab ipſo prædestinati atque præordinati ſunt: finis autem hominum alius eſse non potest nisi ipſe Deus poſsidendus, atque perficiendus, cætera siquidem omnia homini ignobiliora, finis illius eſse nequeunt. Debent igitur dari media, quæ ad illum finem ab homine aſsequendum optimè conducunt, hæc congrua media Religio manifestat, detegit ac præscribit. Quemadmodum igitur quibusvis hominibus ſummè neceſsarium est, ut finem ſuum aſsequantur, quia sinè illo felices eſse nequeunt, ita Religio ipsis omnino neceſsaria est, quia sinè illa finem ſuum homines aſsequi nequeunt. Et verò Religio Dei amorem, ac timorem præcipuè inculcat, his verò nihil magis hominibus ſalutare eſse potest, nam his & ad bona, virtutesqué ſectandas svaviter excitantur, & à malis vitiisqué efficaciter deterrentur, meritò itaque pronuntiavit Lactantius lib: 3tio Divin: inst: cap: 28. *Nihil est in vita quò ratio, quò conditio nostra nititur, nisi Dei qui nos generavit agnitio ac religiosus & pius cultus.*

Quæres 4. An liberum sit quamcunque amplecti ac sequi Religionem ?

Resp: Neque liberum neque licitum est, quamcunque amplecti Religionem, ſed quilibet tenetur veram inquirere atque amplecti. Multæ siquidem numerantur Religiones inter ſe diverſæ ac sibi non ſolúm in præscriptis ritibus, ſed etiam in dogmatibus ac præceptis morum planè Contrariæ, ac invicem oppositæ: cum igitur omnes veræ eſse nequeunt, neceſse est ut una vera sit, cæteræ omnes falsæ. Porrò falſam amplecti, ac ſequi Religionem nemo liberum aut licitum eſse arbitrabitur, falſa siquidem Religio, ſuperstitio est & sæpius manifestiſsima impietas, quæ Deum irritat, offendit, non honorat, neque veneratur. Quodsi liberum ac licitum eſset, sinè ullo delectu quamcunque amplecti ac ſequi Religionem, facilè prætermis-

miſsâ verâ, seligetur falſa impia ac ſuperstitiosa, quô nihil potest eſse perniciosius & damnabilius. Tenetur itaque homo omni conatu veram Religionem inquirere illamquè ſequi, nec quamlibet amplecti liberum aut licitum eſse potest. Et verò Religio in hoc posita est, ut recta de Deo ſentiamus, cultu debito eum honoremus, ipsius præcepta obſervemus. Porrò quot Religiones in Orbe numerantur, tot de Deo opiniones sibi contrariæ, tot diversi Deum colendi modi: quæ una Religio à Deo prohibita, hæc aliâ permiſsâ eſse cenſet, quæ una à Deo præcepta eſse statuit, hæc alia indifferentia eſse censet. Incredibile etiam est, liberum atque licitum eſse hominibus quæcunque de Deo ſentire, ac opinari, sivè rectas ac veras, sivè falſas ac perverſas de ipſo foveri opiniones, hôc vel illô, honestô vel turpi, rationabili sivè ſuperstitioſô Eum venerari cultu, quæ ab illo præcepta, aut prohibita ſunt vitare; vel perpetrâre, adimplere vel negligere. Neque hæc Deus indiscriminatim omnia homini permittere, neque erga hæc omnia indifferenter ſe habere potuit, necesſario siquidem falſa, mala, reprobat, vera, recta ac bona approbat. Pariter etiam incredibile est, licitum ac liberum homini eſse quamcunque amplecti ac ſequi Religionem. Cumque Deus id omninò ab homine exigat, atque expostulet, ut recta de ipſo ſentiat, cultu congruô atque competente illum honoret, præcepta atque præscripta Ejus obſervet, & hæc nonnisi in vera continentur Religione, ipſam omni conatu quilibet inquirere atque amplecti tenetur. Certè primaria hominis obligatio est, ut Religionem à Deo institutam amplectatur ac ſequatur. Jd Deus ipse ab homine exigit ac postulat, & hoc debitum ipsi impoſuiſse cenſendus est, alias in vanum Religionem ipſe instituiſset. Omnes quæ in mundo ſunt Religiones, Deum instituiſse, repugnat; contraria siquidem, sibi opposita, ac ſecum pugnantia Deum instituiſse, Divinæ Jpsius veracitati, ac ſapientiæ repugnat, ac omninò contrariatur, nonnisi ergo quæ vera, justa, recta, ac Sancta est Religio hanc Deus instituit, hæc siquidem ſola Divinæ Jpsius congruit ſapientiæ, justitiæ, ac ſanctitati, hanc igitur homo inquirere, ac ſequi tenetur, quamlibet amplecti impium, ac imprudentiſsimum est.

Postremò Religio est unicum medium, quô homo felix ac beatus eſse poſsit. Porrò ad hanc felicitatem omnes quotquot ſunt in Orbe Religiones ex æquo hominem perducere nequeunt, cum in ſubstantialibus etiam, ac pri-

mariis capitibus sibi contrarientur. Ergo maximi interest, ut homo ſeriò inquirat, quænam illa sit Religio, quæ ipſum ad desideratiſsimam felicitatem tuto perducere potest. Quemadmodum igitur homo erga ſuam felicitatem obtinendam, quam invitus etiam exoptat indifferens eſse nequeat, sive illam aſsequatur sive non, ita etiam circa Religionem amplectendam, ac ſequendam indifferens eſse nequit, & non quamlibet indiscriminatim, ſed illam eligere tenetur, quæ tutò ac ſecurè illum felicem ac beatum efficere potest.

Obijcies. Deus in omni Religione æque colitur, ubi enim par est cordis intentio, ibi etiam si animus aberret, par est moralitas. Qui autem in quacunque Religione Deum colunt, id unum intendunt ut Deum venerentur, quamquam igitur in modo colendi errent, verè tamen Deum colunt, ac proinde stat immobilis illorum Religio.

Resp: Nihil hoc refugio magis miserum ab Jncredulis afferri potuisse. Si enim verum eſset in omni Religione Deum coli, tum & illi Deum colebant, qui Diis Filios ſuos immolarunt, qui hortorum ſuorum legumina oblato thure venerabantur, aut etiam Veneris adoratores, qui in illius honorem, tot pudori, ac modestiæ contraria perpetrabant. His certè coli non potest Deus, quia ipſa aſpernatur, illis offenditur. Et quamquam intentio errori invincibili conjuncta, hominem in malefactis à culpa liberet; opus ex se malum, bonum ac Deo gratum efficere, ipſa nequit, alias immaniſsima ſcelera ex intentione colendi Deum perpetrare liceret, quod vel cogitare impiissimum est.

Quæres 5. Qui ſunt characteres væræ Religionis?

Reſp: Tres præcipui ſunt væræ Religionis characteres.

1mus. Religio vera debet Deum ipsum habere auctorem, ac proinde Divina eſse debet. Deus siquidem ſolus eum cultum in ſui gloriam atque honorem potest præscribere ac præcipere quem ipſe sibi ab hominibus vult exhiberi, quapropter omnis Religio quæ non est à Deo instituta sed à solis hominibus excogitata, tanquam vera nunquam haberi poterit.

2dus. Religio vera, verì Dei cultum proponere debet ac proinde verum Deum ipsa manifestare debet, & de Jllius excellentia, atque perfectionibus ea docere, quæ Ens ſupremum ac perfectiſsimum omnino decent. Debe præthereà eum cultum tradere qui non sit alienus à veri

Dei

Dej ſanctitate, nihil proinde honestati contrarium continere debet.

3tius. Religio vera, debet veram hominis felicitatem, atque proprium Ipsius proponere finem, media quoque ad illum consequendum congrua ſuppeditare quibus & finem præstitum certò obtinere, & veram felicitatem ſuam consequi valeat.

Quæres 6. Quis est ergo finis hominis, & quæ ipsius vera felicitas?

Resp: Finis hominis, & vera Jpsius felicitas, est ipse Deus. Cum enim omnia quæ nos circumdant hujus universi bona, & longè inferioris conditionis sint homine, qui ea infinito propemodum præcellit gradu, et caduca atque fluxa illa eſse vel ipſa constat quotidiana experientia, conatum hominis propriæ felicitatis desiderium explere nequeunt, quare nec finis hominis eſse poſsunt, nec veram ipsius felicitatem parere valent, ſolus vero Deus utpote Ens infinitum, ac perfectiſsimum, æternum atque immutabile cum sit bonum stabile ac firmum propterea & conatum hominis propriæ felicitatis desiderium explere valet, & finis illius eſse debet. Jn solo ergo Deo quærenda est ab homine vera felicitas, atque in illo solo finis est constituendus.

ARTICULUS 3tius.

De Religione naturali atque revelata.

Quæres 1. Quid sit Religio naturalis?

Resp: Religio naturalis est congeries veritatum & præceptorum, quæ Deus cordibus nostris insculpsit atque mentibus nostris infudit, quibus continentur officia quæ Deo, proximo, ac nobismetipsis debemus. Naturalis itaque Religio verè Divina est, Deum habet Auctorem, quia ipse Deus illam mentibus hominum inspiravit, atque digitô suô cordibus eorum insculpsit.

Quæres 2. Quid sit Religio revelata?

Resp: Religio revelata est compendiosa collectio tum sublimiorum veritatum quas homo naturali intelligendi vi nullatenus aſsequi valet, tum etiam præceptorum, quæ positiva dicuntur, & quæ Deus præter naturalem legem, ex liberrima sua voluntate hominibus imposuit. Religio itaque revelata pariter ac naturalis est à Deo, atque utraque Divina. Finis autem illarum is est unicus ac solus,

ut homines addiscerent rectè ac justé vivere Deum pié ac sancte colere, atque hôc modô temporalem ac æternam felicitatem afsequi valeant.

Quæres 3. In quibus Religio naturalis ac revelata inter se differant ac discrepant?

Resp: Religio naturalis ac revelata in his à se invicem differunt, ac discrepant. Religio naturalis complectitur veritates morales rationi nostræ maxime conformes, & accomodas, quarum quasi semina quædam Deus mentibus nostris infudit, atque naturæ nostræ indidit, quæ propterea homo solô lumine naturali percipere ac intelligere valet. Jam verò Religio revelata, continet veritates sublimiores, quæ naturalem mentis nostræ capacitatem excedunt, atque superant, quas ipse proinde Deus utpotè Sapientiæ suæ arcana, per se ipsum hominibus manifestare dignatus est. Prætereâ Religio naturalis continet præcepta purê naturalia, in ipsamet natura fundata, quorum dictamina homo intimê nolens etiam præsentit. Religio autem revelata complectitur præcepta positiva quæ à sola Dei libera voluntate, Ipsiusqué sanctifsimo arbitratu dependent. Quare Religio revelata haberi debet velut complementum ac perficientia Religionis naturalis, quia nimirum revelatione, & cognitio veritatum moralium ampliatur, & legibus naturæ, præcepta positiva à Deo supperranduntur. Unde Religio naturalis est nobis connata, veritates ipsius mentibus nostris infusæ, præcepta cordibus nostris insculpta. Religio revelata, est naturæ nostræ supperaddita, ex solo Dei arbitrio profecta, exterius modô quôdam speciali hominibus à Deo manifestata.

Quæres 4, An semper extitit, & nunc etiam existit Religio naturalis?

Resp: Religiô naturalis semper exstitit, & nunc etiam existit. Quivis siquidem homo etiam nolens intus admonetur, se & amorem & grati animi sensum debere Enti Supremo, à quo & benignê creatus est, & jugiter conservatur. Id etiam quilibet à natura didicit curandum sibi sedulo efse, ut â se id omne propellat quod in alijs jurè ac meritò redarguit, atque ideô abstinendum efse, a crapula, & ebrietate, ne illis corpus obruat, & mentem suam quæ ad superna nativô quôdam impetu afsurgit; ad ima & belluina deprimat. Quocunque tandem se vertat homo, clamosam hanc naturæ vocem, ubique totis excipit auribus, quod tibi fieri non vis, vide ne faceris alteri.

ri. Ex quo manifestiſsimum efficitur ineſse naturæ nostræ quædam dictamina quibus admonemur de jis, quæ Deo, nobis, & proximo debemus, atque obligamur. His porro tota naturalis Religio constituitur. Indubiè igitur existit ac semper exstitit. Et certè dantur aliquæ normæ nobis à Deo inditæ, juxta quas vitam nostram instituere tenemur, & quibus justum ab injusto, honestum â turpi discernimus. Dantur quoque leges à Deo cordibus nostris insculptæ; quas à nobis adimpleri Deus omnino vult, atque exigit, alias si Deus hominem exlegem creaſset, illumquè suo reliquiſset genio, operis sui præcellentiſsimi planè oblitus censeretur. Hoc autem cogitare cum nefas sit, fatendum est ineſse nobis aliquas normas à Deo inditas, juxta quas vitam instituere tenemur, & honestum à turpi dijudicamus, leges quoquè quasdam coæternas eſse, quibus ad quædam nobis, Deo atque proximo præstanda adstringimur. Hæc verô quemadmodum indelebilem naturæ legem fundant, sic et Divinam naturalem constituant Religionem.

Quæres 5. Utrum in mundi exordio Deus præter naturalem Religionem, aliam etiam positivam superaddiderit, ac hominibus manifestaverit?

Resp: Pro certo tenendum est, Deum in ipso mundi exordio præter naturalem Religionem, aliam etiam positivam superaddidiſse, ac hominibus revelâſse, proindequé quædam ad cultum sui præscripsſse, atque ordinâſse, quæ â natura imperata non sunt. Ratio equidem humana, solô naturali lumine nos dubitare non sinit Deo debitum eſse cultum, sed quando agitur de determinando, quis & qualis hujusmodi cultus eſse debeat, tunc ratio caligat, & â Deo ipso illustrari postulat; quare supposita Dei revelatione, aut nullatenus aut certô cognosci nequit, quis aut qualis cultus sit Divinæ Majestati conveniens. Quod si Principes constituere solent, quibusnam obsequij atque observantiæ signis, se velint â Subditis coli, quanto magis ad summum Deum spectabit, illum cultum decernere, & hominibus manifestare quô ab ipsis volebat honorari. Quod & satis clarè innuitur Sapientiæ cap: 9. ubi dicitur. *Sensum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altiſsimis, & sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placita sunt didicerint homines.* Hoc & Plato agnovit, qui in Epinomide ait: *neminem pietatem docere poſse, nisi Deus quasi Dux & magister præiverit*, & rursum in Alcipiade. 2.

Socra-

Socratem adducit, qui post multa hac de re dicta sapienter concludit, *nihil tutius atque consultius esse quam quiescere & expectare*, donec aliquis didicerit quò animò & erga Deos & erga proximos esse oporteat. Nemo autem sibi persvadere poterit, Deum sapientissimum rerum omnium provisorem, qui cuncta etiam minutissima ad Gloriam suam ordinat, atque disponit, hominum arbitrio permittere voluisse, ut quem quisque vellet, ipsi cultum exhiberet. Sapientiæ itaque ac bonitati Divinæ omninò congruentissimum fuit, cultum sibi convenientissimum præscribere, illumqué hominibus manifestare. Quod & ipsum re ipsa in ipso mundi exordio fecisse certò tenendum est. Neque enim intelligi potest, quomodò factum sit, ut omnes Orbis populi in offerendis Deo Sacrificiis unanimi voto conspiraverint, nisi præiverit, quæ hanc cultûs speciem imperâret, Divina revelatio, indubitatum quoque est Deum se, suaqué placita veteribus Patriarchis manifestâsse, quare qui propè rerum originem attingebant, quò unitatem Dei & cultum ejus cognoscerent, sola indigebant Traditione, quæ ab Adami ac Noemi temporibus vigebat. Hinc diu in Oriente stetit notitia & unius Dei & puræ Religionis, ut patet Exemplis Melchisedech, Abimelech, Job, & aliorum, ex quibus luculenter apparet, statim ab initio mundi viguissè positivam aliquam Religionem â Deo hominibus manifestatam, qua cultùs ipsi debitus, atque conveniens, ex Divino illius arbitrio præscribebatur.

Quæres 6to. Religio sive naturalis, interius hominibus inspirata, sive positiva exterius ab Ipso manifestata, an diu pura & incontaminata permanserit?

Resp: Hanc utramque Religionem naturalem, ac positivam, commentitiis fabulis, perniciosis erroribus, ac demum hominum vitiis contaminatam ac quasi penitùs abolitam fuisse, indubitatum est; ante diluvium siquidem *cum multa malitia hominum esset in terra*, ut habetur Genesis cap: 6to. *& cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore* ex hoc corrupta est terra, & repleta iniquitate, quare pænituit Deum quod fecisset hominem, unde constituit delere illum â facie terræ, quod & factum est; deleti omnes præter Noe, qui invenit gratiam coram Domino. Paulò post diluvium, non minus certum, quam mirabile est, veram Dei Religionem quam Noe filiis ac Nepotibus suis, sinè dubio purissimam tradidit, fædâ superstitione fuisse corruptam, quod vel ex ipsis Ethnicis Scriptoribus apertissimè comprobatur, quorum insaniæ ac delira-

lirationes, si vel leviori oculo inspiciantur, patebit illos longè & fædiſsimis sceleribus inquinatos, & in turpiſsimos errores prolapsos fuiſse. Omnes siquidem orbis populi, solis exceptis Judæis, quibus per revelationem, Deus, atque ipsius legitimus innotuerat cultus, Idololatriæ servierunt, ita ut alij Sidera, alij Genios, & Dæmones, alij Hæroas illustres, sed ùt plurimùm sceleratos, alij plantas vel bruta animantia, alij pavorem, febrim ipsamquè impudentiam adorabant. Chaldæi draconem venerabantur, Tyrij Herculem suum, Græci Jovem, Bacchum, Venerem & alia id genus portenta colebant. Neque feliciûs circa legitimi cultûs rationem senserunt. Baccho placebat ebrietas, Veneri luxuria, furtum Mercurio. Florales ludi cum omni lascivia celebrabantur. Quin & aquæ instar pluebat humanus sangvis, alij idolo Moloch filios suos flammis cremabant, alij Saturno quoscunquè homines immolabant, alij decimum quemque è filiis suis mactabant. Sed & sanctiores Ethices regulas subverterunt: Persæ, proprias Matres ducebant in matrimonium. In AEgypto, & Athenis frater sorori nupsit, apud Hiliopolim promiscuæ erant mulieres. Hircani Parentes suos canibus ac volucribus ad dilaniandum præbebant. Romani & Græci feralibus gladiatorum spectaculis pascebant oculos, prolemqué suam, quam enutrire dedignabantur, variò mortis genere interimebant.

Tandem ipsa quoque Sapientum ac Philosophorum qui inter Gentiles floruerant, moralis doctrina, nihil aliud spirat quam errorem, & tenebras. Pyrrhonij omnia æterna suâ dubitatione subvertebant, Epicurei otiò diffluentes, nec de humanis rebus sollicitos Deos admittebant. Aristoteles Providentiam ultra cælestia non protendebat, circa immortalitatem animæ anceps hærebat. Stoici ineluctabile agnoscebant fatum, quo humana libertas, & cum libertate virtus tollebatur. Plato Astris & Dæmonibus Divinam tribuit eſsentiam, ebrietatem in Bacchanalibus permisit, fæminarum communem usum approbavit. Hæc verò omnia monstrosa paradoxa veræ Religioni contraria ac opposita eſse nemo non videt. Ex quo evidentiſsimè consequitur Religionem sivè naturalem, sivê positivam à Deo hominibus in mundi exordio traditam, atque inspiratam, commentitiis fabulis, perniciosis erroribus, ac demum hominum vitiis fuiſse contaminatam, ac quasi penitùs abolitam.

Quæres 7. In tanta veræ Religionis contaminatione, quid egerit misericordiſsimus Deus?

Resp:

Resp: Quanquam Deus nefandam sui oblivionem, Religionisqué à se institutæ abolitionem omnimoda desertione homines ulcisci potuiſset non tamen quemadmodum edixit Paulus Actor: cap: 15. *sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera*, quibus & verum Deum agnoscere, & debitum Ipsi cultum exsolvere poterant. Verùm ex superabundanti bonitate, ac misericordiſsima clementia sua erga humanum genus beneficentiſsimus Deus ut hominem è densiſsimis tenebris, erroribusqué quibus implicatus erat educeret, atque è profundiſsimo vitiorum cæno in quibus immersus jacebat, eriperet, novô Divinæ revelationis suæ lumine mundum illustrare constituit, volensqué puriſsimam à se in mundi exordio constitutam renovare Religionem, quæ ex hominum mentibus evanuit, quamque iniquitas inquinavit, Abraham ac posteros ejus, totamqué Judæorum gentem præelegit, atque illis per Moysen eloquia sua concredidit, singulari studio in Præceptis suis excoluit, cultum sui edocuit, Religionem Sanctam, puram, ac sublimem illis constituit, sapientiæ suæ arcana revelavit, & non solum cæremonias, ritusqué, quibus eum exteriùs colerent præscripsit, sed & leges interioris pietatis plenas ipsis tradidit, morum æquiſsimas Regulas, mandata justitiæ plena præscripsit, pulcherrimarum virtutum normas tradidit. Sed & à cæteris nationibus misericordiam suam non avertit, idem siquidem Divinæ revelationis lumen quod Deus misericordiſsimè conceſserat Judæis, aliis etiam populis ex parte affulsit. Constat siquidem Judæorum Religionem pluribus nationibus palam illuxiſse. An non enim Pharao, quemadmodum etiam AEgyptii omnes stupenda Moysis viderunt miracula? quæ Dei nomine patravit toto ingemente AEgyptô, finitimi quoque Israelitarum Populi certo certiùs sciebant unum ab ipsis coli Deum, Cæli & terræ Conditorem. Longe lateque percrebuit rumor tum sapientiæ, tum religiosi cultus quem Salomon Deo exhibebat Jonas Propheta miſsus est ad Niniven ut pænitentiam ageret. Toties captivitate oppreſsi à variis Gentibus Judæi, illorum Religio omnino ipsis innotuit, diu permixti Babiloniis vixèrunt Prophetæ Daniel, Ezechiel, alijqué virtute celebres non pauci, qui vitæ sanctitate, doctrina atque etiam miraculis veri Dei & notitiam, & cultum Gentibus deprædicabant, quare meritó piiſsimus Tobias sic allocutus est filios Jsráël cap. 13. *Ideo dispersit vos inter Gentes, quæ ignorant eum ut vos enarretis mirabilia Ejus. & faciatis scire eos, quia non*

est

est alius Deus Omnipotens præter Eum. Præterea anti-quifsimos Gentilium Scriptores ac Philosophos ex commercio cum Judaicæ Gentis sapientibus multa eos didicifse, sin minus undequaque certum, saltem admodum probabile est, hinc mundi creationem, diluvium, & alia historiæ Sacræ capita in Poetarum fabellis vestigia conspicere licet. Ultimò græca septuaginta Interpretum Sacræ Scripturæ versio, librorum Sacrorum, in quibus tota Religio Judæis à Deo tradita, atque manifestata continebatur, iis omnibus qui græce noverant, facilem & commodam reddidit. Itaque non solum Judæis sed & cæteris Gentibus Deus lumen claritatis suæ misericordifsime concefsit, illis ergo non defuit Divina revelatio, qua veram, puram, sanctam Religionem edoceri potuerant; sed ipsi vitiis obcæcati, Divinæ defuerunt revelationi, evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Sed et his minime contenta Divina bonitas, misit Deus Filium suum in mundum, ut illuminaret sedentes in tenebris & scientiam salutis daret omnibus Gentibus, & re ipsa quàm primùm Christus Salvator cepit prædicare Evangelium Regni Cælestis, lux magna orta est hominibus, mittensqué discipulos suos in totum mundum, ut docerent, omnes Gentes doctrinæ Divinæ splendoribus, densifsimas ignorantiæ ac errorum dispulit tenebras universas, atque sic factum est, ut primitiva Religio à Deo hominibus tradita planè restauraretur, illustraretur, & ad summum perfectionis culmen perveniret.

ARTICULUS 4tus

De insuficientia Religionis naturalis, & necefsitate Religionis revelatæ.

Quæres 1. Quid hodie increduli sentiunt, ac docent circa Religionis naturalis sufficientiam?

Resp: Increduli, quorum hodie magnus est numerus, qui & naturalistæ vocitantur, rejecta quacunque supernaturali revelatione, in religionis negotio humanam tantummodo rationem audiendam, ac sequendam efse volunt. Totam itaque Religionem in sola legis naturalis observantia constituunt Divinam revelationem, non solùm ût supervacaneam, ac falsam, sed etiam ût noxiam, utpote quæ enthusiasmo, aut callidis hominum imposturis viam aperit repudiantes, illa tantummodo Religionis Officia suscipiunt,

piunt, quæ ratio naturalis præscribit. Oppositum unanimi consensu Catholici Doctores docent atque invictis argumentis probant, Divinam revelationem ad puram completamqué Religionem omnino eſse neceſsariam, ac moraliter impoſsibile eſse, ut sola ratione omnia naturalia etiam Religionis præcepta, sinè erroris periculo, remota Dei revelatione cognoscantur.

Quœres 2. Utrum sine superna Dei revelatione omnia Religionis naturalis prœscripta cognosci poſsint?

Resp: Sine superna Dei revelatione omnia Religionis naturalis prœscripta, & quæ ex illis Deo, nobis ac proximo debemus officia, solâ ratione humana perfectè, & sinè errore cognosci nequeunt. Id luculentiſsimê demonstrat ipsa experientia: certiſsimùm siquidem est, summos qui omni ætate floruerunt gentiles Philosôphos, quamvis fuerunt summô ingeniô præditi, maximamqué adhibuerunt diligentiam in hominis investigandis officiis, in multos tamen graviſsimosquè prolapsi sunt errores. Stoici commendabant, quasi viri fortis eſset, in summis malis vitam sibi adimere. Cato cum multis aliis fornicationem, veluti remedium ad vitanda adulteria permitti voluit. Plato ebrietatem, & communem fæminarum usum probavit. Cicero mendacium ac perjurium excusabat, illud dictum ab Euripide laudans, *juravi lingva, mentem injuratam gero.* Vindictam fere omnes ùt maximè honorificam prædicabant. Veritates quoque in Religione graviſsimas, veluti de immortalitate animæ, de suppliciis alterius vitæ, quibus & ad virtutes incitamur, & à vitiis deterremur, ut dubias atque incertas habebant, multis quoque fabulis illas immaculârunt, & alij omnino eas negârunt. Superstitiosum Deorum cultum approbârunt, exemploqué suò confirmârunt, ipsa scelera virtutibus adnumeraverunt. Pyrrho negabat quidquam eſse honestum, aut turpe, justum vel injustum, Chrysippus cum matribus & filiabus congredi licitum eſse existimavit. Theodorus furto, adulterio, sacrilegio, cum tempestivum fuerit, vacare permittebat. Et ut multa alia omittamùs, concludere poſsumus cum Cicerone lib. 2do de Divinatione, *nihil tam absurde dici poſse, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum;* Porro si nec unus inventus est; qui solius rationis lumine non turpiſsimè erraverit, atque in graviſsimis Religionis capitibus cæcutierit, imò in monstruosa paradoxa prolapsus non fuerit, quis opinari poterit? sinè Divina revelatione omnia Religionis naturalis præscri-

scripta inveniri, & solâ humanâ ratione sinè errandi periculo cognosci ac perscrutari posse.

Verum & tristis admodum experientia modernorum incredulorum, evincit, & plùs quam certùm facit, sinè præeunte Divinæ revelationis lumine, vix fieri posse ut sola naturali ratione, ea omnia officia cognoscamus, quæ ex præscripto Religionis, Deo, nobis & proximo debemus. Nuperi siquidem naturalistæ postquam ex doctrina revêlata multas veritates morales hauserunt quas ratione posteà confirmârunt, dein postquam revelatione deserta, rationi habenas laxarunt, in varios errorum scôpulos inciderunt, & fædissimis erratis publicæ etiam indignationi sese exposuerunt. Sed etiam ex nostris Catholicis multi, quos Probabilistas vocamus, dum à revelatis principiis recesserunt, suæ rationi plus æquo confisi, Ethicœ doctrinam tradere conati sunt, illam turpissimè dehonestarunt, atque ideô â veritate enormiter aberrârunt, quin deserta tutissima revelationis via incertos rationis ductus sequi maluerunt. Constans itaque, perpetua ac universalis experientia invictissimum præbet argumentum, quam debilis, quam infirma sit ratio humana, ad investiganda atque cognoscenda Religionis præscripta. Hanc naturæ, atque humanæ rationis infirmitatem, ipse Ethnicus Cicero vidit, eamqué lib: 3. Tuscul: Quæst: descripsit. *Simul atque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero Parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tam ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmata natura ipsa cedat.*

Objicies 1. Lumen naturale Deus hominibus concessit, & legem cordibus nostris insculpsit, supervaccanea igitur est revelatio 2 Si humana ratio ad assequendas veritates morales, etiam ordinis naturalis impar esse censeatur, tunc Pyrrhonismus, ac Scepticismus invehitur, proindequé de omnibus erit dubitandum 3. Tum veteres Gentilium Philosophi veluti Socrates, Plato, Cicero, Seneca, Epictetus, Plutarchus, tum & recentiores naturalistæ, solius naturalis rationis ope, seposita omni revelatione, plenam absolutamquê moralem doctrinam tradiderunt. Ergo sola humana ratio sufficit ad invenienda ac dignoscenda quævis hominis officia.

Resp: ad 1mum: Lumen naturale à Deo hominibus concessum, esse obnubilatum, & passionum vehementia ita in transversum actum, ut sæpe sæpius quasi extingvatur, lex

quo-

quoque cordibus nostris insculpta propter pravas consvetudines, corruptos habitus, malas persvasiones obruitur, ac sensus ipsius suffocantur, unde peccata, etiam contra naturam commifsa, non amplius vitia reputantur. Opus igitur est vividiore lumine, & potentiore stimulo, ut officia nostra ratione certò & plenè cognoscamus, & efficaciore voluntate adimpleamus. Adest equidem in nostra ratione aliquod crepusculum lucis, quô utcunque obscurè scilicet & non omnia cognosci pofsunt Religionis præscripta, hoc tamen lumine revelationis augeri postulat, ut omnia juris etiam naturalis præcepta, perspicuè, plenè & certò sinè errore perspiciamus. Sentimus quoque dictamina legis in cordibus nostris scriptæ, sed hæc creberrimè ab inordinatis pafsionibus ac cupiditatibus adeô obruuntur, ut illarum vox vix audiatur, majores itaque à Divina revelatione expectandi stimuli, efficaciora incitamenta, quibus ad adimplendam naturæ legem adigamur.

Ad 2dum. Lumen rationis ad dignoscendas veritates Religionis etiam naturalis, non dicimus efse nullum, sed debile & in plerisquè incertum, quare ad vitandum Scepticismum, illi aliud lumen multô clariùs, & undequaque certifsimum Divinæ scilicet revelationis adjungendum efse putamus. Multas certò ex solo rationis lumine veritates morales solidè confirmamus, sed fateri cogimur, illas puras ac defæcatas vix â ratione inveniri potuifse, nisi lumen revelationis præcefsifset, quæ etiam ita à revelatione corroborantur, ut nullum ampliùs superefse poterit dubium.

Ad 3tium. Et veteres Gentilium Philosophos, & modernos etiam Naturalistas, qui vel revelatione destituti erant, vel ductum ipsius sequi noluerunt, in maximos prolapsos efse errores indubitatum est. Verum antiquos Philosophos omni prorsus revelatione caruifse affirmari nequit, primæ namque, quæ in mundi exordio facta est, revelationis vestigia habere potuerunt, quanquam hominum perversitate obscurata, & ulteriùs ex lectione librorum Sacrorum, & commercio cum Gentis Judaicæ Sapientibus multa cognoscere, atque addiscere potuerunt. Occasionem autem rerum notitias hauriendi â Judæis dederunt Gentilibus, non solùm commercia Judæorum cum aliis Nationibus atque versio Sacrorum Librorum in lingvam Græcam, sed etiam mifsio Prophetarum in terras Gentilium, atque ipsorum Philosophorum itinera in varias Orientis regiones, veluti Pythagoræ & Platonis qui discendi causa peregrina-

ti

ti sunt. Multò autem plura ji discere potuerunt, qui post Evangelium promulgatum flòruerunt, quare Epictetus, Plutarchus, Marcus Aurelius, Maximus, Tyrius, & alij in minores absurditates, quam eorum Magistri prolapsi sunt, quia videlicet ex luce Evangelij plurimum profecerunt, unde observatum est Senecam, Epictetum, ipsa non raró verba ex Sacris Christianorum libris excerpsiſse. Quod veró attinet modernos Naturalistas, qui & ipsi Philosophi appellari volunt, atque isti postquam ex ſacris Litteris omnia deprompserunt quæ ipsis placuerunt, gloriantur se ea ratiocinando inveniſse, quas procul dubio ignorâſsent, si solam rationem magistram habuiſsent, quare etiam quotiescunque rationem revelationi præferre voluerunt, turpiter & ipsi in peſsimos errores prolapsi sunt.

Et veró dum instituitur quæstio de sufficientia humanæ rationis in negotio Religionis, non est consideranda ratio proût illa est in Philosophis Christianis, qui revelationis lumine adjuti philosophati sunt, sed proût illa extitit in Philosophis illis, qui carebant lumine revelationis, non enim quæritur quid valeat ratio hominis, doctrina Religionis revelatæ imbuti, sed quid vàleat ratio hominis sibi relicti. Porro quàm debilis, quàm infirma sit ratio humana sibi relicta ad detegenda Religionis naturalis præcepta, liquido comprobant errores craſsiſsimi antiquorum Philosophorum. Sed etiam apud populos quibus lux salutaris Evangelij non illuxit, eædem Gentilismi tenebræ, jidem craſsi errores, quibus antiquæ Gentes, ac Philosophi captivi detenti erant, obtinebant omni tempore, atque hodie etiam obtinent, ex quo magìs ac magìs comprobatur, sinè Divina revelatione humanam rationem non poſse ea omnia officia planè perspicere, quæ Deo, Nobis, atque etiam aliis debemus.

Quæres 3. An igitur Religio naturalis sufficit homini ad consequendam suam felicitatem, atque veram adipiscendam beatitudinem?

Reſp: Naturalistæ moderni existimant nihil præclarè in Religione revelata Christianorum dici, quod ratio humana sibi relicta invenire non poſsit, atque ſuam Religionem naturalem ad obtinendam felicitatem etiam æternam omnibus abunde ſufficere arbitrantur, unde rejecta revelatione Divina, atque Religione, ex principiis revelationis determinata, docent Deum ſolo naturæ ac rationis lumine, cognoscendum atque colendum eſse. Sed nullus damnabilior ac pestilentior error unquam fingi poterat,

qua-

quare firmiſsimê tenendum est, ſolam Religionem naturalem, quam moderni tradunt Philoſophi sinè Divina revelatione non ſufficere homini ad consequendam felicitatem temporalem ac æternam. Religio namque ad conſequendam homini temporalem ac æternam felicitatem ſufficiens omnium captui accommodata eſse debet, puerorum videlicet qui à teneris annis timorem Dei, ac justas veri & æqui leges cognoscere tenentur, plebejorum qui vitia à virtutibus ſecernere debent, rudium deniquè ac tenuioris ingenij, qui etiam nulli Religionis officio deéſse debent. Porrò Religio naturalis quemadmodum tradunt Philoſophi non est captui omnium hominum accommodata, quomodo enim homines rudes, & indocti, præterêa tot vitæ humanæ negotiis distracti illam addiscent, ubi eam inquirere poterunt, an in libris Philoſophorum? at hi ſunt Jpsis inaccesſibiles, atque imperceptibiles: an in ſolo rationis lumine? ſed illud in eis adeô debile est, ut ultra sensibilia non aſsurgant. Verùm fingamus omnes homines eſse maximô ingenij acumine præditos, ſufficienti frui otio, ut in Religionis indagatione omnem operam diligentiamquê impendant, nihilquê deeſse eorum quæ ad officia Religionis detegenda, atque cognoscenda necesſaria ſunt, quod rariſsimè contingere potest, si tamen consideremus humanæ rationis imbecillitatem, atque tenebras, quas illi passiones offundunt, opinionum veritatem, ac difficultates non leves, quæ in omni occurrunt disquisitione, nemo prudens diffitebitur in multis rebus veram aut nullatenus inveniri poſse, aut ſaltem non poſse eam certitudinem & evidentiam haberi, quæ in materia tanti momenti desideratur, agitur enim de officiis quæ proximis nostris, nobismetipsis potiſsimûm autem Deo Creatori, & univerſorum Domino debemus, & in quibus error ſemper est perniciosus.

His accedit, longô ac pertinaci labore ad id opus esſe, ut Religionis officia ſolius inquisitionis ope inveniamus, adeo ut Lactantio obſervante ipsi *Doctores ante fuerint ſenectute, ac morte confecti, quam constituerint quomodo vivere deceat.* Contrà verò revelatio viam nobis inveniendæ veritatis ostendit, non ſolúm tutam, ſed & facilem, atque expeditiſsimam adeô ut adolescentes nostri, in revelata Religione, qua par est diligentia instructi, multo plus de Religionis officiis sciant, quam sciverunt veteres illi, & conſumati Philoſophi: quare Ipsa etiam experientia comprobatum manet, revelatione Dei facile omnibus esſe,

ſe, omnia Religionis officia, siné ulla erroris admixtione certò cognoscere, inquisitione autem, quæ humana industria, labore, ac ſagacitate instituitur, aut certè nullatenus, aut non omnia, non plene, nequè complete, non certò neque indubitanter, non denique siné errore percipi poſse. Præterêa & si daremus homines capaces, atque idoneos eſse, ad addiscendam, atque comprehendendam Religionem naturalem, quam tam magnificè deprædicant hodierni Philoſophi, ſed quoniam in illorum Systemmatibus innumeri nævi, ac paradoxa reperiuntur, de omnibus, fere Religionis ſuæ capitibus, acriter inter ſe diſputant, unde tot inter illos diſsensiones, tot contradictiones, in rebus etiam maximè neceſsariis, quis igitur ex his Religionem completam, certam atque tutam, qua ad exoptatam felicitatem perveniri poſsìt, sibi construere queat, maximè quia in his nullus statuatur arbiter, nullus Judex qui controversias decidere valeat. Quis enim erit? an naturalis horumce Philoſophorum ratio? ſed priùs ostendere debent titulos quibus poſsint ſe Judices, eosqué infallibiles constituere, atque cæterorum omnium hominum intellectum ad ſuæ rationi ſubijciendum, adigere. Si vero dicatur unumquemque poſse, ac debere ſuæ rationis lumen conſulere, ac ſequi, tunc tolletur Religionis unitas, & tot erunt Religiones, quot hominum capita, & Epicurei atque Athæi non minùs, quâm Naturalistæ, ad propriam rationem, tanquam ad ſupremum tribunal provocabunt. Tandem Religio, utpotè univerſos obligans debet eſse constituta ineluctabili authoritate, quæ omnium conscientias liget. Jam verò Religio naturalis modernorum Philoſophorum non alteri innititur authoritati, quam humanæ, eorum scilicet qui ipſam ex ſuæ rationis lumine ſe tradere gloriantur. Porrò quidquid ab homine prodit, etiamsi cæteros omnes ſapientia ſuperet, & vincat; ne unius quidem hominis, multò minùs omnium conscientias ligare potest, homo siquidem ſemper errori ſubiacet, & uti verum dare, ita etiam id, quod falſum est proponere valet. Unde meritò de præceptis Philoſophorum scripsit Lactantius lib: 3tio Divinar: Jnstit: cap: 37. *Nihil ponderis habent, illa præcepta, quæ sunt humana, & authoritate majore, id est Divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quam est ille qui præcipit.* Cum itaque Religio naturalis quam hodie tradunt Philoſophi ut omnium hominum ingenio non sit accomodata, debitâ destituatur authoritate, vel ex hoc capite inſufficiens censeri debet.

Et

Et verò Religio, quæ maximè necessariis destituta est, pro sufficienti haberi nequit. Porrò Religio naturalis maximè necessariis caret. Flebilis & nunquam satis deplorandæ corruptionis naturæ nostræ, intimè omnes conscij sumus. Quilibet namque probe sentit illam pugnam, quæ inter animi nostri partem superiorem, & inferiorem perpetuò committitur. Ratio se dominam agnoscit, interea tamen passionum impetu abripitur, voluntas etiam verum bonum, in quod naturali pondere fertur, sæpè reliquit, ut falsum & apparens assequatur, unde illud Poetæ *video meliora proboque, deteriora sequor*: facile autem est intelligere, hominem ita corruptum, non potuisse è manu Dei Creatoris sui prodire, aliunde autem quærenda est hujus corruptionis, & contrarietatis, quæ in nobis reperitur origo & causa, hujus verò causæ atque originis cognitio, remediorum quibus tanto malo medicina adferatur, notio, præ omnibus ad Religionis naturalis cognoscenda, atque adimplenda officia necessaria est. Hanc porro notionem humana ratio non suggerit nobis, neque illam suppeditare potest, sed ex sola Divina revelatione haberi, ipsa potest. Præterêa in quotidiana peccata sivè naturæ nostræ fragilitate, sivè ignorantiâ culpabili, sivè etiam diabolicâ malitiâ infeliciter prolabimur. Porrò attenta infinita Dei bonitate credimus omnino aliquod esse remedium, quô hujusmodi peccata deleri queant, quodnam verò illud sit, solô rationis lumine certò cognoscere non possumus, sola Divinâ revelatio istud nobis manifestat, ac certò ostendit. Maximè itaque necessaria Religioni naturali desunt, scilicet medium ad delenda quotidiana peccata, remedia quibus malo corruptionis nostræ medicina adferri possit. Ergo firmissimè tenendum ipsum sinè Divina revelatione non esse sufficientem, ad obtinendam temporalem ac æternam felicitatem.

Obijcies 1. Religio naturalis omnium cordibus à Deo inscripta non potest non esse perfecta, atque ad salutem sufficiens, 2. indignum est homine valedicere rationi, & libertati cogitandi, quam tollit revelatio, & inter Catholicos Theologos dantur opinionum varietates, ac quidquid boni docet revelatio, Religio naturalis id continet, cætera ad rixas & contentiones excitandas tantum inserviunt, 3. hæc intestina contrarietas, pugna atque corruptio est homini connaturalis, 4. pænitentia cùm vitæ prioris emendatione, precibus & aliis bonis operibus peccata deleri possunt, & Deus pro quotidianis nostris culpis internô animi

mi nostri dolore, facilè placari potest, quia benignus, ac misericors est.

Resp: ad 1. Perfectum illud dicimus, quod consentit cum suo fine, & religio naturalis eô sensu omnino perfecta est, quod cùm fine ad quem à Deo creatus est homo, optimè consentit, & ad illum obtinendum tantùm confert, quantùm per se conferre debet, atque potest. Verum cum Deus infirmitati humanæ per revelationem suam succurrere statuerit, nihil obstat quod Religio naturalis in præsenti hominum statu dicatur, & sit reipsa insufficiens. Certè liberum Deo erat, dare aut sufficiens lumen rationis, aut lumini insufficienti rationis aliud revelationis suæ adjungere lumen, & sibì reservare nonnulla ulterius manifestanda, sinè quorum intelligentia homines, beati esse non possunt. Deinde ex eo quod Religionis naturalis præcepta, augeantur, illustrantur & conformentur præceptis Religionis revelatæ, Religio naturalis nihil inde amittit, neque cessat ipsa, neque in aliam transit, & consequenter eadem manet immutabiliter secundùm naturam suam.

Ad 2. Quemadmodûm testimonio humano ritè fundato, in vitæ humanæ negotiis, & factis historicis fidem habere non est valedicere rationi, & libertati cogitandi, ita multò minús est valedicere rationi & libertati cogitandi, si Deo loquenti fidem habeamus, atque in iis etiam rebus, quas non comprehendimus, Deus verò manifestat, fallibilem rationem nostram, infallibili Divino submittimus testimonio. Profecto ita agere, est agere secundùm sanam rationem, atque rectè uti libertate cogitandi, quæ certè se eoûsque non extendit, ut pro libitu Dei testimonia agnoscamus, aut illa repudiemus.

Dari inter Catholicos Theologos, quasdam dissensiones verum est, sed quid inde? utique in substantialibus omnes consentiunt, non ergo obsunt dissensiones istæ veritati inveniendæ, & Religionis Catholicæ satis lucuienta dantur criteria. Denique Religio revelata longe majoribus hominem communit præsidiis, & incitamentis ad Dei, atque proximi amorem, ad omne opus bonum perficiendum officia implenda cum omni certitudine atque claritate edocet, ex quo liquido patet in Religione naturali neutiquam id omne contineri quod doctrina revelata comprehendit.

Ad 3. Nihil potest esse minus verosimile, quam dicere hoc intestinum hominis bellum, contrarietatemque esse illi connaturalem. Anima siquidem hominis, utpote simplex, partes sibi contrarias, & inter se pugnantes ex

natura sua habere non potest, nec Deus infinite bonus, & sapiens eam ita condere potuit, ut bonum eodem tempore cuperet, & aversaretur, nisi fingatur ipsum ordinis, simul & deordinationis auctorem esse. Sane hanc internam animi nostri pugnam, ipsamque naturæ nostræ corruptionem, non esse nobis connaturalem, ipsi etiam Ethnici Philosophi animadverterunt, unde Cicero lib: 3tio de Repub: hominem dicebat *non ut à matre, sed ut à noverca natura in lucem editum.* Alij vero Philosophi, ut Pythagorei, & Platonici dixerunt *nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa natos esse:* quemadmodum refert S. Augustinus lib: 4. contra Julianum cap: 13. alij duas in nobis esse animas, sibi contrarias, bonam & malam fabulati sunt, ut Manichæi. Alii alia commentitia Systemmata excogitarunt, ut internæ nostræ corruptionis aliquam probabilem causam redderent. Et omnes hi naturæ nostræ corruptionem viderunt, ejus autem causam ignorarunt, quam sola revelatio nos edocet, peccatum scilicet originale hujus infelicis depravationis unicam causam esse.

Ad 4. Pænitentia & interno animi dolore Deum placari, id quidem certum est ex Divina revelatione, illa autem remota, certum istud omnino esse non potest. Nulla enim necessitas Deum cogit ut pænitentibus peccata condonet, imo si solam consulamus rationem, metuendum fortasse erit, ne sicut humanis legibus scelera puniantur, non obstante quacunque reorum pænitentia, ita etiam Deus nulla nostra pænitentia placetur, quare etiam Ethnici non interna solum pænitentia, sed externis etiam quibusdam sacrificiis ad Deum placandum opus esse existimarunt. Et licet pænitentiæ juncta sit vitæ prioris emendatio, ac vitæ novæ sanctitas, preces atque bona opera, nihilo tamen minus remissionem peccati, ejusque pænarum certò sperare non possumus, quia propterea nihil singulare præstamus, sed tantum agimus, & vivimus ea ratione, secundum quam aliunde vivere, & agere obligamur, etiamsi sinè omni reatu essemus. Preces quoque, & alia bona opera, partem pietatis Deo debitæ constituunt. His accedit, quod post peractam etiam aliquoties pænitentiam, nullus mortalium vitam omni ex parte probam instituat, & quivis in peccatum iterum, iterumque relabatur, quomodo ergo homo, dum ita continuo peccat, operare potest pænitentia sua, quæ novis peccatis continuo interrumpitur, peccata expiari. Manifestùm itaque est, Religionem natu-

ralem

ralem nihil habere, quo peccatorem contrà conſcientiæ remorſus, iræque Divinæ minas tutari valeat, inſufficiens ergo ipſa est.

Dices. Deus neque peccatis, offenditur, neque illa neceſsario punit, non multùm ergo curandum est de remedio quô peccata expiantur.

Reſp: Deus verè peccatis hominum offenditur, quia homo peccator agit, contra Divinam voluntatem, contra Divinas leges, ac propterea se opponit Dominio, & imperio Dei, ipſi debitam abnuit præstare obedientiam, ſubjectionem, timorem, atque amorem, atque ita agendo Deo ſuum non tribuit, imo illud rapit, & hóc modô homo peccator verè Deum lædit, offendit, atque injuriam illi infert. Quare Deus peccata, nisi debita præstetur ſatisfactio nunquam impunita remittit, alioqui legum Divinarum authoritas sarta, tectaqué minimè maneret, omniqué impietati latè pateret porta. Et certè cum Deus verè peccatis offenditur, ut læsus honor ipsius reſarciatur, non potest non punire peccatores. Vi quoque ſuarum perfectionum Deus non potest peccata impunita dimittere. Deus siquidem non est sinè interna perfectionis ac ſanctitatis regula, vi cujus omne malum morale, omni modò eóqué perfectissimô aversatur, porro nisi puniret peccatores, manifestè ostenderet, quod præcepiſset aliquid sinè ratione ſufficiente, quodque æque potest omitti, aut fieri, hoc autem infinitæ Ejus ſapientiæ adverſatur atque repugnat. Præterea Deum peccatores pænis prosequi, communis & naturalis omnium hominum consenſus demonstrat, unde enim illi in peccantibus conscientiæ stimuli, unde terrores illi, nisi ex intima persvasione ultricis justitiæ Divinæ? Hinc Sacrificia Gentilium pro irato numine placando, libri eorum justitiam, ſeveritatemqué Dei erga malos pleniſsimè exhibent. Quemadmodum igitur Deus cum actionibus bonis ſemper connectit præmia, ita cum malis pænas conjungit.

Quæres 4. An igitur omnino neceſsaria sit Religio supernaturalis, quæ nonnisi Dei revelatione innoteſcere potest.

Reſp: Religio ſupernaturalis, quæ nonnisi Dei revelatione innotescere potest, omnino neceſsaria est. Religio siquidem completa, atque ad conſequendam temporalem, ac æternam felicitatem homini plenè ſufficiens, per ſolum naturale lumen haberi nequit, ergo ad illam aſsequendam Divina revelatio est omnino neceſsaria. Jmmenſa siqui-

 dem

dem distantia est Deum inter & hominem, ratione igitur humanâ liquido haud cognosci potest, quid deceat Deum, ejusqué conveniat perfectionibus, eô magis quòd nullus mortalium perfectiones Divinas omnes, earumqué nexum ita clarè perspiciat, ut quid iis sit conveniens, quid Deum secundum perfectionum suarum normam agere oporteat, per solam rationem naturalem, certò & indubitanter intelligere non possimus. Quare peropportunum esse videtur ut Deus in ijs perspiciendis suâ revelatione infirmitati succurat humanæ. Prætereâ quoniam Deus optimus ita sollicitè prospicit de iis quæ temporalem hominis concernunt felicitatem etiam, ejusdem bonitati convenire videtur, in iis quæ spectant felicitatem ipsius æternam ritè providere, cumquè Divinæ sapientiæ maximè conveniat ad finem optimum, optima seligere media, & Religio naturalis non est medium sufficiens homini ad temporalem & æternam felicitatem assequendam, Divinæ itaque sapientiæ, ac bonitati maximè congruebat ad utrumquè adipiscendum lumen revelationis concedere, & supernaturalem hominibus tradere Religionem.

Et veró quamvis antiqui Philosophi lumine naturali nonnulla recta de cultu Dei præceperunt, nemo tamen illorum eo pervenit, quò nos Religio revelata perduxit, ut scilicet Deum solum tanquam ultimum finem nostrum diligamus, alia autem quæcunque bonâ, ad Deum ipsum referamus, ut amemus etiam nosmetipsos, sed nonnisi propter Deum, amemus alios homines, sed etiam in Deo, quo fit, ut vel ipsos inimicos in Deo diligere teneamur. Hinc illud magnum discrimen toties à S. Augustino notatum inter virtutes Christianorum, & Gentilium Philosophorum, quanquam enim extrinsecis officiis videantur eædem, finibus tamen admodum distingvuntur, nec dubitabat S. Doctor bona quæque hominum officia, nisi ad Deum referantur, vitia potiûs appellare, quàm virtutes.

Quanta insuper apud illos qui solâ ratione Religionem statuebant, in precibus ad Deum fundendis ignorantia, quarum objectum ferè nullum aliud, quàm bona temporalia, immo apud Gentiles, ut vel ipsa furta, adulteria, aliaqué pejora facinora feliciter patrare possent, fiebant, supernaturalis autem Religio, & cælestis illius Magister noster, primum nobis quærendum esse docuit Regnum Dei, & justitiam ejus, nullus Philosophorum tam excellentem orationem invenit, qualem ille nos edocuit. Et quæ de oratione dicta sunt, dici pariter debent de gratiarum acti-

one, quemadmodùm enim antiqui Philosophi in suæ rationis tenebris rectum orandi modum ignorabant, ita etiam Deo pro acceptis beneficiis, ut par est gratias nunquàm reddere didicerunt, unde illud Cottæ apud Ciceronem lib: 3tio de natura Deorum *virtutem* nemo unquam acceptam Deo retulit. Vel ipsum itaque cultum Dei interiorem completum ratio naturalis non perspexit, sola revelatio Divina edocuit. Sed quantum attinet ad cultum exteriorem, adhuc luculentius inde revelationis necessitas demonstratur. Et quidem illum etiam Deo deberi ratio ipsa persvadet, verum seposita revelatione Divina, aut nullatenus aut saltem certò cognosci nequit, quis & qualis Divinæ Majestati sit conveniens, quare à solo Deo manifestari, atque determinari postulat, unde vel ipsi inter Ethnicos, qui externum Religionis cultum invehere voluerunt, necessarium arbitrati sunt, supernam aliquam revelationem simulare, id ab AEgyptiis factum fuisse narrat Plato, idem refertur de Numma Pompilio, Minos Cretensis frequenter accedebat montem Dicten, fingens se Jovis præcepta ibi audire, ac demum Lycurgus Delphum perrexit, ut ab oraculo Appolinis leges disceret, quas Lacedemonis daturus erat. Et hæc omnia figmenta ostendunt, animis hominum semper insitum fuisse leges religiosi cultus, non ab hominum ratione, sed à Dei ipsius voluntate proficisci debere. Ergo Religio supernaturalis, quæ nonnisi Dei revelatione innotescere potest, omnino necessaria est.

Objicies 1. Revelatio ad constituendam Religionem completam, est medium extraordinarium obscurrissimis arcanis ac Mysteriis refertum, non itaque videtur esse accomodatum naturali hominum vivendi modo, qui potius ratione dirigi postulant. 2. Hoc medium imposturis & deceptionibus obnoxium est, facile enim hòc modo homines vel ab aliis, vel etiam à se ipsis decipi possunt. 3. Hæc revelatio si omnino est necessaria omnibus & singulis hominibus fieri deberet. Quod tamen non est factum.

Resp: *ad 1mum*: Probatum est, tum ex rationis infirmitate, tum ex Religionis naturalis insufficientia Divinam revelationem omnino necessariam esse: Scilicet necessaria ipsa est, ut quæ naturalis rationis lumine nullatenus detegi, et sciri possunt, addiscamus, quibus ad finem supernaturalem nobis præstitum pervenire possimus, quæ vero ratione humana nonnisi difficulter investigari possunt; facilius & certius revelatione nobis innotescant. Habet quidem Religio revelata quædam Mysteria, quæ propter suam

excel-

excellentiam captum nostrum superant unde nobis obscura esse videntur, verùm tota ac integra doctrina ipsius moralis, leges, præcepta, consilia, regulæ, effata clarissima, maximè perspicua, ac cujusvis captui ad intelligendum accomodatissima sunt.

Ad 2dum: Circa revelationem possibiles esse imposturas, ac fraudes, negari haud potest, eas tamen adhibitâ diligentiâ evitari posse pariter certum est, dantur enim criteria ex quibus revelationem veram à spuria discernere possumus. Quodsi aliqui nonnunquam decepti sunt, aut alios falsis revelationibus deceperunt, noninde tamen efficitur veram revelationem abnegandam esse, aut inutilem, atque minùs necessariam esse, alioqui concludere oporteret nullam etiam nobis à Deo dari debuisse rationem, quia illa & pauci & raró bené utuntur, plurimi veró ratione peccant, illaquè abutuntur.

Ad 3tium Opus non est, ut Deus humano generi Religionem revelans, omnibus ac singulis hominibus eandem immeidate manifestet, finis namque revelationis est, dare hominibus notitiam sufficientem Religionis, quà ad felicitatem pervenire valeant, finis autem iste obtineri potest, si quibusdam tantum hominibus Deus sese immediatè manifestet, eâ tamen lege, ut haustam Divinitus Religionis notitiam aliis communicent, & ad illam cæteris communicandam, sufficientibus instruantur viribus, & requisitis præditi sint dotibus. Quare nihil est ineptius quam contendere, hanc revelationem ómnibus ac singulis hominibus internó quodam instinctu à Deo tribui debere. Placuit namque Deo eam certis hominibus impertiri, eandemquè indubiis notis, & characteribus insignire, ut singuli homines, si prudentia uti velint, suæqué salutis esse solliciti, eam facilè cognoscere queant.

Dices: Summa Religionis revelatæ in amore Dei, & proximi consistit, utrumquè autem æque docet Religio naturalis. Prætereà Deus omni cultu contentus est, dummodó principiis Religionis naturalis non opponatur, omnium autem optimum esset, se legibus vel usibus locorum accomodare, neque enim alia ratione exterior cultus est institutus, nisi ut membra alicujus societatis in publica Professione unius Religionis simul uniantur.

Resp: Quod summa Religionis naturalis illorum qui revelationis lumine destituti erant, constiterit in amore Dei, & proximi, id liquido falsum est, & probari nullatenus potest: quod veró summa Religionis naturalis, quam hodier-

ni profitentur Philosophi in Dei & proximi amore constituatur, id non negamus, sed cum isti Christiani sint, aut à Christianis sua lumina hauserunt, id non rationi humanæ, sed revelationi tribui debet.

Quod verò dicitur Deum omni cultu contentum eſse, falsum est, tunc enim Deo accepta fuerant horrenda etiam illa Sacrificiorum monstra, quæ antiqui Gentiles Supremo Numini offerre consveverant, & humanæ hostiæ, quales apud Seythas, Persas, olim immolabantur ac demum cultus omnium peſsimi Tauro & Capro dicati, aut florales ludi, in quibus pudor humanus Diis offerebatur. Porro nihil est dictu facilius, quam abominabiles hujusmodi ritus, & superstitiosa Sacrificia, cùm ratione ipsa pugnare, sed istud nonnisi supposito revelationis lumine facilè demonstratur, quod si rationem solam consulere velimus, non deerunt, qui hanc repugnantiam non videant, ut enim scitè observatum est a Bosveto, mores hi, qui nobis absurdiſsimi videntur, non apud barbaras tantum, sed apud omnium cultiſsimas Nationes quondam obtinuerunt, non ergo jis cùm recta ratione pugnantes visi sunt, quemadmodum nobis videntur.

Neque etiam concedi potest, quod naturalistæ post veteres Philosophos contendunt, debere nos in externo Religionis ritu, legibus ac consvetudinibus locorum accomodare. Id enim si verùm foret, sequeretur callida nos simulatione uti poſse, atque turpitèr mentiendo exteriùs eos ritus exercere, quos interiùs ridiculos absurdosqué putamus, quod certè rectæ rationi, honestati ac veritati omnino adversatur. Eâdem ratione exploditur illud postremùm, scilicet, non alia de causa fuiſse externos Religionis ritus invectos, quam ut membra alicujus Societatis simul uniantur, sed potius ut Deo integri hominis obsequium, & cultus tribuatur, quamobrem etiamsi quis extra Societatem solitariùs viveret, attamen Deum tam internè, quam externè colere adhuc adstringeretur.

CAPUT SECUNDUM

De existentia Religionis revelatæ.

Quæres. Quid de existentia revelatæ Religionis, moderni sentiunt Philosophi?

Resp: Moderni Philosophi, quos *Naturalistas* vocamus

mus omnem Divinam revelationem anilibus fabulis accensent, & contra illam debacchantur nihilquè ipsis magis invisum, quam Mysterij nomen, quod â Religione omnino eliminatum vellent, quare revelationem non solùm ùt existentem agnoscere renuunt, verûm etiam ùt impossibilem, noxiam, atque inutilem aspernantur.

ARTICULUS Imus.

De posſibilitate & existentia Divinæ revelationis.

Quæres 1. Utrum posſibilis sit Divina revelatio?

Resp: Divina revelatio plane poſsibilis est. Neque enim in Deo, neque in homine quidpiam deprehenditur, quod impediat, quòminùs veritates anteâ ignotæ, homini â Supremo Numine manifestentur. Potest sanè Deus, qui vires cogitandi homini conceſsit, easdem, ubi expedire judicaverit, quibusdam datis acceſsionibus adaugere, nec quidquam est in homine, quod obstet, quominus ejusdem cognitio naturalis Divinitus ampliatur, atque ad majoris perfectionis gradum evehatur, eò magis, quod omnes quas mente concipimus ideæ cognitionis argumentum admittant; Ipsequè Deus Omnipotens ita sese hominibus manifestare potest, ut hi Deum sibi locutum eſse, citra ullum deceptionis periculum certò agnoscant. Planè ergo poſsibilis est Divina revelatio, ac propterea Religio à Deo revelata minimè repugnat.

Dices. Jlle cui fit revelatio, certè scire neutiquam potest, an verè cæleste lumen hauſerit, an verò undecunquè deceptus non sit?

Resp: Dubitare nemo potest Deum ita ſese homini manifestare poſse, ut certè sciat à Deo ſese has vel illas veritates edoctum eſse, quare quibus Deus ſua arcana manifestat, vel inviti etiam ſentiunt, à Deo revelationem ſe habuiſse, unde etiam revelationis sibi conceſsæ à vulgaribus ſensionibus ac imaginationibus discrimen clarè atque nitidè percipiunt.

Quæres 2. Utrum reipsa revelata Religio existat?

Resp: Religio revelata reipſa existit. Deus siquidem ter optimus, maximus, operi ſuo in neceſsariis non deest. Porro Religio revelata hominibus, qui ſunt præstantiſsimum Deitatis opus, undequaque neceſsaria erat. Ergo illam Deus hominibus tradidit, itaque reipſa existit Religio revelata. Et verò & Judæis quondam per Moysen

ſen datam & etiam à Jesu Christo Salvatore nobis traditam Religionem ex Divina promanâſse revelatione undequaque certum est. Ergo reipſa existit Religio revelata.

Obijcies. Divina revelatio toti ferè mundo ante Christum defuit, & adhuc multis populosiſsimis Nationibus deest, quod si omninò neceſsaria ipſa foret, hoc minimé cohærere videretur cum infinitâ Dei bonitate, & providentia, quæ necessaria omnibus hominibus ſemper ſuppeditat.

Resp: Certúm est, revelationis alicujus lumen ab exordio mundi extitiſse, ac proinde diu ante tempora Moysis Religionem aliquam præter naturalem, à Deo hominibus fuiſse propositam, quæ continuò apud posteros Seth & Noe usque ad Abraham, & deinceps in ejus familia conſervabatur, qui omnes unius Dei cultores erant, cujus beneficio potuerant id omnes, quod fecerunt plurimi, hoc est à vero & recto non deflectere.

Post Moyſen pluribus aliis Gentibus, ac Nationibus præter Hæbreos Divinam revelationem innotuiſse, & in quascunque mundi partes diſpersi Judæi fuerunt, ubique ſecùm & veri Dei notitiam, & traditam ab ipſo Religionem aſportarunt, unde multi ex variis etiam Nationibus, qui etsi universæ legi Moſaicæ ſese non ſubdiderunt, attamen veri Dei legitimum à Judæis edocti cultum, illum constanter profitebantur.

Christi quoque Divina Religio ubique ac fere in toto mundo annuntiata fuit, mittens siquidem Apostolos in mundum universum, præcepit eis ut ipsius Evangelium prædicarent omni creaturæ & docerent omnes Gentes ſervare ea omnia quæcunque mandaverat eis, & factum est ita, in omnem terram exivit ſonus prædicationis eorum, & in fines orbis verba illorum. Non itaque Gentibus defuit Divina revelatio, sed ipse Gentes defuerunt Divinæ revelationi, & quibus tandem omnino denegata est, justô judiciò id factum est, quia ipsi oculos claudebant, ne ſupernum lumen viderent, ſuperbia tumidi, in cogitationibus ſuis evanuerunt, apertiora naturæ jura violabant, his ergo meritó Divina denegata fuit revelatio.

Dices. Religionem revelatam tantæ utilitatis haud eſse, multorum Christianorum ignorantia, & malitia docet. Præterêa quomodo poterant homines inculti, & Sylvestres ad hujus ſupernaturalis revelationis cognitionem pervenire quomodo vere revelatam Religionem à falſa ſecernere, an poterant omnes Sectas ad examen vocare, & de illis judicare. Incredibile igitur est Religionem revelatam omnino ad ſalutem neceſsariam eſse.

Resp:

Resp: Jgnorantia Christianorum in negotio Religionis falſo obijcitur. Sanè pueri & rudes in agro, pleniorem Religionis Deo debitæ notitiam habent, quam ſapientiſsimi Gentilium Philoſophi, quos tamen ſemper laudibus efferunt moderni Naturalistæ, habuerunt. Quod verò vitæ probitatem attinet, & hæc longè est major inter Christianos, quam inter Gentiles, atque etiam hodie inter Naturalistas: quorundam verò Christianorum malitia, non oritur ex inſufficientia doctrinæ, ſed ex abuſu libertatis, quæ contraria est optimis legibus, quas ignorabant Gentiles, & hodiedum adhuc ignorarent Philoſophi nisi easdem à Christianis didiciſsent.

Quod si ex eo religio revelata repudianda foret, quia ut ajunt Naturalistæ in cultis & aggrestibus hominibus inacceſsabilis est, pari de cauſa reijcienda foret Religio naturalis, quoniam major hominum pars non in remotis tantummodo & barbaris nationibus, ſed in nostra etiam Europa ſolo rationis lumine Religionem naturalem constituere nequit, neque decernere an ipſa ad benè beatèqué vivendum homini ſufficiat, ſed & hoc etiam constituto, restaret ad inquirendum in quo ista Religio naturalis sita sit, quænam ejus præcepta, & officia erga homines, tum maximè erga Deum, quinam hominis finis, quæ ipsius vera felicitas. Certè si hæc unusquisque ſua ratione investigare, ac invenire deberet, adeô longa eſset, ac difficilis hæc inquisitio, neceſse foret immenſa Philoſophorum volumina pervolvere, longis peregrinationibus mundum perlustrare, ut tutò de his judicium feratur. Et tandem cum de his omnibus tâm veteres, quàm novi Philoſophi in tanta ſunt diſsensione constituti, quis poterit omnia uniuscujusqué partis argumenta perpendere, ut ſuam ſententiam jure pronuntiet. Ut igitur immobilis stet Religio naturalis, sitqué omnibus hominibus, quemadmodum Philoſophi volunt univerſalis, tandem concludendum erit, maximam hominum multitudinem, paucorum Sapientum authoritati qui & falli, & fallere poſsunt, sinè examine fidem exhibere debere, si id in Religione naturali, dum ipſa ſola ſubsisteret, omnino neceſsarium foret, cur id ipſum non debeat admitti in Religione revelata.

Verùm sicuti ut veros nummos cognoscamus, necesse non est, omnes adulterinos cognoscere, & cum veris conferre, ita non est opus, omnes falſas Sectas ad Examen vocare, quia tot, tantaque ſunt credibilitatis motiva, quibus nostra Religio revelata fulcitur, ut quilibet etiam idio-

idiota, modò feriò attendere velit, Divinos ejus characteres agnoscere poſset. Miracula enim insignia, & certa in hujus revelationis confirmationem facta, homines etiam illiteratos convincere poſsunt. Sed & si quis comparatione instituta alias Sectas ad Examen vocare vellet, expensis cujuslibet Sectæ motivis, nullus reperiri poterit, quin statim ab hominum imposturis vere Divinam Religionem discernere queat.

Quæres 3. Religio à Deo revelata potestné continere Mysteria, quæ nostram rationem longe ſuperent?

Resp: Religionem à Deo revelatam poſse continere Mysteria quæ nostram rationem longè ſuperant. Divina siquidem revelatio multa nobis proponit, quæ ipsius Dei eſsentiam, attributa, voluntatem, decreta, præcepta, atque opera ſpectant, nihil igitur faciliùs contingere poterat, quam quædam revelari, quô manifestetur ipſorum existentia, non autem modus, quô existunt declaretur, unde nobis hæc totidem ænigmata videantur, hujusmodi autem ſunt, quæ Religionis Mysteria appellantur, quatenus eorum existentiam credimus propter Divinam revelationem, modum autem quo existunt non videmus, quia illum nobis manifestare Deo non placuit. Et verò in ipſo etiam naturali rerum ordine plures veritates evidenter ſunt demonstratæ, quamvis modus, quo invicem connectuntur, omnino nos lateat, ac proinde innumera ſunt de quorum existentia certi ſumus, licet eorum eſsentiam, proprietates ignoremus. Quanto igitur magís Divinæ illius excellentiſsimæ ſubstantiæ omnia intelligibilia humana ratio investigare non ſufficit. Religio itaque à Deo revelata continere potest Mysteria quæ nostram ſuperant rationem, imo id fieri etiam decuit, quia nimirum homo ad altius bonum, quam experiri in præſenti vita poſsit, Divina Providentia ordinatur, oportuit ergo mentem nostram etiam ad aliquid altiùs evocari, quam ratio in præſenti poſsit pertingere, ut sic discat homo aliquid desiderare, & in aliquid studio tendere, quod totum præſentis vitæ statum excedit, atque etiam hôc modô ſublimiorem habemus Dei cognitionem, tunc enim ſolùm verè Deum cognoscimus, quando ipſum eſse credimus ſupra omne id, quod de Deo cogitare humana ratio potest. Et expedit itaque, & decuit ut Religio à Deo revelata haberet Mysteria quæ humanam longè ſuperant rationem.

Obijcies 1. Religio utpotè omnibus hominibus communis, evidens eſse debet, talis verò eſse non potest, si

My-

Mysteria contineat, quæ vix à doctis, à rudibus autem nullatenûs intelligi poſsunt, 2. Finis Religionis est homines facere bonos, ad hoc autem potiſsimùm ſpectant leges, Mysteria nihil omnino conferunt.

Resp: ad 1. Religionem utique evidentem eſse debere, non tamen evidentiâ intrinſecâ, quantum ad ipsam Mysteriorum eſsentiam, ſed evidentiâ extrinſecâ, ut scilicet indubiis, evidentibusqué argumentis constet, Deum qui nec falli, nec fallere potest, Mysteria revelâſse, hôc enim ipſô certi omnino ſumus, ea eſse vera, quanquam eorum intrinſecam naturam, atque constitutionem non concipiamus.

Ad 2. Religione totum ſe homo Deo obligat, & quantùm ad facultatem intelligendi, quæ Deo conſecratur, dum intellectus captivetur in obſequium fidei, & quantum ad voluntatem, & alias potentias, quæ Deo pariter conſecrantur, accurata Legum obſervatione. Nemo itaque in Religione benè fundatus cenſeri potest, qui unum ex hujusmodi servat, alterum contemnit, unde meritò S. Augustinus lib: 5tò de Civitate Dei cap: 10. scripsit *malè vivitur, si de Deo malè creditur.*

ARTICULUS 2dus.

De veræ Religionis Criteriis.

Quæres 1. Quid & quotuplicia sunt veræ à Deo revelatæ Religionis Criteria?

Resp: Veræ Religionis criteria, ſunt notæ, quibus vera & a Deo revelata Religio ritè agnosci, & à falsa atque ſupposititia discerni poſsit. Criteria hæc partim ipſa ratio humana statuit, partim in vera Divina revelatione reperta aſsumit, unde duplicis generis ſunt, scilicet intrinseca & extrinſeca. Jntrinseca quæ ipsis revelatis veritatibus inſunt. Extrinseca quæ veritatibus revelatis non inſunt. Ad intrinsecam referimus ea, quæ sita ſunt in doctrina, quam revelatio tradit, atque in qualitatibus ſeu dotibus illorum, quibus revelatio facta est. Et hæc ipſamet ratio constituit. Ad extrinsecam verò illa pertinent, quæ ratio humana ab ipsa revelatione sibi ſubministrata habet, & ſunt facta quædam ſupernaturalia, quibus revelatio, quasi digitò demonstratur.

Quæres 2. Quæ sunt intrinseca veræ a Deo revelatæ Religionis criteria?

Resp:

Resp: Veræ Religionis à Deo revelatæ intrinseca criteria sunt 1. doctrinæ à Deo revelatæ Sanctitas, ut & digna sit Deo, & ad felicitatem hominis obtinendam pro præsenti illius statu sufficiens, & accomodata sit, 2. dotes illorum quibus revelatio facta est, & qui illam annuntiant ac prædicant ut sint homines omni ex parte fide digni. Porrò ratione doctrinæ, ſapientia prærequirantur.

Primò. debet eſse vera, & ab omni errore, & contradictione immunis. Deus enim infinite sapiens, & verax errorem, & contradictoria revelare nequit, quare prima nota, quâ statim impostorum mendacia deprehendere possumus, est falsitas, & abſurditas doctrinæ quam invehere conantur, quæ tanta aliquando evidentia apparet, ut hæc sola sufficiat ad illam reijciendam, atque aspernendam.

Secundo. Debet neceſsariis naturalis rationis veritatibus non contradicere. Secus enim Deus, qui & rationis & revelationis author est, sibi contradiceret. Jn occursu autem veritatum naturalium, & revelationum attendendum est, ne errores & contradictiones apparentes pro veris habeamus, & ne Philosophorum placita, aut hypotheses pro indubitatis veritatibus aſsumamus.

Potest tamen revelatio eſse contraria veritati naturali contingenti, quód in miraculis evenit, quia cum illæ veritates non ſunt neceſsariæ ſed contingentes, illarum oppositum est omninò poſsibile *exg:* ignis virtute ſupernâ impeditus non urit.

Tertio. Continere debet res Deo dignas, quæ spectant ad ipsam Dei naturam, ejusqué cultum, & ipse modus revelationis, Divinis perfectionibus conveniens, ac decens eſse debet. Nam Deus infinitè Sanctus & ſapiens, nihil agere & docere potest, quod perfectionibus ipsius indignum, atque inconveniens foret.

Quartò. Complecti debet veritates ad obtinendam felicitatem homini scitu neceſsarias, quas ratio naturalis non ſubministrat. Secus nulla est causa cur Deus istiusmodi veritates per ſe immediatè doceat, si illas ratio ipsa naturalis manifestat. Negari tamen haud potest, veritates etiam naturales à Deo revelari poſse, partím ut illis majus robur accedat, partim ut simplicioribus hominibus, qui debitâ rationis culturâ destituuntur, consulatur.

Quinto. Veritates Religionis naturalis debet confirmare ac dilucidare, novasqué addere, doctrinam morum, & omnia Religionis officia ritè determinare ac specialem declarare originem mali, & contra illud ſuppeditare reme-

medium, ac tandem designare medium reconciliationis, quò in gratia Dei peccatis nostris offensi redire valeamus. Nisi enim hæc doceat Religio revelata, æque ac Religio naturalis insufficiens foret.

Sexto. Denique doctrina revelata continere debet Mysteria, sivè veritates suprà rationem positas. Cum enim necessariò complectatur, veritates quæ Deum concernunt & in Deo, út potè Ente infinito, & incomprehensibili occurrant Mysteria, quia Divina essentia semper intellectui humano est incomprehensibilis, unde manifestum est, quod in Religione revelata non possunt non occurrere Mysteria. Jam verò ratione illorum, quibus facta est revelatio, & qui illam annuntiant, sequentia postulantur.

Primò. Dexteritas sivè scientia, ac capacitas, ut ritê & percipere & testari valeant de veritatibus sibi revelatis.

Secundò. Sinceritas seu veracitas ut ritè testari velint de iisdem revelatis veritatibus. Atque hæc veracitas in dubiùm vocari nequit, si illi sint viri probi, in quos nulla fraudis suspicio cadit, & qui non sua sed unice illa, quæ Dei sunt quærant, atque à testimonio suo in summo etiam mortis discrimine non discedunt.

Quæres 3. Quæ sint extrinseca Religionis à Deo revelatæ criteria?

Resp: Criteria extrinseca Religionis à Deo revelatæ sunt, facta quædam supernaturalia, Miracula scilicet & Vaticinia, quibus non solum missio Divina eorum, qui Religionem revelatam annuntiant, verum etiam veritas, & Divinitas ipsius revelatæ doctrinæ comprobatur. Nomine autem miraculi intelligitur factum seu effectus supernaturalis, & extraordinarius, seu talis qui non contigit secundum consvetas naturæ leges. Et hæc notio conformis est Sacræ Scripturæ, quæ miracula à sola Divina virtute ac voluntate derivanda docet. Hebr: cap: 24. ver: 4. Philosophorum quidem omnium non eadem mens est de natura miraculi, at verò cum Scriptura Sacra, præprimis eventus, quos miracula vocamus, commemoret, eorum quoque notio è Scriptura Sacra potiùs haurienda est, quam ex Philosophis. Vaticinium verò est certa prædictio eventûs, libere ac contingentèr futuri, cujus existentiæ ratio, nullô modô vel per se, vel per signum aliquod ab homine prænosci possit.

Quæres 4to. Miracula & Vaticinia quid probant ac evincunt?

Resp. Miracula atque Vaticinia tum ad miſsionem Divinam eorum, qui revelatam Religionem annuntiant, tum ad ipsius Religionis veritatem, ac Divinitatem comprobandam apprimè inserviunt. Enim verò Miracula ac Vaticinia virtute ſupernâ fiunt ad denotandam Divinam Missionem eorum, qui revelatam Religionem prædicant, & simul ad declarandam veritatem, ac Divinitatem ipsius Religionis, quare Deus ipse fert testimonium de Miſsone Divina Prædicatorum, atque de veritate & Divinitate Religionis ab ipsis prædicatæ. Jam verô testimonio Divino argumentum majùs pro rei cujusdam veritate cogitari non potest. Porró facta supernaturalia, vel maximè miracula, cum in omnium oculos incurrant, non solùm rudiores, verum etiam eruditiores de veritate convincere possunt, atque luculenter ostendunt Religionem revelatam, non eſse inventum humanum, sed opus Divinum.

Objicies 1. Miracula & Vaticinia impoſsibilia sunt, ac planè repugnant. 2. Miracula à naturæ operibus discernere non valemus, quia quousque ſe extendant vires naturæ, ignoramus. Plures quoque Philoſophi docent facultatem vaticinandi homini connatam eſse, cum plures instante corporis resolutione, ubi Spiritus minùs â corpore impeditus est, vaticinati fuerint. Ergo ex Miraculis & Vaticiniis nullum argumentum duci potest.

Resp. ad 1. Miracula omni ex parte poſsibilia sunt, 1. quidem in se spectata, nemo enim facta quæ sunt suprà naturam, atque ejus vires excedunt repugnare affirmabit, 2. spectatô authore illorum qui est Deus, is enim omnipotens, & conditor naturæ efficere potest quæ ſunt suprà naturam, 3. spectatô quoque naturæ cursu poſsibilia sunt, is siquidem utpotè contingens, ſuspendi atque Dei omnipotentis juſsu interrumpi potest. Miracula itaque omni ex parte poſsibilia ſunt.

Verùm & Vaticinia non minùs poſsibilia eſse certum est. Nullô enim modô dici potest Deum omniscium atque omnipotentem certâ futurorum contingentium notitiâ intellectum hominis haud instruere poſse, vel hominem recipiendæ hujusmodi notitiæ incapacem eſse. Vaticinia ergo neque ex parte Dei, neque ex parte hominis repugnant.

Sed dices. Leges naturæ, atque eſsentiæ rerum sunt immutabiles, perpetuæ atque constantes. Jn miraculis autem Leges naturæ atque rerum eſsentiæ immutantur, Ergo miracula impoſsibilia sunt.

Resp:

Resp: Leges naturæ morales neceſsariæ sunt, ac immutabiles, quia fundantur in immutabili Dei, & hominis eſsentia, & immutabilibus Divinis perfectionibus, atque eſsentialibus hominis dotibus, & sunt & esse debent conformes, sic isthæc *exg:* naturæ moralia præcepta. *Deus est colendus. Parentes honorandi, nemini irroganda injuria;* immutari nequeunt, quia ipsis contraria, Dei, & hominis eſsentiæ, dotibus atque perfectionibus contraria & opposita forent. Leges verò naturæ Phisicæ & Mechanicæ, mutabiles sunt, quia contingentes sunt, quemadmodum tota hujus universi machina contingens est, atque istiusmodi physicæ atque Mechanicæ leges liberâ Dei voluntate primum constitutæ sunt, & perpetuò conservantur, poſsunt igitur in aliquo particulari casu, eâdem liberà Dei voluntate immutari, interrumpi seú potiús suspendi, quod in quovis contigit Miraculo. Certè in Miraculis leges Physicæ non tam mutantur, quia aliunde in se manent, sed in quibusdam circumstantiis Divina potentia earum effectus suspenditur atque impeditur.

Pari modô eſsentiæ rerum quæ Metaphysicæ dicuntur, & quæ intrinsece rerum naturas constituunt planè immutabiles sunt, & in Miraculis nunquam mutantur, eſsentiæ autem physicæ omninò mutari poſsunt, & mutationis ejusmodi argumentum est evidentiſsimum mors hominis, quà essentia hominis physica, quæ in unione animæ cum corpore consistit, mutatur. Dum igitur *exg:* mortuus resuscitatur Divina potentia, essentia hominis physica restauratur, dum ignis naturaliter urens, ac corpora diſsolvens, non urit, nec diſsolvit, quemadmodum in fornace babylonica contigerat, dum corpus grande deorsum non cadit, tantummodo Divina virtute effectus naturalis impeditur, natura autem rei non immutatur, quia ignis in se retinet virtutem urendi, & corpus grave licet in aere suspensum hæreat, vim gravitatis non amittit.

At inquies. Omnia immutabili neceſsitate secundum ordinem, cursumqué naturæ fiunt; Ergo Miracula dari nequeunt quæ præter aut contrà ordinem cursumqué naturæ fieri dicuntur.

Resp: Universum naturæ ordinem, atque cursum à Deo liberrimè constitutum fuiſse, quare in sola Dei fundatur voluntate, atque ſapientia, ab ipsis conservatur, ac dependet, nullâ ergo ineluctabili constringitur neceſsitate. Quare Deus, quæcunque illi placita fuerint, contrà & præter cursum atque ordinem naturæ efficere potest.

Cum-

Cumquè Miracula sunt opera Dei, fieri igitur contrà & præter cursum ordinemqué naturæ possunt. Meritò itàque scripsit S. Augustinus libr: 6. de Genesi: *Deo hoc est natura, quod fecerit:* quia scilicet Deus non minùs est Auctor ordinarij cursus naturæ, quam ejusdem mutationis extraordinariæ.

Resp: ad 2. Habemus benè multas regulas, quibus certò & indubitanter vera Miracula, ab ordinariis naturæ effectibus secernere possumus, & quamvis in quocunquè casu particulari certò determinare non possumus, quousque naturæ vires se extendant, ac proinde indubitate scire non possumus, an eventus ille sit veré supernaturalis, sensus tamen communis docet, ac perpetua omnis ævi experientia testatur supra omnes naturæ vires positum esse, verbô, nutu, unicô temporis punctô, gravissimos & inveteratos morbos tollere, cæcis lumen, surdis auditum reddere, paucis panibus plura hominum millia saturare, defunctos ad vitam revocare, aquas maris dividere, corpora cælestia sistere. Quemadmodum licet determinari certò non possit, quantum ponderis vir robustus elevare queat, nemo tamen dubitabit, aut credet eum posse turrim aut montem attollere. Fingant incréduli in natura vires ignotas quotquot volunt, fingant causas superiores, fingant demum combinationes rerum varias, ac infinitas, nemini tamen cordato, ac prudenti viro persvadere poterunt, ab hujusmodi viribus, aut causis, aut combinationibus ea stupenda facta oriri potuisse, quæ Deus ad confirmandam cælestem revelationem sæpius patraverat.

Quod verô Philosophi quidam ajunt facultatem ratiocinandi connatam esse homini, planè ridiculum est, quia nullô argumentô comprobari potest, authoritas autem Philosophorum plùs non valet, quam eorum argumenta probant. Quasdam etiam morientium prædictiones, vera fuisse Vaticinia; quis probabit, illa utique casu impleri potuerant, sed casus pauci, inexplicabiles & ubi circumstantiæ omnes investigari nequeunt, rem per se dubiam in tuto minimè ponunt.

Quæres 5. Utrum Miracula sint certum & indubitatum à Deo revelatæ Religionis criterium?

Resp: Miracula facta in confirmationem Missionis Divinæ, Religionem annuntiantium, & veritatis ac Divinitatis ipsius annuntiatæ Religionis, sunt certum & indubitatum criterium tum Missionis Divinæ, tum veritatis atque Divinitatis ipsius Religionis. Miracula siquidem sunt

 facta

facta, ac opera ipsius Dei, quia nimirum solus Deus totius naturæ creatæ vires, & ordinem prætergredi potest. Porrò bonitati, sapientiæ, ac veracitati Divinæ repugnat facere quidquam in confirmationem falsitatis, evidens igitur est, quod Miracula ejusmodi veritatis indubitata sint criteria. Rectè itaque Card. Bellarminus scripsit Tomo 2. Controvers: lib: 4. cap: 14. Quod Miraculô confirmatur, Dei testimoniô confirmatur. Deus autem non potest esse testis mendacij, igitur quod Miraculô confirmatur, verum esse necesse est.

Sed ut Miracula sint legitima, veritatis criteria sequentia requiruntur.

Primo. Miraculorum veritas historica, seu quod re ipsa contigerint.

Secundo. Veritas illorum physica, scilicet quod sint vera Miracula, seu effectus supernaturalis.

Tertio. Facta eſse debent in confirmationem Miſsionis illorum, qui prædicant Religionem, & veritatis ipsius Religionis. Secus immeritò aſsumuntur tanquam argumenta, atque criterìa Miſsionis ac Religionis Divinæ.

Quarto. Finis Miraculorum debet eſse augmentum gloriæ Dei, ac Religionis propagatio.

Quinto: Modus quò patrantur Miracula per homines tanquam Divinæ potentiæ instrumenta, excludere debet ridicula, & mimica, quæ gravitatem Religionis dedecent, atque multò magis abeſse debent illa, quæ contraria sunt virtuti, ac honestati.

Objicies 1. Miracula fieri poſsunt à malis etiam hominibus in confirmationem falsitatis. Sic Magi Pharaonis prodigiosa signa ediderunt Samuel à Pythoniſsa resuscitatur, Prodigia Antichristi prænuntiantur. Tandem multa Ethnicorum narrantur Miracula. Cum itaque prodigia & Miracula in confirmationem erroris à malis hominibus ac Spiritibus malignis fieri soleant, in confirmationem veræ à Deo revelatæ Religionis aſsumi nequeunt. 2. Miracula forte ab occulto naturæ ordine procedunt, maximè quia antiquitus multa vulgabantur Miracula, modò verò nulla audiuntur.

Resp: ad 1mum. Vera Miracula in confirmationem erroris, ac falsitatis nunquam fieri poſsunt. Vera siquidem Miracula, solius Dei sunt opera, fieri nequeunt nisi superna ejus virtute. Deus autem cum sit summe verax, falsum testari nequit, nec proinde facere Miracula ad confirmandum errorem. *Miracula inquit Augustinus sunt veluti sigilla,*

gilla,

gilla, quibus veritatem obsignat Deus: non potest ergo illis falsitatem obsignare. Quare omnia quasi Miracula, à perversis hominibus, malignis Spiritibus facta, vera Miracula non sunt, sed vel fraudes ac deceptiones, vel fabulæ & falsitatis commenta, vel tandem opera mirabilia, ope Dæmonum patrata, quæ vires quidem humanas superant, sed omnem creatam vim non excedunt, quare ad illa efficienda non omninò opus erat virtute superna quæ solius Dei est, quapropter vera non erant Miracula, sed ad singula allegata seorsim respondere necesse est.

Quantum igitur attinet ad signa & prodigia, quæ Magi coram Pharaone ediderunt, hæc vel meras fuisse præstigias, vel res dæmonis virtute peractas multi opinantur, sed istud certissimum est, illa infinito intervallo à veris Moysis Miraculis distare, quod facile quilibet intelligere poterit, qui attentè ea legerit, & ipsi tandem Magi ultrò confessi sunt, & suam infirmitatem, & Dei omnipotentiam Moysi assistentem agnoverunt, coacti dicere. *Digitus Dei est hic* Exod: cap: 8. De Samuele à Pythonissa suscitato dicendum est, aut fuisse merum spectrum ope dæmonis efformatum, aut Samuelem virtute Divina verè ab inferis fuisse revocatum, quia nimirum eâ occasione voluit Deus manifestare Sauli, quanta illi imminerent mala ob inobedientiam, qua Dei restitit voluntati.

De Antichristo res est apertior, quem S. Paulus Apostolus in Epist: 2da ad Thesal: cap: 2. scribit venturum esse *secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, prodigiis mendacibus*, quia nimirum vel fallacitèr & illusoriè non autem vere ea signa, ac prodigia ab ipso fient, vel quia aliqua mirabilia quidem, sed non vera Miracula, ad homines in errorem inducendos patrabit.

Tandem Miracula quæ ab Ethnicis facta jactari solent, ut plurimum sunt subdolorum hominum fraudes, Dæmonum præstigiæ, ac confictæ fabulæ, quæ ab imperito vulgò inaniter credita sunt, quare vel ipsi Gentiles illa deridebant, atque aspernabantur.

Sed inquies. Esto nonnisi falsa Miracula in confirmationem erroris fieri possint, hoc ipsum sufficit, ut inde colligamus, Miracula non esse Divinæ revelationis criteria, cum enim admodum difficile sit, imo quibusdam planè impossibile vera Miracula à falsis discernere, nihil tutiùs erit ad vitandum errorem, quam nullis Miraculis credere.

Resp: Habemus nonnullas notas, quibus vera Miracula à falsis, & apparentibus discerni possunt. Ex his istæ

 sunt

sunt præcipuæ: operis constantia & duratio, operantis probitas, finis rectus & Sanctus, doctrina non absurda. Quoniam veró nec semper, nec omnibus datum est hos veri Miraculi characteres sinè ulla dubitatione cognoscere, firmiſsimê tenemus Deum nunquam permiſsurum aliqua mirabilia, vel falsa prodigia ad confirmandum errorem fieri, quin ipse multo plura, majora & certiora Miracula faciat pro veritate patefacienda, ut sic fideles poſsint errore declinato rectum tenere, & viam veritatis sequi. Id præterquam quod Divinæ sapientiæ, bonitati, ac providentiæ omnino consentaneum sit, potest etiam pluribus exemplis luculentèr confirmari. Permisit Deus Magis Pharaonis thaumaturgam Moysis virtutem æmulari, sed effecit posteâ ut tandem agnoscerent vel inviti in Moyse digitum Dei. Toleravit Deus aliquamdiu Quadringentas quinquaginta Pseudoprophetas Sacerdotes Baal: ne tamên populus quasi neceſsarió in errorem pertraheretur, eosdem ab Elia in Miraculis palam superari, confundi ac trucidari voluit. Pseudopropheta Elymas à S. Paulo devictus, & excæcatus, ac Simon Magus à S. Petro pariter devictus est. Et ut Antichristi temporibus, majora fient falsa prodigia, non deerunt Enoch & Elias, qui & prædicatione & miraculis potentioribus errori resistent, & quia persecutio, & tribulatio illa erit omnium maxima, Deus fideles suos præmunivit, prænuntiata multo ante, illorum prodigiorum falsitate, quemadmodum habemus Marci cap: 13. scriptum.

Resp: ad 2dum. Occultus istæ naturæ ordo, merum est Naturalistarum figmentum, & ut aliquid ex illo inferre poſsint, debent illum ordini naturæ visibili atque conspicuo contrarium, atque oppositum eſse affirmare; quod si ita foret, ordines inter se oppositi, atque secum pugnantes in regno naturæ admittentur, quod quomodo stare poterit, viderint naturalistæ. Præterea in natura, totoque universo duos oppositos eſse ordines, unum conspicuum, alterum occultum id et Divinæ sapientiæ, & continuæ repugnat experientiæ.

Cur autem hodie non amplius illa fiant miracula, quæ facta sunt ab exordio Religionis Christianæ, soli Deo notum est. Sed & dici nequit nulla omnino nunc fieri miracula, cum semper, quamquam rarius fiant. Neceſsaria autem nova miracula omnino non sunt, quia hodiedum antiqua Christi, & Apostolorum miracula, sufficiens & invictum sunt veritatis argumentum, atque horum miraculo-

rum

rum fides, & auctoritas, longinquitate temporis minime tollitur, quod enim verum est, semper verum est.

Quæres 6. Utrum vaticinia sint certissimum veritatis atque Divinitatis criterium?

Resp: Vaticinia in confirmationem Divinæ missionis, veritatis, ac Divinitatis Religionis edita, certissimum sunt veritatis ac Divinitatis criterium. Enimvero quoniam futurorum contingentium, quæ nullo indicio sese produnt, maxime si sint res, quæ vires & captum hominis transcendunt, certa notitia, sive scientia soli Deo competit, quemadmodum omnium Sapientum, etiam Gentilium Philosophorum consensus probat, inde manifestum efficitur, quod solus Deus sit author vaticiniorum. Quod si Vaticinia sint solius Dei opera qui nec falli nec fallere potest, & in nullo casu falsum testari, confirmari possit; consequens est Vaticinia edita ad confirmandam missionem Divinam eorum qui se Dei legatos esse dicunt, atque simul edita ad confirmandam veritatem ac Divinitatem Religionis, argumentum faciunt indubitatum Divinæ missionis, ac veræ Divinæque Religionis.

Ut autem vaticinia argumentum præbeant invictum, sequentibus prædita esse debent characteribus.

Primo. Vaticiniis talia prædici debent, quæ vel à libera hominum pendent voluntate, vel mere sunt contingentia, & quorum ratio non è longo usu comprobatis naturæ legibus cognoscitur.

Secundo. Prædictio fieri debet ante eventum, & eventus accurate eidem respondere. Debet fieri cum perfecta certitudine ita, ut Propheta non hæsitet, aut fluctuet, & verbis quantum id prophetiæ natura permittit, claris, nec ob ambiguitatem in omnem sensum detorquendis. Denique scopus Vaticinij debet esse res moraliter bona, ipsumque Vaticinium veritatibus indubitatis contradicere non debet.

Tertio. Generatim eo illustriores sunt Prophetiæ, eoque validius præbent argumentum, quo longiore tempore eventum antecesserunt, quo plures rei circumstantias prænuntiant, quo magis singulares sunt circumstantiæ, quo secundum humanas conjecturas minus verosimiles, & quo magis res futuræ ab hominum arbitrio pendent.

Objicies 1. Vaticinia pro argumento Divinæ Religionis assumi nequeunt, eo quod etiam Gentiles futura prædixerunt, quemadmodum mulieres Appolinis, Virgines Sybilinnæ, atque nota sunt omnibus oracula Gentilium in pluribus locis olim conspicua. 2. Tria concurrere debent, ut

ut ex Prophetiis certum eliciatur argumentum; nimirum nos ipsi testes eſse debemus, Prophetia quando profertur, & testes eſse debemus eventus, quando Prophetia impletur, præterea certo nobis constare debet eventum non potuiſse fortuito casu cum prophetia conjungi. Hæc autem cum simul conjungi nequeant, ex prophetiis nihil inferri potest. 3. Quod nondum est, nihil est, sed nihil nec prævideri, nec prædici potest, nulla ergo sunt futurorum vaticinia.

Resp: ad 1mum. Prædictiones & oracula Gentilium, non erant vera vaticinia, plerumque obscuræ & æquivocæ fuerunt, multæque fraudes intervenerunt, ita ut ipsimet sapientiores gentiles oracula deriserint. Denique oracula Sybillina multi supposititia eſse affirmant.

Ad 2dum: Hæc tria aliquando concurrere poſſunt veluti cum Apostoli à Christo sibi prædici ipsius resurrectionem audierunt, eamque postea impletam oculis propriis viderunt, & certe non casu aliquo fortuito, aut naturali virtute, sed Divina potentia, ut res per se loquitur. Deinde neceſse non est, ut qui Prophetias adimpletas vident, eas etiam propriis auribus audiverint, sed sufficit si de illarum existentia certi sint, quemadmodum nos certi sumus de existentia prophetiarum, quæ in Libris Sacræ Scripturæ tam Veteris quam novi Testamenti reperiuntur, & ita quidem certi de his sumus, ut qui id in dubium revocare velit, totam historiæ veritatem evertere debeat.

Resp: ad 3tium: Hoc sophismate evinci, etiam præterita non poſſe cognosci; quia non amplius sunt. Deinde quæ prædicuntur, futura sunt etiam suo modo, scilicet in suis causis, potiſsimum vero in Divinæ voluntatis decretis.



CAPUT TERTIUM

De veteri Judæorum, & nova Christianorum Religione

Quæres. Quid intelligi debeat per veterem Judæorum & novam Christianorum Religionem?

Resp: Certum est hominem primo fuiſse à Deo creatum

atum, ratione ac libertate prædîtum, ex quo sequitur hominem statim obligatum extitiſse ad Deum, Auctorem suum, externo non minùs quam interno cultu adorandum, & glorificandum, unde sponte suâ fluit, hunc primum hominem fuiſse illico edoctum de omnibus officiis, quæ & Deo & sibi, & aliis propter ipsum Deum debet. Hæc prima revelatio facta, & Religio Adamo tradita, à Patribus in filios orali Traditione derivata fuit, verùm hominum vitio, ac Dæmonis artibus sensim, ac sensim pluribus erroribus contaminata fuit, et ita quidem ut Deus misericordiarum dignatus tandem fuerit, eam post bis mille annos renovare, & puram ab omni nævo in tabulis lapideis scriptam Moysi tradere, donec in plenitudine temporis mitteret Filium suum Unigenitum, qui Religionem antiquis Patribus jam revelatam atque traditam, novô institutô fædere multò clariûs, copiosiùs atque apertius manifestaret. Hæc igitur est & vetus Judæorum, & nova Christianorum Religio.

ARTICULUS Imus.

De Veteri Judæorum Religione.

Quæres 1. An re ipsa Moyses extiterit?

Resp: Eousque imprudens Incredulorum hominum procesſit audacia, ut Moysen inter anniles fabulas annumerant, atque opinionem de ipsius existentia ex fabula Bacchi ortam fuiſse commenti sint. Sed certiſsimum est, atque indubitatum Moysen reipsà extitiſse, atque Deum per ipsum, & legem Judæis tradidiſse, & Religionem instituiſse. Nihil enim unquam apud omnes Judæos, atque Christianos magìs fuit creditum, quam Moysen extitiſse, cujus Parentes & Majores, ac tota vita descripta sunt. Plurima etiam Egyptiorum, Græcorum, aliorumqué veterum de Moyse testimonia nobis exhibet Flavius Josephus in duobus Libris contra Apionem. Clemens Alexandrinus librô primô Stromatum, & Eusebius Libris de Præp: Evang: Tacitus quoque Histor: Libro 5to. capite 5to. Juvenalis Satyra 14. Sed ut alia omittamus, satis est ea legere, quæ S. Justinus habet in Protreptico Nro 9no ubi ex græcis historiis ostendit omnibus sapientibus Poetis, Historicis, Philosophis & legislatoribus multò antiquiorem fuiſse Moysen, qua in re testimonia affert Polemonis, Apionis,

Puſsi-

Pussidonij, Ptolomæi, Mendosij qui res Egyptias scripsit, Hellunici & Philochori, qui Atheniensium gesta memoriæ mandavit. Castoris, Thalli, & Alexandri Polyhistoris, ac demum Diodori, qui Bibliothecas in compendium redegit, & in primo lib: Moysen appellat, *animi magnitudine*, & *utilitatibus vitæ hominum allatis celeberrimum*. Quare existentia Moysis, constanti ac perpetua nititur Traditione, ac plane nulla res historica majori Testium numero confirmata invenitur, unde nunquam in dubium revocata fuit.

Objicies 1. Magna est similitudo Moysis & Bacchi, unde quod de Moyse habet Hæbreorum historia, à Bacchi fabula fuit desumptum, quia & Bacchus est Moyse antiquior, & cum Hæbreorum libri non fuerint Gentibus noti, antequam eos Ptolomæus in Græcam lingvam verti curâsset, fabula Bacchi à Moysis historia prodire non poterat. 2. Moysis ætas incerta est, nomen Pharaonis, coràm quo Moyses Miracula patrâsse dicitur, antiquis ignotum, & multò magis ignota ipsa Miracula, quorum nulla apud AEgyptios, vel Græcos mentio. Et quod plus est, nec mentio ulla occurrit ejus regionis, quam Moyses cum populo peragrâsse dicitur. Demum quis sibi persvadeat Moysen terdeciès centenis hominum millibus potuisse in deserto quadragintà annorum spatiô omnia ad vivendum necessaria suppeditâre.

Resp: ad 1mum. Planè certùm esse videtur Moysen fuisse longè Baccho antiquiorem, quod Clemens Alexandrinus lib: 1mo. Stromatum ostendit, neque omnino liquet undenam hæc Bacchi fabula desumpta sit, cùm nullum vestigium illius appareat nequè apud Diodorum Siculum, nequè apud Plutarchum, nequè apud alios veteres, qui res ad Bacchum pertinentes accuratiùs descripserunt. Sed nihil obstat eam ex historia Moysis potuisse fingi, ut enim historia Moysis Gentilibus innotesceret, non erat necessaria illa librorum versio, quæ sub Ptolomeo facta est, ex solo enim commercio cum Hæbreis potuerant Gentiles multa de eorum legibus, atque historiis audire, ac scire, unde re ipsâ de rebus Hæbreorum non pauca inveniuntur apud Manethonem, Hecalcum, Abderitam, aliosqué qui ante Ptolomeum floruerunt.

Resp: ad 2dum. Si Hæbreorum libros consulamus Moysis ætatem minimè ignorabimus, mirùm autem non est, si nihil certi de ea definire possimus, ipsis tantummodò profanis attentis monumentis, eruditos namque non latet, quanta sit apud civiles authores in rebus historicis, & præcipuè in Chronologia antè bellum Trojanum obscuritas, &

con-

confusio. Flavius Josephus lib: 1mo. contra Apionem ab initio mundi usque ad mortem Moysis tria fere annorum millia numerat, & Petavius de doctrina temporum, Moysis nativitatem alligat anno mundi 2,373. ante Christum 1,611. Verùm parùm interest hanc Epocham aut aliam nativitatis Mosaicæ determinare, nequè enim si incertum est, quô tempore vixit Moyses, etiam incertum erit, illum extitiſse.

Neque etiam Pharaonis nomen fuit omnino profanis Scriptoribus ignotum, cum illum expreſse memoret Alexander Polyhistor. Artopanus autem cum aliqua levi variatione illum appellat Pharatonem. Sed ulteriùs minimè latet, Pharaonis nomen commune fuiſse pluribus AEgyptiorum Regibus, quemadmodùm post Ptolomeum Lagum multi eorundem AEgyptiorum Reges dicti sunt Ptolomei, quemadmodum Imperatores Romani post Julium Cæsarem, & Augustum communiter vocabantur Cæsares & Augusti. Fieri itaque potest ùt qui Pharao â Moyse nominatur, â Scriptoribus profanis aliô nomine designatus sít.

Mirum porrò videri non debet, si apud Gentiles Historicos prodigiorum Moysis nulla inveniatur mentio, cum enim illi Religionem Moysaicam aversarentur, Miracula quoque in ejus confirmationem patrata aversabantur. Non tamen omnes, nec omnino de iis siluerunt, ut colligitur tum ex Clemente Alexandrino lib: 1mo Stromatum, tum ex Eusebio lib: 9no Præparat: Evang. cap: 27. Magorum certè, Joannis & Mambris, quos Moyses in signis & prodigiis superavit meminit Numenius Philosophus Pythagoræus. Plinius lib. 30. Histor: nat: cap: 1mo & Apulejus Apolog. 2da. Tandem virtutem Moysis thaumaturgam notam fuiſse Gentibus, inde constat, quod apud illos pro insigni Mago semper habitus fuerit.

Quod verò additur nullum eſse apud veteres vestigium illius Regionis, quam Moyses cum populo peragravit, ineptiſsimum est, cum antiquiſsimos habeamus testes, Manethonem, Lysimachum, Chæremonem, aliosquè qui apud Josephum in lib: 1mo. contra Apionem, Hæbreos AEgypto relicta in desertum duce Moyse abiiſse memorant. Imò adhuc monumenta quædam atque antiquam hujus mirabilis itineris traditionem in iis Regionibus supereſse itineratores testati sunt. Sed & Artopanus antiquiſsimus Scriptor apud Eusebium Lib: 9no. Præparat: Evang: cap: 27. vulgatum fuiſse apud Heliopolitanos tradit. *Moysen ut mare virga percuteret, Divinitus admonitum aquam virga tetigiſse, ac*

difi-

deficientibus illico fluctibus, copias sicco tramite deduxiſse. Ex quo solo si cætera deeſsent, patet mentiri eos, qui aſserunt itineris per desertum ac prodigiorum Moysis, altum apud veteres eſse silentium.

Postrema quoquè difficultas non majoris est ponderis. Namque etiamsi Moyses non potuiſset naturalibus mediis tantæ multitudini providere, an non certus erat, Deum secum futurum in deserto, quemadmodum ejus omnipotentiſsimam manum senserat in AEgypto: An non re ipsa Divinæ promiſsionis veritatem sæpius expertus fuit, in divisione maris, in prodigiosa aquæ ex silicæ eruptione, in pluvia coturnicum, & mannæ. Sed etsi mediis tantummodo humanis res gerenda fuiſset, Moyses, cui summa politicæ, & imperatoriæ artis laus denegari non potest, tantæ multitudini regendæ, aptiſsimus erat.

Quæres 2. Utrum Moyses reverâ Pentateuchum scripserit?

Resp: Moyses re ipsâ Pentateuchum scripsit, estquè verus illius author. Certè nullô efficaciori argumentô evincitur aliquem librum eſse genuinum illius auctoris opus cujus nomine insignitur, quam perpetuâ atque constanti Traditione, nequè enim alia de causa omnibus persvasum est AEneidem eſse opus Virgilij, aut Jlliadem Homeri, nisi quia id perpetuâ, atque constanti Traditione usque ad nos derivatum est, cui si aliquis refragari velit, jam de nullo antiquo opere certi erimus. Porrò Pentateuchum eſse genuinum Moysis opus perpetua & constans est Traditio, à primis Hæbreorum temporibus ad nos usque propagata, quæ eò pluris facienda est, quod hic agitur, de libris, quibus non tantum tota Judæorum Religio, sed & antiquitates, leges, familiarum succeſsiones continebantur, quorum proinde originem, & Auctorem certò noscere maximè intererat omnibus. Et verò adversùs constantem omnium hominum, omnium sæculorum vocem, quâ semper creditum est, Moysen eſse Pentateuchi Auctorem, contra Apionis, Celsi, Porphyrij, Juliani Apostatæ & cæterorum, Judaicæ & Christianæ Religionis infensiſsimorum hostium, claras & apertas confeſsiones, quibus Pentateuchum â Moyse scriptum fuiſse ultrò agnoverunt, contrâ omnium Judaicorum Scriptorum testimonia, contrâ publica illius Gentis monumenta, quid poſsunt facere, aut evincere valent, post quadrigenta fermè sæcula cavillationes & inaniſsimæ incredulorum conjecturæ, suæ itaque impietatis, & deceptuosæ falsitatis oblitus Spinosa in Tract: Theolog: polit: cap: 7.

re

rei evidentia compulsus scripsit. *Ferè omnes crediderant Moysen esse Scriptorem Pentateuchi.* Præterea quæcunque Moysis existentiam probant, hæc eundem sivè apud Hæbreos, sivè apud Gentiles, Mahumetanos, Judaicæ legis, atque Religionis quæ tota in Pentateucho continetur, auctorem atque Scriptorem faciunt. Vera itaque sunt omnia quæ in Pentateucho continentur, atque summam merentur fidem; Horum siquidem omnium Scriptor, verusqué est auctor Moyses, atquè in iis etiamsi voluisset falsa scribere, & decipere, spectatis circumstantiis, id præstare non potuisset. Sed & veracitatis, probitatis, atque sinceritatis, indubios Moyses præsefert characteres, ita ut testis eorum, quæ refert omnino sincerus, & verax dici debeat, & cui requisita etiam scientia minimè defuit, cum illa quæ in Pentateucho narrat, plurima illius ætate contigerunt, ac proinde testis illorum occulatus fuit, quæ verò antè illius ætatem evenerunt, illa accepit ex Traditione, tum etiam ex variis monumentis, altaribus, sepulchris, hinc inde creatis. Summam ergo merentur fidem illa omnia quæ in Pentateucho Moyses conscripsit.

Objicies 1. Incredibile est, Moysi præsto fuisse in deserto, quæ ad scribendum tot volumina necessaria erant. Deinde cum Deuteronomium, Josue cap 8. scriptum fuisse dicatur in duodecim lapidibus, quibus constabat altare, inde sequitur illud multò breviùs fuisse eo, quod nunc exstat. *2do.* Elogia, quæ Moysi tribuuntur, ut cum Deuter: cap: ult: scribitur. *Non surrexit ultra Propheta in Jsräel sicut Moyses.* Innuunt Moysen Pentateuchum non scripsisse. Vir enim modestus, qualis fuit Moyses, hæc sibimetipsi tribuere non poterat. Præterea in Pentateucho occurrunt nomina locorum, & civitatum ætate Moysis adhuc incognita *exg:* nomina Phison, Hevilath, Babel, Hebron, Dan & alia. Ergo Pentateuchus non est genuinum opus Moysis.

Resp: ad 1mum. Quemadmodûm necessaria vitæ in deserto non defuerunt Isräëlitis, ita etiam præsto erant Moysi quæ ad scribendum requiruntur, artemqué scribendi fuisse antiquissimam, erudite à pluribus jam ostensum est. Quod verò de duodecim lapidibus additum est, in quibus Deuteronomium Moysis scriptum esse dicitur, non unô modo solvitur: alii nonnisi Decalogi præcepta in illis scripta esse opinantur, alij benedictiones solas, & maledictiones, quæ fuerunt in montibus Hebal & Garizim pronuntiatæ exaratas fuisse censent, alii demum observant ex cap:

2do

2do Deuteronomij eos lapides ingentis magnitudinis eſse debuiſse, & calce levigatos, ut proinde etiam integrum Deuteronomium caperent.

Ad 2dum. Caput ultimum Deuteronomij in quo tam mors, quam elogium Moysis descriptum est, post ipsius deceſsum è vita à quodam Historiographo Judæorum additum est, atquæ hinc modestiæ viri piiſsimi Moysis, qui elogium hoc verè promeritus est, nihil obest. Nihil etiam impedit, quominus dicamus hæc nomina, locorum, civitatum, & alia minoris momenti, à Scriptore aliquo post mortem Moysis explicationis gratiâ addita, & certè in margine primum notata, posteâ in textum fuiſse illata.

Quæres 3tio. Utrum scripta Moysis ad nos integra, & incorrupta pervenerint?

Resp: Scripta Moysis integra, & incorrupta ad nos pervenerunt. Scripta namque Moysis maxima sollicitudine à Judeis conservata sunt, continuò & publicè in usu fuerunt. Deperdi igitur & corrumpi nullatenus poterant. Certè textus authographus Deuteronomij in arca conservabatur, & exemplar ex illo desumptum Sacerdotes Regibus offerebant, continuò legendum. Septimô quôvis annô coràm omni populo publice legebatur, & de novo lex promulgabatur. Judæis severè fuit prohibitum ad legem quidquam addere, aut ab illa demere, unde semper illi volumen legis, tanquam librum Divinum, & speciale Divinæ erga se benevolentiæ pignus venerati sunt. Prætereâ libros Moysis serie non interrupta Prophetæ laudârunt, multa ex illis exscripserunt. Die, noctùqué ipsos Judæi lectitarunt, Judices ex illis causas decidere, Sacerdotes Religionem docere tenebantur. Quomodo itaque deperdi, aut corrumpi potuerunt. Præterea scripta Moysis manifestos antiquitatis & sinceritatis præseferunt characteres, nihil enim in illis occurrit, quod recentiorem sapiat ætatem, stilus ipse innuit antiquitatis simplicitatem, & quæ dicuntur de vetustiſsimorum hominum vitæ ratione, hospitalitate, conviviis, & dapibus, domesticis officiis, Sacrificiis, AEgyptiorum rebus; ea vetustiſsimi Profani Scriptores Homerus, Hesiodus, Herodotus confirmant. Sed & veracitatem, atque integritatem Pentateuchi comprobant monumenta Judæorum publica, quæ historiam Mosaicam tanquam in imagine exhibent, ùti etiam facta quædam singularia & beneficia exhibita, quæ Moyses refert, illorum festa repræsentant. Consvetudines deniquè omnes, & leges variæ, quæ in Pentateucho occurrunt, ab ætate Moysis, ad ultima ipsorum

Rei-

Reipublicæ tempora à Judæis servabantur ex quo manifestum est, illos ea, quæ in Pentateucho continentur, pro indubitatis veritatibus semper habuisse. Postremo si scripta Moysis deperdita vel vitiata, corruptaqué sunt, quemadmodùm clamitant Increduli, quænam tanti criminis, atque infortunii Epocha? quis nefarii operis auctor? qui adjutores? quomodo omnes undique codices colligi poterant? quà viâ, quâ arte, tanta hominum multitudo codices sibi eripi permisit? quâ ratione deperditis vel vitiatis primitivis Moysis Libris, tota Gens Judaica per tot sæcula sibi in animum inducere potuisset, se legem à Deo datam, ac per Moysen promulgatam in suis libris habere, & integram conservare. Portenta hæc sunt omnibus Miraculis incredibiliora. Scripta itaque Moysis integra sunt, atque incorrupta ad nos pervenerunt.

Objicies 1. Libri Moysis reipsâ deperditi sunt. Etenim libro Legis ab Helcia Pontifice reperto, Rex Josias, proût refertur libr: 2. Regum. cap: 22. scidit vestimenta sua, ad illius lectionem Pontifex, & Principes obstupuerunt, quod illius verba nunquam audierunt, saltem ergo aliquando Pentateuchus deperditus fuit, atque eô tempore corrumpi poterat 2. plurimi in Libris Moysis occurrunt graves errores circà res chronologicas, genealogicas, & geographicas, item plura apertè falsa. Sic legitur in paradiso fuisse fontem, unde quatuor flumina prodibant, Ganges, Nilus, Tygris & Euphrates cum tamen origines istorum fluviorum longe à se distent. Dicitur quoquè mortua esse omnia Ægyptiorum animalia, cum tamen Pharao cum omni æquitatu in mari demersus scribatur. Numerum Jsraelitarum ex Ægypto egressorum scribitur fuisse sexcenta millia peditum præter mulieres, & parvulos, cum tamen cum Jacob nonnisi Septuaginta animæ in illam ingressæ fuerint. Aut ergo Libri Moysis supposititij sunt, aut corrupti & depravati.

Resp: ad 1. Certum & indubitatum est Moysis libros nusquam interiisse. Non enim interierunt ante captivitatem Babylonicam. Nam tempore Moysis custodiebantur in Arca, tempore Josue in manibus Judæorum illos fuisse, docent verba ipsius Josue, qui suos ante mortem exhortabatur cap: 23. *ut custodiant cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysis.* Reliquô tempore usquè ad captivitatem hos libros in Judæorum manibus fuisse, docent Psalmi & Libri Salomonis, ex quibus patet illos à Judæis continuò lectitatos fuisse. Præterea cum Rex Joas consecra-

craretur eidem, 2. Paralip: cap: 33. in manus dederunt Legem Moysis, & tempore Josaphat Sacerdotes & Levitæ, 2. Paralip: cap: 17. *docebant populum in Juda, habentes librum Domini.* Pariter in captivitate Babylonica non interierunt, quod inde patet, quod ad legem Moysis scriptam sæpiùs provocetur Danielis cap: 9no & 13. Barruch cap: 1. & 2. & Esdras ipse libr: 1. cap: 6. testatur, quod antequam reversus fuisset in Jerusalem, ordo Sacerdotum atquè Levitarum constitutus fuerit secundum scriptam legem Moysis. Ergo lex illa ad manus fuit & in captivitate non interiit. Post captivitatem similiter libri Moysis non interierunt. Nam in Libro 2do Esdræ sepiùs fit mentio horum librorum, & cap: 13. dicitur: *Lectum est in volumine Moysis audiente populò.* Propheta Malachias cap: ult: non minus legis Mosaicæ mentionem facit. Author vero Libr: 2. Machab: commemorat quidem Antiochi Epiphanis in Libros Sacros furorem, quod tamen non omnia Exemplaria tunc perierint, indè evincitur, quòd Judas Machabeus servaverit codicem suum, & alios Persecutorum furori erreptos collegerit, ut lib: 1. cap: 3. narratur. Sed & sedata persecutione, Jonathas Summus Sacerdos, quemadmodum eodem libro 1. cap: 12. scriptum est, in Libris Sacris, quos in manibus habebat, lætabatur, & sese inde consolebatur. Ergo neutiquam hi libri perierunt, & quod denique tempore Christi adhùc exstiterunt, & hodiedúm existant, probat illorum continuus usus. Unde Liber ab Helcia inventus, fuit Deuteronomium, atquè Moysis Authographum. Dolor autem Josiæ proveniebat, ex eo, quod quemadmodúm præceptum erat Principibus, nullum legis Exemplar descriptum penès se haberet, tum & magis ex eo, quòd terribiles maledictiones in legis violatores latæ, in maxima Judaicæ Gentis corruptione, quasi obliteratæ fuerint, atque hæc etiam causa fuit stuporis quo Summus Sacerdos, & cæteri abrepti sunt, non autem quod Patres eorum nihil de lege unquam audiverint, aut sciverint, cum hoc ut modò vidimus, nulla ratione affirmari possit.

Ad 2. Viri eruditi difficultates motas circa Geographiam, Chronologiam, & alia omni studiô complanare laborant, quod si non omnia clarè, & ad occulum complanare queant, id oritur ex documentorum defectu. Cum enim agatur de Libris vetustissimis, historiis & moribus, à nobis remotissimis, facilè intelligitur multa nobis deesse subsidia, ad difficultates has tollendas, atque si aliorum veterum

Scrip-

Scriptorum, in quibus multæ occurrant difficultates, multa obscura, multa in speciem pugnantia, auctoritas certis aliunde firmata criteriis non labefactatur, cur idem de Libris Mosaicis dici non posſit. Et certè cum per diluvium maximæ factæ sint terræ mutationes, eadem origo fontium in diverſas abiiſse plagas dici potest. Pestis etiam animalium intelligenda est de animalibus, quæ erant in agris, non verò omnibus omnino, proût innuunt verba Exodi cap: 9. *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos &c.* Quod verò attinet numerum Jsraelitarum, non est statim id pro falso habendum, quod incredibile nobis videtur, neque ex hodierno statu, de antiquorum conditione judicare licet, atque difficultas objecta tollitur, si cogitemus Ægyptum fuiſse terram fertilissimam, peculiaritér quoque à Deo promiſsum fuiſse Abrahæ, quod semen illius supra modum eſset multiplicandum, quod & impletum est.

Quœres 4. Utrum Vaticinia per Moysen edita, ac per ipsum patrata Miracula, sint planè certa ?

Resp: Vaticinia per Moyſen edita ac per ipsum patrata Miracula, quæ in Pentateucho descripta habemus, ſunt planè certa, & nullá ratione in dubium vocari posſunt. Enimverò nulli non cognitum est, Moysen quam plurima edidiſse Vaticinia, atque multa patraſse Miracula. Sic lib: Numer: cap: 14. prædixit Moyses contra se, & Aaronem murmurantibus Jsraelitis, quód nullus eorum, qui viginti annos jàm explevit, terram Chanaan visurus eſset, exceptis Caleb & Josue, quam prædictionem eventus ritè comprobavit, cumqué eventus iste humanâ sagacitate prænosci haud potuerit, non sinè Numine contigit, verumqué est Vaticinium. Sed præcipuâ attentione digna sunt Vaticinia Moysis de futura Judæorum sorte, Prædixit illis omnes Dei benedictiones, & rerum prosperitates, si in mandatis Domini permanſerint, contrà verò omnis generis calamitates, si ea violaverint, proût legere est in Lib: Deuter: cap: 28. & 29. & subsequentibus. Porrò prædictiones istæ omnino fuerant impletæ, & Judæi proût erant Deo fideles, aut infideles, prospera, aut adversa experti sunt. Sed inter cæteras terribilis est sequens de Judæorum calamitate, atque omnimoda oppressione Prophetia. Deuter: cap: 28 *Adducet Dominus ſuper te de longinquo Gentem, & de extremis terrœ finibus, in similitudinem aquilœ volantis cum impetu, quœ non deferat ſeni, nec misereatur parvuli, donec te disperdat, & conterat*

rat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi, atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terrâ tua, & comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, in angustia & vastitate, quâ opprimet te hostis tuus. Hæc autem insignis Prophetia non semel literalitèr impleta fuit; & quidem 1. regnante Achab in obsidione Samariæ facta à Benadad Rege Syriæ, 2. oppugnante urbem Jerusalem Nabuchodonosore Rege Babylonis, 3. in excidio ejusdem urbis sub Tito. Ex quibus patet quod Moyses reâpse fuerit Propheta, sed & fuit vir Thaumaturgus, multa siquidem & insignia patravit Miracula, qualia sunt plagæ Ægyptiacæ immissæ ad frangendam Pharaonis pertinaciam. Filiorum Jsrael ex Ægypto egressus, eorumqué siccis pedibus per mare rubrum transitus, hinc indè maris fluctibus suspensis, & toto inimicorum exercitu, ab iisdem undis refluentibus oppresso & deleto. Columna ignis noctu & die expensa per nubes iter monstrans. Manna de cælo quadraginta annis depluens, ex qua sapidissimum maxima hominum multitudo accepit cibum; terribilis Core, Dathan & Abiron ultio. Aqua per baculum Moysis percussa petra, vi magnâ erumpens. Ex his modò relatis, & aliis benè multis indubiè constat Moysen multa vera patrâsse Miracula. Jam vero & Vaticinia à Moyse, & patrata ab ipso Miracula planè certa sunt, & nullâ ratione in dubium vocari possunt. Namque Vaticinia & Miracula ista narrantur à Moyse qui eorum testis est omnino sincerus, verax ac fide dignissimus, libri quoque in quibus hæc descripta sunt Vaticinia, atquè Miracula, integra, ac incorrupta ad nos pervenerunt, ità ut summam mereantur fidem. Prætereâ hæc Vaticinia, ac Miracula Judæi nunquam in dubium vocaverunt, atque iis publicè patratis fraus, & mendacium intervenire non potuit. Tandem omnes quicunque exstiterunt post Moysen Gentis Judæorum Scriptores, horum Miraculorum, Vaticiniorum, atquè librorum à Moyse conscriptorum mentionem faciunt, illisqué testimonium reddunt; sed & profani Gentilium Auctores ipsis suffragantur. Ergo, Vaticinia ac Miracula Moysis in Pentateucho descripta planè certa sunt, & nullâ ratione in dubium vocari possunt.

Objicies 1. Moysis Miracula non fuisse vera Miracula facilè colligere licet tum ex Ægyptiorum infidelitate, ex Pharaonis pertinacia, tum etiam ex Hebræorum inconstantia, qui sæpe veri Dei cultum deserebant, & contrà Moysen murmura & seditiones excitabant. 2. Moysen logô tem-

pore

pore ad littus moratum accuratè scivisse tempus ascensus & descensus aquarum, quâ notitiâ feliciter usus tempore recessus aquarum, populum traduxit. Ægyptij verò cæcô impetu in hostem ruentes, aquis refluentibus suffocati sunt. Unde etiam Josephus Lib: 2. Antiquit: cap: 16. transitum maris rubri comparat cum transitu maris Pamphiliæ facto ab exercitu Alexandri atque hôc modô etiam Hæbræos mare rubrum transiisse, jam longè ante Ægyptij affirmârunt, quemadmodùm apud Eusebium Libro 9. Præpar: Evang: legimus.

Resp: ad 1. Obstinatæ Ægyptiorum ac Pharaonis infidelitatis, atque pertinaciæ, populi quoque Jsraelitici inconstantiæ, nulla alia afferri potest ratio, quam pravitas cordis humani, ad quam tollendam externa Miracula minimè sufficiunt, nisi Deus potentissimâ & efficaci internâ motione corda emolliat, hanc verò gratiam quibus vult misericorditèr largitur, & pro suâ justitia quibus vult denegat. Hæc quidem Mysteria Jncredulis sunt impervia, iis tamen reponere satis est, illos contra sanioris critices regulas graviter peccare, quando aliquid certissimis momentis probatum, ex eô solùm negant, quia ejus rationem claram, & apertam afferre in promptu non est. Certe Miracula Moysis non in angulo, non coràm paucis, sed palam, totâ inspectante Ægypto, ita facta sunt, ut nulla possit esse fraudis suspicio. Quare autem Pharao aut Ægyptij iis credere noluerunt, obscurum est, ac incertum. Ubique Hebræos Miraculis Moysis credidisse indubitatum est, attamen nativâ suâ inconstantiâ, & contra ipsum, & contra Deum sæpius rebellârunt.

Ad 2. Quod de fluxu & refluxu maris dicitur, prorsus inane est. Nôrunt enim omnes mare in suo fluxu successive accrescere, & ad littora moveri per sex horas, atque post quadrantem quietis, cursum mutare per sex alias horas aquis à littore per refluxum recedentibus, unde fluxus ac refluxus maris duodecim horarum spatio perficitur, atque sensim à littore recedentibus undis, nonnisi exiguo temporis intervallo terra sicca appareat. Quis autem cogitare potest tam breve temporis spatium suffecisse ad tantam Hæbræorum, Jumentorum, apparatuum multitudinem transvehendam, cum in refluxu maris à littore aquis recedentibus in arena lutosa ne quidem ambulari possit. Præterêa in fluxu ac refluxu maris, aquæ ipsius in sinu semper remanent; jam verò in transitu Hæbræorum per mare rubrum, quemadmodum in Lib: Exodi cap: 14.

14. legimus *divisa est aqua, & ingressi sunt Filij Israël per medium sicci maris, erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & læva*, quid hic similitudinis cum fluxu ac refluxu maris? Sed neque cum transitu Hebræorum per mare rubrum ullô modô comparari potest transitus Macedonum per mare Pamphiliæ, Alexander siquidem referente Ariano Lib: 1. de Expeditione Alexandri, cum esset Phasellis, & Pergen cogitaret, mare tantisper flantibus aquilonibus recessisse videns, occasione hàc celeritèr arrepta littus legens cum expeditis copiis pertransivit, sed & tunc, ut scribit Strabo lib: 14. Geographiæ, milites umbilico tenùs aquis erant immersi, de Hebræis autem dicitur *perrexerunt per medium sicci maris*. Auctoritatem verò Josephi hac in re minimè attendimus, quia in gratiam Gentilium, hæc scripsit, voluitqué ut ipsis ejus probaretur historia quare in multis etiam aliis, à Moysis narratione recessit. Verùm & ipse in transitu Hebræorum Divinam virtutem agnoscit. Ægyptiorum quoque opinio nihili facienda est, qui jurati erant Hebræorum hostes, sed & Sacerdotes Heliopolitani, apud eundem Eusebium, transitum maris rubri eôdem modô referunt, quô Moyses descripsit. Porrò transitum hunc per mare rubrum Judæi constantèr ac perpetuò pro Miraculo habuerunt, unde Exodi cap: 14. dicitur *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contrà eos, timuitqué populus Dominum & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus:* quare in memoriam hujus prodigiosi beneficii solemnitates annuas instituerunt.

Quæres 4. Utrum Moyses verè à Deo missus fuerat. Religionemqué Judæis tradendam ab Eo accepit?

Resp: Moyses verè à Deo missus fuit, Religionemqué quam Judæis tradidit ex Jpsius revelatione accepit. Ac 1. quidem Moysen à Deo missum fuisse indubitatum est. Jd luculentissimè apparet, ex tota historia, rebusqué gestis quæ in libro Exodi descriptæ sunt. Jbi siquidem narratur quomodò Deus in Rubo ardenti Moysi apparuerit, eumque in Ducem populi Jsraelitici constituerit, atquè ipsum miserit non solùm ad Pharaonem, ut filios Jsrael è captivitate Ægyptiaca liberaret, sed & ad universum populum Hebræorum, ut Sanctam puramqué Religionem ipsis traderet, ac constitueret, quare dixit illi Deus cap: 3. *Veni & mittam te*: nequè tamen Moyses priùs credidit Dominum sibi loqui, quam Deus duplici Miraculo, scilicet virgæ in serpentem conversæ, & manus leprosæ, id

confirmavit, atque ſe cum illo fore appromiſerit. *Perge* inquit Deus ad Moysen: *& ego ero in ore tuo doceboque te quid loquaris:* cap: 4. Nec rurſus Moyſes demandatam ſibi provinciam loquendi populo Jsrael nomine Dei in ſe aſsumpsit, quam ſibi eſse à Deo ipſo promiſsam, eandem multis magnisqué prodigiis fore corroborandam. Hanc autem Divinam promiſsionem fuiſse effectu completam; liquet ex notiſsimis illis Miraculis quibus Deus tam in Ægypto, quam in deserto Moysis miſsionem corroborare dignatus est, atque ipse etiam Moyses prodigioſa illa punitione Core, Datan, & Abiron, quos terra vivos absorbsit, illam manifestiſsimam fecit Numer: cap: 16. de quâ sic populum allocutus est: *Jn hoc scietis quod Dominus miserit me, ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio corde ea protulerim. Si consvetâ hominum morte interierint, non misit me Dominus, sin autem novam rem fecerit Dominus & aperiens terra os ſuum deglutiat eos, scietis quod blasphemaverint Dominum.*

2*do*. Certum pariter est Moysen Religionem, quam Judæis tradidit, à Deo accepiſse. Et id etiam Moyses apertiſsimis verbis testatus est, lib: Deuter: cap: 5. sic alloquens populum. *Ego ſequester, & medius fui inter Dominum & vos, ut annuntiarem vobis verba Ejus:* & iterum cap: 6to ejusdem Libri. *Hæc sunt præcepta & cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos.* Quare in posterioribus quatuor Pentateuchi Libris ubique scriptum invenimus: Deum locutum eſse Moysi, Præcepta ſua illi tradidiſse: & Deuter: cap: 5. ipse Deus sic alloquitur Moyſen. *Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias atque judicia, quæ docebis eos ut faciant ea.* Moyses verò nonninisi ex mandato Domini ubique ad populum loquitur, atque ipsius præcepta illis annuntiat, tandem jubente Domino universos ſermones illius descripsit, quemadmodum Exodi cap: 4. scriptum legimus. Quare ſemper tota Gens Judæorum legem Moysis tanquam à Deo datam, atque Divinam venerata est.

Et certè Religionem quam Moyses Judæis tradidit, nonnisi ex Divina revelatione accipere potuit. Siquidem illa continet doctrinam, de Deo, & cultu ipsi debito præstantiſsimam; Deoqué planè dignam: moralem quoqué excellentiſsimam, hominiqué ſaluberrimam, dogmata quæ ſalutem ipsius concernunt exhibet abundantiſsimè, leges tandem civiles ac ceremoniales, ad pietatem promoven-

dam tradit aptiſsimas. Enimverò contrà Jdololatras non in uno loco docet unum eſse Deum, Factorem cæli & terræ. Eſsentiam Dei conceptu ſublimiſsimo, ſed paucisſimis explicat verbis. *Ego sum qui sum:* atque eôdem modô describit Dei omnipotentiam Genesis cap: 1. Maiestatem Exodi cap: 15. Providentiam ac bonitatem Deuter: cap: 8. ac postquam rectas de Deo ſuggeſsit opiniones, atquè pios in Eum inspiravit affectus, ad cultum Deo debitum exhibendum adhortatur, illiusqué fundamentum ponit sincerum ipsius amorem, ac tota lex Moſaica aliud nihil est, quàm perpetua exhortatio ad amorem, timorem, atque fiduciam, in Deo reponendam. Sed & cultum Dei extrinſecùm uni, & soli exhibendum honorificentiſsimum præscribit. Et quoniam moralibus duabus præcipue innititur virtutibus, justitiæ nempe, quæ alieni juris violationem vetat, & charitatis, quæ ut aliis prodeſse nitamur, exigit. Mosaica autem lex charitatis atque justitiæ cæterasqué eximias complectitur virtutes, omnia ac singula earum officia copiosè præscribit, & exactiſsimè determinat. Tandem mali, atque connatæ nobis pravitatis originem, cauſamqué ostendit, remedia ſuppeditat, quibus peſsimis corruptionis effectibus obviare poſsimus, ac præter principale de futuro Redemptore dogma, graviſsimùm quoqué de animæ immortalitate, vitaque futura articulum complectitur. Ac præterea leges ipſæ civiles, & cæremoniales, insignia populo à Deo præstita beneficia in memoriam revocabant, tanquam figuræ futurum Meſsiam adumbrabant atque à ſuperstitioſo falſorum Deorum cultu revocabant. Hæc porrò omnia homo sibi relictus, ſolâ ratione naturali fretus sinè Divini luminis adjutorio nèc invenire, nequè recte ordinare ullatenùs poterat. Ac proinde hæc omnia Moyses ex Divina revelatione accepit.

Obijcies 1. Moyſes fraudibus & cædibus Hebræos ſuæ ambitioni ſubjecit, ac proinde non à Deo miſsus, ſed impostorem ipſum fuiſse, probabiliſsimum est, 2. in tota Mosaica lege nulla de animæ immortalitate, alteraqué vita mentio fit, non ergo à Deo Moysi ſubministrata fuit.

Resp: ad 1mum. Moyſen non fuiſse impostorem, vel ex iis laudibus constat, quibus non solùm inter ſuos, ſed etiam apùd exteros maximè celebratus fuit. Josephus Lib: 1. adversûs Apionem testatur Moysen ab Ægyptiis fuiſse mirandum ac Divinum existimatum, & multò plura addit Euſebius in Lib: 9no Præpar: Evang: Verùm ut quod testi-

stimonia hominum hac in re requirimus, cum Deus ipse Moysis virtutem, ac Divinam misſionem, variis ac stupendis prodigiis confirmaverit. Sed ut luculentèr appareat Moyſen non humanis artibus, aut mediis ſed virtute prorſùs Divina populum Jsraeliticum è ſervitute Ægyptiaca liberâſse ſufficit circumstantias tanti operis vel levitèr considerare. Agebatur enim de hominum immenſa penè multitudine, quos ad terdeciès centena millia numerant, ê ditionibus Regis Pharaonis educenda. Porrò æque difficilè videbatur, vel Regem ad conſentiendum inflectere, vel ipſô invitô populum egredi. Quomodo enim Rex facilè eos dimitteret, quorum operam tam utilem experiebatur, & quomodò ipsô invitô, hæc multitudo inermis discedere potuit. Nonnisi itaque iis magnis prodigiis, quæ in Lib: Exodi narrantur potuit Moyses Regem adigere, ut populum Jsraeliticum dimitteret, ac jam dimisſum à persecutione ipsius liberare. Præterea quomodò populus Hebræorum inconstans ac seditioſùs, duræqué cervicis gravisſimis illis legibus collum ſubdidisſet, quas Moyſes nomine Dei illi impoſuit, & quarum obſervantiam strictò rigore exegit. Jd planè ostendit, toti illi Genti perſvaſum ſemper fuiſse, Moysen à Deo misſum fuiſse, Divinæ voluntatis interpretem atque ministrum eſse. Hoc autem ſolis verbis, aut artibus quibuscunque, & multò minus mendaciis, ac dolis efficere nunquam potuiſset Moyſes.

Ad 2dum. Dogma de immortalitate animæ, vitaqué futura, apud omne Judæorum vulgus ſemper commune fuit. Evincunt id Patriarchæ, qui ut scribit Paulus in Epist: ad Hebræos cap: 11. confitentes ſe eſse hospites, ac peregrinos ſuper terram, meliorem, id est cælestem appetebant patriam. Unde ſecundùm eundem Apostolum, Abraham expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor est Deus, Moyses majores divitias æstimavit Theſauro Ægyptiorum, improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem. Sed & Angelorum frequens apparitio, Henoch translatio, Æliæ raptus, Core, Dathan & Abiron in infernum descensus, ostendunt animæ immortalitatem futuramqué vitam Judæis non fuisſe incognitam, quam etiam clariſsimis verbis Sanctiſsimus vir Job confesſus est. Certè si immortalitas animæ, atque futura vita, etiam apud plerasqué Gentilium nationes traditione propagata fuit, multò magis Hebræis per-

spec-

specta erat, unde de hís in Sacris Judæorum Libris frequentissimè occurrit sermo.

Dices. Cur ergo lex Mosaica nonnisi temporalia promittit præmia, terrenas tantum pollicetur retributiones.

Resp: Divinæ sapientiæ maximè conveniebat, populum Jsraeliticum carnalem ac rudem in principio, antequam plenius illustraretur, perpolliretur, atque à sordibus Ægyptiacæ idololatriæ expurgaretur, nonnisi motivis temporalibus commovere, terrena præmia aut pænas proponendo. Sed & temporalia præmia, ac pænæ istæ, æternas in futura vita retributiones, aut afflictiones præfigurabant, & dum lex Mosaica temporalia tantummodo præmia proponere, aut temporales pænas minari videtur, æternas certè Moyses non tacuit, unde ex omnibus Judæorum scriptis luculentissimè apparet, traditione perpetua semper apud Judæos viguisse doctrinam de futura vita, dequé pænis ac præmiis in æternum duraturis, quam traditionem ab ipso Moyse cæpisse necesse est.

Quæres 5. Vetus Judæorum Religio estne reipsa Divina, ac supernaturalis?

Resp: Vetus Judæorum Religio à Moyse promulgata reipsa Divina est, ac supernaturalis, siquidem veris & indubiis Divinæ revelationis prædita est characteribus. Namque continet doctrinam præstantissimam, Deoqué plane dignam, doctrinam veris Miraculis, ac Vaticiniis confirmatam, quæ sunt veritatis ac Divinitatis certissimum criterium, doctrinam quam à Deo acceptam, ab ipso missus Judæis annuntiavit Moyses. Adsunt itaque omnia Divinitus revelatæ Religionis criteria. Ergo vetus Judæorum Religio est reipsa Divina, ac supernaturalis. Jam verò legem Judaicæ Religionis tam puram ac Sanctam nonnisi Deo revelante, ac inspirante à Moyse tradi potuisse, eo luculentius apparebit, quo, si brevitèr leges alias ab hominibus latas percurramus, clariús eas gravissimis absurdissimisqué erroribus scatere videamus. Nam præter Polytheismum & superstitionem, quæ ubique regnabat, præter nefanda Sacrificia etiam humana, quæ à cultioribus quoque Gentibus Demonibus immolabantur, notum est crudelissimam liberorum expositionem à Platone, Aristotele, aliisqué probatam fuisse, furtum, mendacium, perjurium, suicidium, vindictam, fornicationem fuisse ab omnibus ferè Legislatoribus permissa, atque meritò de Græcis Philosophis pronuntiavit Hugo Grotius ab ipsis in id laboratum fuisse, ut rei turpi honestum nomen imponerent

rent. Plato uxorum communitatem permittens, mundum Lupanar fecit, Leges Lycurgi castitatem prorsùs sustulerunt. Persarum, Ægyptiorum, Atheniensium leges incestuosas nuptias, aliasqué impietates approbârunt. Miracula autem à Moyse patrata, non tantum pro scopo habuerunt populi Jsraelitici ab iniqua Ægypti servitute liberationem, verùm etiam ac principalitèr, ut Gens Judaica ab Jdololatria avocata uni, & soli Deo Jsrael secundum præscriptum legis Moysis serviret; tanta igitur sunt ad confirmandam veritatem Religionis à Deo constitutæ, ac per Moysen promulgatæ. Hunc miraculorum finem fuisse, ipsemet asserit Moyses, dum prodigia ista commemorans ad observantiam legis, ita Deuter: cap: 11. adhortatur. *Ama itaque Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus, & cæremonias, judicia atque mandata omni tempore.* Vetus igitur Judæorum Religio est verè Divinitus revelata, Miraculis confirmata.

ARTICULUS 2dus.

De nova, quæ est Christianorum, Religione.

Quæres 1. Utrum lex vetus aliam futuram atque perfectiorem promittebat, ac prænuntiabat Religionem?

Resp: Lex vetus Mosaica aliam futuram novam, ac perfectiorem, copiosioremquè Religionem promittebat, atque prænuntiabat. Et hæc quidem promissio apertis verbis primò per Moysen facta est. Deuter. cap. 18. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies:* quæ verba unum Messiam spectare ex contextu manifestum est, ac proinde eorum sensus est, venturum alium post Moysen Legislatorem, quem Judæi audire debebant, quod Vaticinium in Christo adimpletum fuisse S. Petrus Actor: cap: 3tio & S. Stephanus cap: 7mo Judæis demonstrârunt. Id autem adhuc magìs perspicuè declaravit Deus subsequentibus temporibus per os suorum Prophetarum. Nam per Jeremiam cap: 31. sic locutus est Deus: *Ecce dies venient, & feriam Domui Israël, & Domui Juda fœdus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, ... sed hoc erit pactum, quod feriam cum Domo Israël, post dies illos . . . . . . dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Neque verò hoc no-

vum.

vum suum fædus cùm domibus tantummodo Juda, ac Israël se inire Deus promiserat, sed & cùm universis mundi nationibus, unde apud Isaiam cap: 11. ad Mesſiam qui novum istud fædus sancire debuit ait Deus. *Parum est ut sis mihi servus ad fæces Israël convertendas, ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ*, quare idem Propheta cap: 2do describit concursum populorum ad audiendam legem, quam futurus Mesſias tradere nationibus debuerat. *Ibunt populi multi & dicent venite & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus.* Lex itaque vetus, ipsius institutor Moyses, atque Prophetæ. novum fædus, novamquè legem, quæ in visceribus ac in cordibus hominum scribi debuerat, atque omnibus Nationibus ac Populis promulgari, prædixerant, atque promiserunt.

Quæres 2. An reipsa abrogata veteri Judæorum lege, nova lex ac Religio constituta fuit?

Resp: Abrogata antiqua Judæorum lege, nova lex atque Religio per Christum reipsa constituta est. Et quidem 1mo: Lex Judeorum vetus per Christum abrogata fuit, quia ut ipsemet edixerat Lucæ cap: 6to. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, qui secundùm Malachiæ prædictionem præcursor erat Christi. Et certe ex tota veteris Testamenti Scriptura manifestiſsimè apparet, legem atque Religionem Mosaicam, Sacrificia, Cæremonias per futurum Mesſiam abrogari debuiſse. Porro invictiſsimis argumentis comprobatum est, Christum Jesum fuiſse verum Messiam a Prophetis prænuntiatum, per eum itaque lex vetus, atquè antiqua Mosaica Religio abrogata fuit, unde meritò Paulus ad Romanos cap: 10. scripsit. *Finis legis Christus.* 2do abrogatâ antiquâ Moysis lege atque abolitâ Religione, novam legem Christus dedit, novam instituit Religionem. Totò id comprobatur Evangeliò, à quatuor Evangelistis conscriptò, ex quo manifestum est, Christum doctrinam cælestem, quam a Patre acceperat, hominibus annuntiaſse, leges, præcepta, tradidiſse, novum Sacrificium, nova Salutis remedia instituiſse, ac deniquè Apostolis suis præcepiſse. *Euntes docete omnes Gentes, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis* Math: cap: 28. atque hanc legem, Religionemquè suam ut omnes omnino amplectantur, severiſsimè sub interminatione æternæ damnationis præcepit. *Qui crediderit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* Marci cap: 16to.

Verùm antiquam Moysis legem abrogatam, & novam

per

per Christum constitutam eſse oculís etiam nostris conspicimus. Templum Judæorum quemadmodùm prædixerunt Prophetæ eversum, populus in omnes mundi regiones dispersus, Sacrificia ceſsarunt. Lex Christi omnibus populis annuntiata, Religio ipsius in toto mundo propagata, ad ejus Ecclesiam nationes universæ congregatæ sunt, etiam portæ inferi adversus illam prævalere non poſsunt. Et hæc est Religio Christianorum.

Quœres 3. Quis sit Auctor Religionis Christianorum?

Resp: Religionis novæ quæ Christianorum est, & quæ Religioni antiquæ quam Judæi profitebantur, succeſserat, Auctor atque Institutor est Christus Jesus. Proximis ante Christum temporibus doctrina Religionis Mosaicæ conservata quidem fuit, verum perpauci fuere, qui eandem puram ad Exemplum majorum profitebantur, pleriqué ad vanas ac superstitiosas traditiones prolapsi, doctrinam Religionis variis, iisqué craſsis deformabant erroribus, & doctrinæ perversæ, jungebant improbitatem morum, hæreses autem ac schismata Pharisæorum, Sadducæorum, & Eſsenorum, Religionem fere omnem perverterunt, cumqué reliquus orbis universus densis idololatriæ tenebris simul involveretur, vera Religio toto mundo vix non proscripta ac extincta fuit. Atque eò tempore sub Augusto Romanorum Imperatore circà annum mundi quater millesimum, in Bethleem Juda natus est Jesus Christus ex Maria Virgine. Anno trigesimo ætatis suæ in publicum prodiit, & munus docendi auspicatus est, atque simul quosdam discipulos sibi delegit, dein vitæ sanctitate, doctrinâ præstantiſsima, ac prodigiis frequentèr patratis, magnam in populo consecutus est authoritatem, verùm Pharisæi impium hominum genus indignabantur Ei, & in furorem acti, omni quô poterant conatu, Christo insidias struxerunt, ac tandem morte Illum affecerunt. Sed tertiâ die à mortuis propria virtute surrexit, & postquam per dies quadraginta sæpius Discipulis suis apparens, eos in Religionis suæ Mysteriis pleniùs instruxerat, in cælum sublatus est, unde illis promiſsum Spiritum Sanctum misit, quô roborati, donisquè Ipsius exornati, euntes in mundum universum prædicabant Evangelium omni creaturæ, Dominô cooperante, atque Sermonem eorum multis, ac innumerabilibus Miraculis confirmante.

Quanquam verò ætatis nostræ Increduli, omne impietatis & calumniæ venenum in Christum. Ejusqué discipu-

los

los evomant, eorum tamen existentiam, nullus in dubium vocare ausus fuit.

Quæres 4. Utrum Apostoli & Evangelistæ sint veri Auctores Scriptorum, quæ iis à Christianis tribuuntur?

Resp; Apostoli & Evangelistæ, sunt veri Auctores Scriptorum, quæ iis à Christianis tribuuntur, ac proinde sunt opera genuina, minimèqué supposititia. Et id testatur universalis Traditio omnium Christi Ecclesiarum adeô, ut Ecclesiæ etiam Schismaticorum, & Sectariorum, omni tempore & locô, unô ore fateantur, Apostolos & Evangelistas, Evangeliorum & Epistolarum, quorum nominibus inscriptæ sunt, veros eſse Auctores, quod si ejusmodi testimonium universale sufficiens non sit ad astruendam prædictam veritatem, omnes, omnium ætatum, locorum, nationum homines in fraudem conspirâſse, aut fraude deceptos fuiſse dicendum est, quod planè absurdum est. Prætereâ harum Scripturarum Auctores eſse Apostolos & Evangelistas testantur ipsimet Religionis Christianæ hostes, Gentiles scilicet, Judæi, & Hæretici, qui primis Christi sæculis extiterunt, hinc si fides habenda non sit Christianis, habenda saltem est Christianorum hostibus, quare Julianus apud S. Cyrillum lib: 10. contrà ipsum conscriptô, Petri, Pauli, Mathæi, Marci & Lucæ ea eſse fatetur, quæ Christiani sub eorum nominibus inscripta legunt.

Objicies 1. Scriptorum istorum Auctores Apostoli & Evangelistæ eſse dicuntur à Christianis, quibus tanquam testibus in propria causa fides haberi nequit. 2. Longo post Apostolos tempore, à quibusdam impostoribus, hæc Scripta compilata sunt.

Resp: ad 1mum: Genuitatem & authenticitatem Scriptorum Apostolorum, non tantùm Christiani contestantur, verùm etiam Gentiles & Judæi, qui certè si fraudulentum, aut falsum fuiſset primorum Christianorum de Evangeliis, cæterisqué Apostolorum Scriptis testimonium, id non tacuiſsent, præsertim Celsus, Porphyrius, Julianus, qui omnibus viribus Religionem Christianam oppugnârunt.

Ad 2dum: Id omni fundamentô caret, Christiani enim Romæ, & in Romanorum Provinciis versabantur, ac proinde eorum libri Romanis, & Græcis facilè innotescere potuerunt, atque reverâ innotuiſse statim à principio ex quo in publicum prodierunt, ex eo invictè probatur, quod Seneca, aliiqué Gentiles, plura ex Christianorum Libris acceperint, atquè iisdem etiam verbis exscripserint.

Quæ-

Quœres 5. Utrum Apostoli ac Evangelistæ sinceritatis ac veritatis characteribus prœditi fuerint?

Resp: Apostoli & Evangelistæ in Scriptis suis manifestiſsimos sinceritatis ac veracitatis produnt characteres. Præterquam enim quod in eorum Scriptis ubique summus eluceat pietatis ac veritatis amor, non provocant ipsi ad facta, clam olim vel in tenebris, & locis remotis, sed ad facta quæ in conspectu omnium contigerunt & contigerunt inter hostes eorum, Judæos videlicet, quare de mendacio & fraude si quam commisiſsent, facile convinci potuiſsent. Verùm & simplicitas styli, confeſsio aperta propriorum defectuum, ipsa narrandi indoles, atque illorum animi indoles manifeste ostendunt Apostolos & Evangelistas in Scriptis suis, sinceros ac veraces eſſe. Certè stylus illorum simpliciſsimus est, ab omni dictionis ornatu, ac eloquentiæ artificio procùl distat, non diſsimulant ignorantiæ & ruditatis suæ ignominiam, omnia enarrant planè sinè fuco, ita ut fideliter exprimant omnes circumstantias locorum, temporum ac personarum. Tandem animi eorum indoles nonnisi Sanctitatem, ac pietatem spirabat. Ad unum omnes zelo pro gloria Dei incredibili, charitate erga omnes ardente, constantia, patientia, humilitate admirabil, præditi erant. Apostoli igitur ac Evangelistæ in Scriptis suis manifestiſsimos sinceritatis ac veracitatis produnt characteres.

Objicies. Apostoli ac Evangelistæ etsi non propter cordis pravitatem, sed tamen propter nimiam mentis imbecillitatem, ruditatem atque credulitatem sunt testes suspecti eorum, quæ in suis Scriptis narrant.

Resp: Licèt omnes fere Apostoli, paucis exceptis, litterarum expertes fuerint, non tamen adeo rudes, ac imbecilles fuerunt, ut dicta & facta Christi, ad quæ cognoscenda præter mediocre ingenium nonnisi sanis auribus, & oculis opus erat, intelligere non potuerint, præsertim cum eadem dicta Christus, cujus continua utebantur consvetudine, sæpius repetierit, ruditas igitur illorum, testimonia ipsorum suspecta non reddit. Neque etiam nimium erant creduli, quod ex solo Thomæ facto apertum est, quare etiam Christus ipse iis incredulitatem exprobravit.

Et verò Apostoli, & Evangelistæ conscripserunt atque prædicaverunt facta, & doctrinam quæ in conspectu Judæorum contigerant, quam Christus publicè docuit coram omni multitudine, consequentèr talia conscripserunt, ac prædicârunt, quæ an vera sint, nec né, facile exami-

nari

nari potuerunt, vel maximè ab iis, qui illorum hostes erant infensifsimi, eosqué continuo ad mortem perquirebant. In talibus circumstantiis mentiri, aut decipere vaferrimo etiam impostori impofsibile foret. Nunquam verò Apostolos aut falsa scribere, aut mendacia prædicare, afserere quisquam ex Judæis unquam ausus fuit. Tandem quæ prædicaverunt, & scripserunt Apostoli, ac Evangelistæ, statim ab initio Religionis Christianæ publicè in Conventibus legebantur audientibus omnibus non Christianis tantum, sed & Judæis atque Gentilibus, nemò tamen contradixit, nemò mendacii, falsitatis coarguit.

Quæres 6. Utrum scripta Apostolorum, ac Evangelistarum integra & incorrupta ad nos pervenerant?

Resp: Scripta Apostolorum, ac Evangelistarum, integra & incorrupta ad nos pervenerunt. Si enim corruptio facta fuifset, ea fieri debuifset ætate Apostolorum, aut ætate immediatè subsequenti, aut denique subsequentibus usque ad nos temporibus, & fieri debuifset vel à Gentilibus, vel à Judæis, vel ab ipsis Christianis. Sed nihil horum afseri potest. Et quidem 1. ista corruptio non est facta ætate Apostolorum, certè enim tunc ipsi Apostoli restitifsent, pro conservanda pura Christi doctrina summè solliciti. 2. Non fuit facta ætate immediatè sequenti, tempore enim Apostolis vicinô, doctrinæ ipsorum recens erat memoria, Scripta illorum, in omnibus manibus erant, publicè legebantur, eaquè summa reverentia fideles prosequebantur, quæ omnia corruptioni ac depravationi obstabant. 3. Non fuerunt hæc Scripta corrupta sæculis subsequentibus. Nam libris Apostolorum ac Evangelistarum Sacris, per Orbem dispersis, impofsibile fuit codices omnes corrumpere, & si impostor aliquis id attentâfset, millè ex Orthodoxis reclamâfsent. 4. Non est facta corruptio à Gentilibus, etiamsi enim corrumpere voluifsent, id non potuifsent, cum omnia Sacrorum Librorum exemplaria, inter tot homines dispersa colligere non potuerint. 5. Hæc corruptio non est facta à Judæis. Si enim Judæi Scripta Apostolorum ac Evangelistarum depravâfsent, certè ea, quæ illorum impietatem produnt & Vaticinia quibus eorum ruina prædicitur, delevifsent. 6. denique non est facta corruptio ab ipsis Christianis, quia hostes eorum, quibus nullo unquam sæculo Christiani carebant, fraudem per totum orbem publicâfsent. Præterea istiusmodi fraus apertè pugnat cùm maxima sollicitudine Christianorum, quam habebant semper pro conservandis Sacris Libris. Igitur Scripta Apostolorum & Evangeli-

gelistarum integra ac incorrupta ad nos pervenerunt. Sed & positivis argumentis ostenditur Scripta Apostolorum & Evangelistarum non eſse corrupta. Enimvero eosdem textus Sacrorum Librorum, in Sanctorum Patrum & Ecclesiasticorum Scriptorum Apostolis vicinorum operibus legimus, quos deprehendimus nunc in Scriptis Apostolorum & Evangelistarum, hinc si Libros Sacros quispiam corrumpere ausus fuiſset, etiam omnium Patrum & Ecclesiasticorum Scriptorum opera corrumpere ac depravare debuiſset, quod sanè impoſsibile est. Deinde corruptioni ac depravationi Scriptorum Apostolorum ac Evangelistarum invictè obstabant versiones statim â temporibus Apostolorum factæ, & latiſsimè per Orbem diſseminatæ, Syriaca scilicet & Latina. Tandem integritatem Scriptorum Apostolorum, ac Evangelistarum probat consensus plurimorum manuscriptorum vetustiſsimorum, in diversis Regionibus inter Christianos, Judæos imo ipsos Mahumedanos conservatorum, & hodie adhuc superstitum; adeô ut examinatis ducentis quinquaginta manuscriptis nulla majoris momenti inventa fuerit corruptio, quæ fidem aut doctrinam morum concernat.

Objicies Ex chronica Victoris Turonensis constare videtur, jubente Anastasio Imperatore, Sancta Evangelia utpote ab idiotis Evangelistis composita, reprehensa & emendata fuiſse.

Resp: Id falsum omnino est, nam illa ætate Evangelia non fuiſse correcta, aut emendata, indubitatum ex eo est, quod Patres Græci, ac Latini, ante & post Anastasium, eadem Sacra Evangelia, eosdemqué ex illis textus, eâdemqué ratione citaverint; & Scriptores coævi Procopius, Evagrius, Cedronus, aliiqué licet facta impia Anastasij referant; de hoc tamen facto altum sileant.

Quæres 7. Utrum Scripta Apostolorum & Evangelistarum omnia vera contineant?

Resp: Scripta Apostolorum & Evangelistarum omnia veriſsima continent; sunt igitur omnino veracia, atque summam merentur fidem. Namquè Apostolos & Evangelistas eſse Auctores istorum Scriptorum compertiſsimum est. Ipsos quoque eorum omnium quæ scripserunt eſse testes legitimos, ac minimè suspectos indubitatum est, adeô ut etiamsi voluiſsent falsa scribere, spectatis omnibus circumstantiis, id facere non potuiſsent. Aliunde etiam sinceritatis, ac veracitatis characteres in suis Scriptis produnt; atque ostendunt evidentiſsimè. Tandem Scripta eorum integra & incorrupta ad nos usque pervenerant. Ergo omnia

quæ

quæ in illis occurrunt verisſima sunt, ac summam merentur fidem.

Objicies 1. Non est improbabile totam historiam Evangelicam ex vulgi rumoribus ortum habere, ita, ut non simul, & semel, sed variis gradibus, atque à variis auctoribus fabricata sint omnia, quemadmodum innumera, speciatim circa res, miras, & prodigia cuduntur & augentur. 2. Nemo ignorat quam dubia sit fides veterum præsertim historiarum, maximè de Religione & prodigiis, ac nulla est in mundo historia tot testimoniis comprobata, quam Vampirorum, & tamen ab omnibus risu excipitur.

Resp: ad 1mum. Historiam Evangelicam ex vulgi rumoribus conflatam fuiſse incredibile est. Nam in vulgi rumore Auctores ignorantur, vulgi rumores quô magis examinantur, eô minùs sibi constant, fundamentum illorum deperditur, ac evanescit, non sunt diuturni, ac tandem brevi tempore ex se ipsis corruunt. In historia verò Evangelica noscuntur Auctores, tempus & locus, ac quælibet circumstantiæ, denique obstantibus atque contrariantibus hominum opinionibus, moribus, ac commodis, per totum denique orbem innotuit, & hucusque immutabiliter perdurat, illiqué infensiſsimi etiam hostes testimonium detulerant. Judæi facta ac Miracula quæ in Apostolorum ac Evangelistarum Scriptis narrantur, contigiſse non negârunt, sed tantum, modo invocationi nominis *Jehova*, modò magicis artibus illa adscribunt. Celsus pariter ea non inficiatur, vocat tamen ipsa opera magica. Hierocles Miraculis Christi opponit facta Apolonij Tyanei. Julianus expressè fatetur quod Christus claudos & cæcos sanaverit, demones è corporibus hominum ejecerit, nonnisi iis scuriliter pro more suo illudit. Quare historia Evangelica omnium ore agnita, omnium testimonio semper comprobata fuit, non ergo ex vulgi rumoribus originem accepit.

Ad 2dum: Quod de crebris Historicorum erroribus ac de nimia antiquorum ad ficta credenda propensione dictum est, id verum eſse non negamus, verum inde non sequitur, omnium historicorum fidem vacillare, quod si argumenta pro veritate historiæ Evangelicæ allata perpendimus, falsitas nequidem verosimilis est. Jam autem inter historiam Evangelicam, & Vampirorum maxima est differentia. Evangelica per mundum universum omniqué ætate, ab omnibus omnium nationum fidelibus, sed & infidelibus innumeris, tanquam genuina, & verax agnita est; approbationem vero adeô universalem historia Vampirorum

rum nunquam obtinuit, multô minùs eadem, quemadmodum Religio Christiana, Miraculis fuit confirmata. Tandem si testimonia de Vampiris fuiſsent adeô probata, certè cum ipsis spectris in fumum non abiiſsent, nec soli ij fidem de illis habuiſsent, qui terrore perculsi malum sibi imminere timebant.

Quæres 8. Utrum Scripta Apostolorum ac Evangelistarum fuerint ex Divina revelatione, ac inspiratione conscripta?

Resp: Scripta Apostolorum ac Evangelistarum certiſsimè omnia ex Divina revelatione, atquè inspiratione conscripta sunt. Enimvero doctrinam Religionis quam Apostoli ac Evangelistæ ore prædicaverunt, & Scriptis consignârunt à solo Deo acceperunt, nequè enim illam hauserunt, aut haurire potuerunt ab aliis hominibus. Quis enim Philosophorum aut Judæorum tempore Apostolorum, vel præcedentibus ætatibus doctrinam Religionis adeô puram, & Sanctam, ac illa fuit, quam tradiderunt Apostoli, unquam docuit, aut quis credat Apostolos, & Evangelistas, scripta eruditorum lectitâſse, & pervolviſse. Verosimile quoque nullatenus est, quod Apostoli & Evangelistæ ex proprio ingenio, meditatione, adeô perfectam Religionis Doctrinam didicerint, quis enim homo, maximè indoctus, ac illiteratus eas inveniet veritates, quas acutissimi ignorârunt Philosophi. Tandem Mysteria quæ in doctrina Religionis, Apostoli ac Evangelistæ tradunt, qualia sunt Trinitatis, Incarnationis, quæ omnem humanum superant captum, & quæ ipsis etiam incognita erant Judæis, planè evincunt, Apostolos & Evangelistas doctrinam Religionis quam tradunt à solo Deo accepiſse, ac proinde scripta illorum ex Divina revelatione vel inspiratione profluxiſse. Id ipsum ex verbis Christi comprobatur. Dixit enim Joannis cap: 14. ad suos Apostolos. *Spiritus Sanctus docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia:* & cap: 16. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* & Math: cap: 10. *Dabitur vobis quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Deus igitur ipse Apostolos ac Evangelistas inspiravit, illisquè revelavit, quæ de Religione docturi, prædicaturi, ac consequentèr etiam scripturi erant. Unde Apostolus Paulus in Epist: 1ma ad Corint: cap: 12. fidenter scripsit. *Nos non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non indoctis humanæ sapientiæ verbis, sed in*

doctri-

doctrina Spiritus. Quemadmodum itaque Apostolorum ac Evangelistarum prædicationes, ita & scripta illorum ex Divina revelatione atque inspiratione ortum habuiſse certum est.

Quæres 9. Doctrina Religionis Christianæ qualis cenſeri debeat, & quod de ipsa ferendum sit Judicium?

Resp: Doctrina Religionis Christianæ est præstantiſſima, Deo digniſſima, atque ad obtinendam felicitatem homini sufficientiſſima. Et 1. quidem est præstantiſſima; docet namque dogmata de Deo sublimiſſima, Deiqué perfectiones infinitas nobis manifestat, cultûs quoque Divini officia ritè determinat. Non minus etiam morum præcepta tradit excellentiſſima; ad virtutem & pietatem motivis excitat fortiſſimis, media tandem ad observantiam Divinorum mandatorum suppeditat omnino convenientiſſima 2. ad obtinendam felicitatem est homini sufficientiſſima, instruit namquè quâ ratione Deum in quotidianis nostris neceſſitatibus invocemus, & quid ab ipso postulemus, peccati & connatæ nobis pravitatis, atque corruptionis originem & & utriusqué consectaria ipsa ostendit, tradit modum placandi Deum peccatis nostris offensum, deniqne maximum nobis præbet solatium in omnibus hujus vitæ calamitatibus; & contra ipsos etiam mortis terrores certos nos reddit; atque securos. Unde excellentiam Religionis Christianæ ipsi quoque gentiles agnoverunt, & licet hostes sint, eandem extollunt, quare scripsit Amianus Marcellinus lib: 2do: Rerum gestarum cap: 11. *Christianam Religionem nihil nisi justum & lene svadere.*

Obijcies. Christus nihil novi docuit, Divinitatis notio omnibus communis fuit. Multis excellentioribus Philosophis per svasum fuit, Deum eſse unum, animæ nostræ Spiritualitatem & immortalitatem agnoverant, qualis etiam Deo debeatur cultus perspectum ipsis fuit, vitia quoquè, mendacium, perjurium, lascivam libidinem condemnabant; virtutes comendabant, meritò itaque Lactantius libro 8vo. Divinat: Jnstit: cap: 7mo. scripsit. *Si extitisset aliquis, qui veritatem per singulos, perque sectas Philosophorum diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non diſsentiret à nobis Christianis, nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est.*

Resp: Concedimus fuiſse nonnullas veritates tam theoreticas, quam practicas à veteribus Philosophis detectas, sivè vi naturalis rationis, sivè etiam accedentibus nonnullis vetustæ revelationis principiis; quarum traditis omni-

no aboleri nunquam potuit, verum, & id compertissimum est, has veritates fuisse perpaucis cognitas, à multo pluribus prorsus ignotas, post propagatam vero Jesu Christi doctrinam, omnibus cujusq; sexus, ætatis, aut conditionis esse planè perspectas. Præterea inter ipsos Philosophos fuerunt, qui de istis veritatibus acriter disputârunt, & ita quidem ut non solum alii aliis, sed non raro ipsi sibi ipsis contradicerent, unde multi occasionem arripuerunt pyrrhonismum in Religionem invehendi, plena igitur de his dogmatibus certitudo, nonnisi Divinæ Christi doctrinæ debita. Tandem has ipsas veritates veteres Philosophi densis errorum, & fabularum nebulis involverunt, & obscurârunt. Denique doctrina Christi multas continet veritates de hominis corruptione ejusquè remediis, de peccatorum expiationè, de cultu Dei externo; de qualitate, & duratione in altera vita tum pœnarum, tum præmiorum, & de innumeris aliis, quæ veteres prorsus ignorârunt, neque illis unquam vel in suspicionem venerant.

Quod vero ex Lactantio additum est, nullam ingerit difficultatem, siquidem nonnisi de præcipuis Religionis capitibus loquitur Lactantius, quæ ibidem recenset, non autem de omnibus, quæ scitu necessaria sunt, deinde ibidem subdit ipse Lactantius, *hoc nemo facere, nisi jam veri peritus, & sciens poterat, verum autem nonnisi ejus scire est, qui sit doctus à Deo.*

Quæres 9no. Quos effectus produxit doctrina Christiana?

Resp: Doctrina Christiana per orbem propagata stupendos effectus, & rerum mutationes protulit, quæ Divinam illius originem manifestè denotant, *1mo.* enim fœdam sustulit Idololatriam, quæ in toto latè dominabatur orbe, unde Plinius junior circa finem sæculi primi, Trajano Imperatori Libro 10. Epist: 97. scripserat, *Religionem Christianorum, non civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros esse pervagatam, & propè jam desolata Idolorum templa:* quanti verò momenti opus fuerit dominantem evertere Idololatriam, vel ex eo patet, quod illa morbus fuerit humani generis inveteratus, & prope universalis, & quam tollere non sunt ausi sapientissimi etiam Philosophi, imo ea ipsi etiam constuprati sunt; sic Socrates, quemadmodum testatur Xenophon: lib: 4to Memorab: *Tum domi tum etiam in aris communibus coluit Deos patrios,* atque generatim *Deos ex instituto civitatis colendos* esse docuit; & in eadem sententia fuit Plato, Cicero, alii-

 que

que plures Romani, & Græci Philosophi, civibusquè suis turpissimum Idololatriæ præbebant exemplum, *2do.* Doctrina Christiana mores hominum in melius commutavit, de integritate namque Christianorum, ipsimet Gentiles testantur, Pliniu s Secundus de Christianis Libro 10. Epist: 97. hæc scribit, illos, *se Sacramento non in scelus obstringere, sed ne furta, ne adulteria, ne latrocinia committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent.* Sed & Julianus Apostata in Epistola ad Arsacium mores Christianorum impensè laudat, & commendat. Magis autem id præstant Religionis Nostræ Patres Athanagoras, Justinus qui primis sæculis floruerunt, datis pro Christianis Apologeticis libris, quorum testimonia fidem omni exceptione maiorem promerentur 3. tandem doctrina Christiana effecit, ut non solum viri, ac Mulieres innumeri omnigena pietate, ac morum Sanctitate emicuerent, sed & Sancti Martyres stupenda patientiæ & fortitudinis invictæ dederent specimina, dirissima namque supplicia, horrendos cruciatus pro Christo, ipsiusquè doctrina pertulerunt, atque hæc immanis gentilium in Christianos crudelitas, non solum non minuerat, sed potius auxerat Christianorum numerum, dicente ad Gentiles Tertuliano in Apologetico N. 50. *Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ, plures efficimur, quoties metimur à vobis, sanguis Martyrum semen est Christianorum.*

Ex his autem iterum evidentissimè conficitur doctrinam Christianam Divinam esse, mundiquè conversionem opus Dei Omnipotentissimi, nullatenus siquidem credi potest, homines ad amplectendam Christianam doctrinam, quæ omnibus corruptæ naturæ passionibus tam vehementer repugnat, quæ mandata continet carnalibus hominibus ardua, ac perdifficiliâ, ad toleranda tam dura, atque diuturna supplicia humanis mediis, aut motivis adduci potuisse, Omnipotentis dextera hic necessario opus fuit.

Objicies 1mo. Jlli qui Religioni Christianæ à principio nomen dederunt fuerunt homines pauperes, ac rudes, unde facile imposturis, & dolis capi possunt, *2do.* etiam falsæ Hæreticorum, aut infidelium sectæ, suos habuerunt Martyres, nihil ergo hac in re supernaturale est, cum natura sola omnis generis cruciatibus, atque suppliciis perferendis sufficientes vires præbere possit, accedente potissimum animi pertinacia.

Resp:

Resp: Ad 1mum. Non semper est facilius imperitam plebem, quam doctos, & sapientes à præconceptis præjudiciis abducere, sapientes enim & docti considerare, dubitare, ac verum detegere consveverant, contrâ verò idiotæ, & rudes nonnisi palpabili veritatis evidentia, quæ miraculis inest, commoveri poſsunt. Jd autem præcipue contingit, ubi nova doctrina præscribit opera admodum difficilia, & nonnisi cum magno vitæ periculo eam amplecti & profiteri licet, cujusmodi erat doctrina Christi per Apostolos prædicata, & ubique propagata. Patereâ hic agitur de extrinseca doctrinæ Christianæ probatione, quæ fit maximè per miracula, & quorum veritatem non minus imperiti, quam docti videre poſsunt, potiſsimum autem si hæc miracula talia sunt, ut in omnium occulos incurrant, cujusmodi erat cæcorum illuminatio, languidorum, ac infirmorum repentina curatio, mortuorum suscitatio, & id genus alia, quæ Christianæ doctrinæ Prædicatores sepiſsime patrârunt.

Falſum autem est nonnisi rudibus, ac imperitis doctrinam Christianam prædicatam fuiſse. Prædicata siquidem fuit in Synagogis Judæorum, & apud doctiſsimos quosquè Gentiles, Athenis, Corinthi, Romæ, quaræ sapientes etiam, & nobiles doctrinæ Christi adhæserunt. Nicodemus Princeps Judæorum. Jairus Princeps Synagogæ. Josephus ab Arimathea nobilis Decurio. Multos etiam ex principibus credidiſse in Christum, testatur Joannes Evangelista cap: 12. & Lucas Actorum cap: 1mo scribit quod multa turba Sacerdotum obediebat fidei. Sed & ex Gentilibus nobilitate, dignitate, doctrina insignes multi Christi doctrinam amplexi sunt. Vir Æthiops, Candacis Reginæ Æunuchus, Cornelius, Centurio, Proconsul Sergius, Flavius, Clemens vir consularis cum uxore sua Domitilla, & alii innumeri, adeo ut Tertullianus in apolegetico suo scribere ad Paganos non erubuerit, Christianos jam tunc Castra, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, forum impleviſse.

Ad 2dum Religio, ac doctrina Christiana ubique terrarum ſuos habuit Martyres, & quidem omnis sexus, omnis ætatis, gentis & conditionis, quo fit, ut vix ac ne vix quidem tanta, & tam universalis constantia, pertinaciæ, enthusiasmo, aut fanatismo adscribi poſsit. Accedit Martyres nostros quam sepiſsimè non brevi supplicio extinctos, sed exquisitis tormentis diu excruciatos fuiſse. Naturam autem aut enthusiasmum, tam sævis, tam diuturnis, ac repetitis tormentis, ac doloribus tolerandis suf-

fecifse, quis credere potest. Demum haud raro Deus heroicam Martyrum fuorum fortitudinem multis, magnisq; prodigiis coronavit, quibus ipsi etiam Gentiles commoti, Christianam doctrinam amplectebantur. Nihil tale unquam in falsis extitit Sectis.

Quæres 10mo Doctrina Religionis Christianæ, quali modo propagata fuerit?

Resp: Doctrina Religionis Christianæ modo mirabili, ac plane stupendo per orbem propagata fuit. Enimvero quod attinet 1mo. hujus Religionis propagatores, illi erant homines nullo natalium splendore, nullaque auctoritate conspicui, opifices infimo loco nati, atque humili arte Piscatores, nullo humanarum disciplinarum præsidio ornati, nullis disciplinis exculti, 2do. intra breve tempus longifsimè, ac latifsimè propagata est. Paucos enim intra annos, non modo per Judeam & Syriam, sed per totum Romanum Imperium difseminatam efse testantur ipsi Scriptores gentiles, Tacitus, & Plinius, atque Tertullianus in Apolog: N. 37. ait Romanos alloquens. *Hæsterni sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum.* 3tio. propagata est, nullis præsidiis humanis munita. Doctrinæ siquidem Christianæ propagatores, non fuerunt viri nobiles ac potentes, non Reges, aut Principes, qui potentia & auctoritate Religionem quam prædicabant, tueri potuifsent, non eminebant ingenii dotibus, ut fese in animos hominum insinuarent, sed potius in errores, & vitia hominum liberrime invehebantur, nulla nec adulatione, neque simulatione, simulquê hostibus suis nisi verbum Crucis, abnegationem, & patientiam opponebant, 4to. propagata fuit inter obstacula, & impedimenta gravifsima, cujusmodi erant præjudicatæ opiniones, tùm Judæorum, tùm Gentilium, mali mores, quibus non conveniebat sanctitas doctrinæ Christianæ, ac tandem persecutiones crudelifsimæ, quibus affligebantur omnes qui Christianam profitebantur Religionem. At vero hæc omnia non obstabant, quòminus Religio Christiana, licèt inermis, & omnibus destituta humanis auxiliis de hostibus suis triumpharet, doctos & indoctos, imo totum orbem ad se traheret, ipsosquê potentifsimos orbis Dominos sibi subijceret, atque per octodecim sæcula in orbe dominetur, ita, ut nulla sit Regio, nulla gens, nullus terre angulus, in quo Christo Deo honos non habeatur.

Quæ-

Quæres 11mo. Utrum Religio Christiana sit verè & certiſsimè Divinitus revelata?

Resp: Religio Christiana certiſsimè est Divinitùs revelata, ac proinde verè Divina est. Religio siquidem Christiana continet in se doctrinam præstantiſsimam, Deo digniſsimam, atque ad obtinendam felicitatem homini sufficientiſsimam, modo stupendo ac plane mirabili propagata fuit, stupendos peperit effectus, ac tandem ex sola Divina revelatione accepta, ex Divina inspiratione conscripta fuit, ergo Religio Christiana certiſsimè Divinitùs revelata est ac proinde vere Divina est.

Etvero veritatis atque Divinitatis Religionis criteria certiſsima, ac indubitata sunt Vaticinia, & Miracula. Porrò veritatem, ac Divinitatem Religionis Christianæ Deus Vaticiniis ac Miraculis innumeris confirmavit. Ergo non solum verìſsima ipsa est, sed & Divina, atque supernaturalis.

Et quidem 1mo: Deus veritatem ac Divinitatem Religionis Christianæ Vaticiniis comprobavit. Christus namqué tanquam verus Propheta, plura edidit Vaticinia eventu ritè comprobata. Sic prædixit Discipulis suis Paſsionem suam, & mortem, atque suam à morte tertiâ die Resurrectionem, quæ nullá humanâ sagacitate præsciri potuit. Prædixit quoque futuras sortes suorum Discipulorum. Lucæ cap: 21. & Math: 24. Præcipuè autem illustris est Prophetia, de Judaicæ gentis excidio, & Hierosolymorum, ac templi eversione, quam adeô clarè & distinctè Vaticinatus est Christus, ut non tam Prophetia, quam historia jam facta legentibus meritò videatur. Similis huic & omnino affinis est Prophetia, quâ Christus Math: cap: 8. & 21. prædixit futuram Judæorum reprobationem, & Gentilium conversionem, quæ in prima Evangelij prædicatione eventu comprobata, atque confirmata sunt. Sed & Apostoli, aliique Christi Discipuli, Vaticinia diversa protulerant. Sic Paulus Epist: 2. ad Timoth: cap: 4to prædicit falsos Doctores in mundum venturos, quales jam dudum sese ostenderunt Hæretici quàm plurimi. Liber Apocalipsis à Joanne Evangelista conscriptus totus Propheticus est, atque inter Christi Discipulos, ut testantur Acta Apostolorum multi erant Prophetæ, inter quos celebris est Agabus qui famem magnam prædixit in universo orbe terrarum futuram, quæ etiam facta est sub Claudio, ut habetur Actor. cap: 11. adeô autem frequentes istiusmodi Prophetiæ fuerant.

erant, ut hoc cæleste donum, quasi commune Christi fidelibus fuerit.

2do. Veritatem atque Divinitatem doctrinæ ac Religionis Christianæ Deus innumeris Miraculis corroboravit. Occurrunt enim in Scriptis Apostolorum, & Evangelistarum facta Christi planè singularia, quæ vires humanas omnino transcendunt, & consequenter vera Miracula sunt. Sic plures mortuos ad vitam revocavit. Ingentem hominum multitudinem copiosè exsaturavit, scilicet quinque millia, quinque Panibus & duabus piscibus, & quatuor millia septem panibus, ac piscibus. Obsessos à Dæmonibus liberavit, atque omnis generis langvores, nulla adhibita medicina, solo nutu, ac verbo sanavit. Cæcis restituit visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudos ambulare fecit, ac super mare & aquas ambulavit. Non minus etiam Apostoli, in virtute & nomine Christi Miracula diversa ediderunt. Petrus coram omni populo claudum ex utero Matris, & paraliticum ab annis octo in grabato jacentem sanavit. Tabitam à mortuis suscitavit, ejus umbra infirmos obumbrante ab infirmitatibus suis liberati sunt. Paulus mortuum ad vitam revocavit. Magum cæcitate percussit, claudum Listras curavit, & generatim de Apostolis dicitur Actor: 5to. *Per manus Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe.*

Jam verò Vaticinia, & Miracula, quæ Christus & Apostoli ediderunt, in confirmationem doctrinæ & Religionis, quam prædicabant ediderunt Sic Christus suam mortem & Passionem prædixit, ne Discipuli de Divina Illius missione, & veritate Ipsius doctrinæ dubitarent, dicens, Math: cap: 11. *Beatus est, qui non fuerit scandalisatus in me*, & iterum prædicens Judæorum reprobationem, propter malitiam, & incredulitatem eorum, expressè addidit. *Ideò auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Certè cum Christus, atque Apostoli ejus id unum in omnibus intenderint, ut Sanctissimam doctrinam ac Religionem quam prædicabant, stabilirent, omnia propterea eorum dicta, & facta, Vaticinia, & Miracula ad eundem collimabant scopum. Quare Christus Judæos ad opera sua tamquam manifestissima Divinitatis suæ argumenta provocat, Joan: cap: 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*, & Joannis Baptistæ Discipulis ad se missis, atque quis esset sciscitantibus, Math. cap: 11. ad Miracula pariter provocavit, & respondit.

Eun-

Euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt Et S. Joannes postquam de Miraculis Christi locutus fuerat, cap: 20. concludit. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et Paulus ad Romanos scribens cap: 15. omnia signa & prodigia in conversionem Gentium à se facta eſse aſserit. *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efecit Christus in obedientiam Gentium verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorum.* Et in Epist: 2. ad Corinth: cap. 12. argumenta ex quibus constare poſsit, illum verè eſse Apostolum à Deo miſsum, ac consequenter doctrinam Divinam quam annuntiabat, non alia adducit, nisi signa, prodigia, atque virtutes. *Signa Apostolatûs mei facta sunt super vos, in signis & prodigiis & virtutibus.* Ergo Apostoli æque ac Christus Vaticiniis, ac Miraculis suis doctrinam, ac Religionem quam instituerant, atque mundo annuntiabant, confirmârunt, ac roborârunt, Divina igitur, veriſsima, ac supernaturalis ipsa est.

Objicies 1. Miracula Christi nituntur unice testimonio Apostolorum, ceteris tacentibus. 2. & illa si vera fuiſsent, nemo non debuiſset ad Christum converti, maximè ex Judæis, qui tunc Meſsiam expectabant, 3. Miracula Christi allegorico sensu sunt exponenda, ut *exg.* illuminatio cæcorum, sit mentis illustratio, unde & SS. Patres illa allegoricè interpretantur. 4. Docti imprimis Religioni Christianæ adversabantur, plura autem eorum Scripta Christiani suppreſserunt, quæ si extarent non difficile eſset Apostolorum detegere fraudes. 5. Ex ipsis Evangeliis constat Christum pauca, aut prorsus nulla feciſse Miracula. Judæis siquidem signum petentibus respondit. *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ*, scilicet prædicatio doctrinæ, & in patria sua nulla fecit Miracula propter incredulitatem eorum.

Resp: ad 1mum: Certùm est Scripta Apostolorum & Evangelistarum eſse genuina, & incorrupta ad nos perveniſse, aliunde indubitatum est Apostolos & Evangelistas eſse Christi Miraculorum, quæ in suis narrant Scriptis, testes summâ fide dignos, certò ergo concludere debemus facta ac Miracula quæ ab iis descripta sunt eſse veriſsima, alias omnis certitudo historica sublata est. Certè Apostoli, ac Evangelistæ, qui primi Miraculorum Christi testimonium præbuerant, aut Judæi erant, aut Gentiles, qui rei verita-

te convicti Christi Religionem susceperunt, quò fit ut eorum testimonium eô sit efficaciùs, quô majorem hujus rei persvasionem facto ipso ostenderunt, neque silentium aliorum Scriptorum fidem illorum labefactare potest, cum nec decipi potuerint, nec ulla ratio appareat, cur mentiri voluerint. Sed & præter Apostolos ac Evangelistas cæteri Scriptores de Miraculis Christi non omnino tacuerunt. Josephus lib: 18. antiquit. Judaicarum appellat Jesum mirabilium operum effectorem. Celsus in Christo agnovit hominem, qui naturæ invertebat leges, Porphyrius Christo tantam tribuit virtutem, ut Deos ipsos cogeret. Julianus Apostata confessus est Christum claudos, & cæcos, & à dæmone corruptos sanâsse, multaqué sunt apud alios Ethnicos Auctores Miraculorum Christi vestigia. Unde Tiberius Imperator auditis Christi Miraculis, à Senato petiit, ut inter Deos recenseretur, & Adrianus, ac exinde Severus Imperatores de nuncupandis Christo Templis cogitârunt, proût testatur Lampridius.

Ad 2dum: Non est mirum quod Judæi in Christum non crediderunt, ipsi enim expectabant Messiam qui ipsorum restitueret Regnum, quod à Christo sperare, & sibi polliceri non poterant; attamen bene multi, videntes Miracula, quæ Christus faciebat in Eum crediderunt, quare Nicodemus non suo tantum, sed & aliorum nomine dixerat Christo Joan: cap: 3. *Scimus quia à Deo venisti, Magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*, & rursus Pharisæi in unum congregati clarê confitentur Christi Miracula Joan: cap: 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.*

Ad 3tium. Miracula Christi Allegorico sensu interpretari non possunt, quomodo enim resuscitatio Lazari, multiplicatio panis & piscium, quibus aliquot millia hominum exsaturavit, allegorice interpretari possunt: Et vero si miracula Christi allegoricè intelligenda sunt, quare Judæi Christum calumniati sunt, Eum in Belsebub Principe Dæmoniorum prodigia operari. Tandem & Apostolorum quoque Miracula allegoricè sumenda forent, quod ne ipsis quidem Pharisæis in mentem venit, qui, cum Petrus cùm Joanne claudum ex utero Matris suæ sanaverit, prodigium reipsa factum agnoverant, Actor. cap: 4 dicentes ad semetipsos. *Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem, manifestum est, & non possumus negare.*

Verum

Verum quidem est, SS. Patres nonnulla Christi Miracula Mystice interpraetari, sed non propterea historicam eorum veritatem negant. Instar omnium sit S. Gregorius Magnus qui Homil: 11. in Evang: hæc scribit. *Miracula Domini, & Salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut & in veritate credantur facta, & tamen per significationem aliquid nobis innuant, opera quippe ejus, & per potentiam aliud ostendunt, & per Mysterium aliud loquuntur.*

Ad 4tum: Non negamus totum mundum Religioni Christianæ initio contradixifse, id tamen mirum videri non debet, tùm propter præjudicia, & errores quibus homines præocupati tenebantur, tum propter difficultatem moralis Christianæ, quæ cupiditatibus corruptæ naturæ majorem in modum adversatur. Hæc tamen obstacula Religio Christiana ubique superavit, & devicta superstitione Romæ triumphalem suam sedem fixit, ubi prius summum erat Idololatriæ Imperium, atque sapientifsimi, doctifsimiqué quam multi per universum orbem Christianorum Sacra profefsi sunt. Hoc si absque Miraculis factum est, clamat Augustinus lib: 22. de Civitate Dei cap: 5. Miraculum est omnium maximum. *Si Apostoli Miracula non ediderint, hoc nobis unum grande Miraculum sufficit, quod terrarum Orbis sine ullis Miraculis crediderit,* merito S. Thomas Libro 1. contra Gentes, cap: 6. scripsit. *efset omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuifset à simplicibus & ignobilibus hominibus.*

Falsum vero omnino est Christianos Gentilium libros suprefsifse, quidquid enim illi contra Christum, ejus Discipulos, & nostram Religionem continebant, adhuc superest in nostris Apologistis, qui tantum abest, ut ex jis timuerint aliquam labem veritati nostræ fidei afferri pofse, ut objectiones hostium nostrorum propriis ipsorum verbis voluerint suis Scriptis inserere. Sic Justinus Tryphonis, Origenes Celsi, Cyrillus Juliani, Augustinus Prophyrij argumenta, exprefsis ipsorum verbis recitant. Rursus si magni illi gentilitatis Philosophi, aliquid solidi contra nostræ Religionis fundamenta objecifsent, certe vel aliquos, præsertim doctos, ab ea ad idololatriam iterum revocâfsent, aut saltem impedivifsent, ne Christi Religio magis, magisque in dies propagaretur, porro res contra accidit, nam Crux Christi non minus contra sapientiam, quam contra potentiam hujus mundi triumphavit, ac tandem ubique

que

que sapientes, æque ac potentes spontè sibi facies submittere vadit.

Ad 5tum. Non quodcunque signum aut qualecunque miraculum Judæi à Christo quærebant dicentes Math: cap: 12. *Magister volumus à te signum videre*, multa siquidem jam signa & Miracula viderant, sed volebant aliquod singulare, extraordinarium, ac Cæleste prodigium, unde Marcus cap: 8. clarius rem enarrans scribit, Pharisæos à Christo quæsivisse signum *de Cœlo*, & tunc equidem signum singulare, extraordinarium, atque Cæleste omnium Miraculorum maximum promisit illis Christus, scilicet post tres dies à morte sua se resurrecturum, non enim per signum Jonæ Prophetæ prædicatio doctrinæ intelligenda est, sed Resurrectio Christi, quam hic etiam claris verbis prædixit, dicens. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

Falsum quoque est Christum nulla in Patria sua patrâsse Miracula & multò plus falsum est, Eum non potuisse ibi Miracula patrare, nam apud Math: cap: 13. dicitur: *& non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum*, quia scilicet non credentes primis Miraculis, indigni erant, ut alia, & majora reciperent. Dicitur quidem Marci cap: 6. *& non poterat ibi virtutem ullam facere*, verum hoc non est intelligendum de absoluta impotentia, quasi absolutè non potuisset Christus in Patria sua Miracula facere, quia statim superadditur, *nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*, quod etiam sine Miraculo, & Divina virtute fieri non poterat, sed intelligendum de inconvenientia morali, ut proinde sensus sit, non decuisse, neque conveniens fuisse Christum Miracula multiplicare apud eos, qui primis fidem denegabant.

Quæres 12. Quod est præcipuum Christi Miraculum, quò ejus Divina doctrina, ac instituta Religio corroboratur?

Resp: Præcipuum Christi Miraculum, quô Divina ejus doctrina atque Religio comprobatur, ac corroboratur, est Ipsius prodigiosa Resurrectio. Ut verò indubia sit Resurrectio Christi, duo sufficiunt, ut Apostoli circa Christi Resurrectionem, quam crediderunt, atque ubique prædicaverunt decipi non potuerint, neque etiam alios decipere voluerint. Porrò circa Resurrectionem Christi, quam Apostoli firmissimè crediderant, & ubiquè constantissimè

præ-

prædicaverant. 1. decipi non potuerant, siquidem à credenda Christi Resurrectione Apostoli fuerunt alienifsimi, ei credendæ magnoperè contrarij, diù, & nimiùm illam expenderunt, & nonnisi summa facti istius evidentia adacti, ac impulsi, illam tandem crediderunt. Historica hujus prodigiosi facti narratio, hæc omnia luculentifsimè evincit. Resurrectionem Christi primo annuntiant, Maria Magdalena cum cæteris Mulieribus, quæ ad monumentum fuerunt, quid tunc Apostoli, *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis*, tùm duo ab Emaus reversi, qui Christum in fractione panis agnoverunt, nuntiaverunt cæteris ipsum Resurrexifse, nec illis crediderunt. Apparet ipse Christus in medio Discipulorum, conturbantur, existimant se Spiritum, seu phantasma videre, sed necdum credunt. *Ostendit eis manus, & pedes, & latus, sed adhuc illis non credentibus*, ut omnis abigatur suspicio ac dubitatio, petit Christus *aliquid quod manducetur* & tunc quidem crediderunt, at Thomas qui dicitur Dydimus non credidit, sed & ipse demùm postquam cicatrices redivivi Salvatoris attrectavit plenè credidit, & exclamavit *Dominus meus, & Deus meus*. Ex quibus apparet Apostolos post multa ac prodigiosa signa, quibus Christus se verè redivivum illis probaverat, Resurrectionem Illius plena fide credidifse. Ergo in illa credenda decipi non potuerant, maximè quia ad illam recognoscendam nihil ipsis aliud opus fuerat, quam occulis, cæterisquè sensibus quibus illum ipsum efse agnoscerent, quocùm prius vixerant. 2. Neque etiam Apostoli circa Christi Resurrectionem alios decipere voluerunt, quandoquidem nullum aliud suæ fraudis reportabant aut sperare poterant præmium, quàm labores, ærumnas, persecutiones, carceres, flagella, & ultimùm demùm mortis supplicium. Et hæc fuerunt ipsis sæpiùs à Christo prædicta, atque hanc prædictionem adimpleri videbant, tùm in aliis, tùm quilibet in seipso, & tamen omnes constanter usque ad mortem Christi Resurrectionem, ut rem certifsimam prædicàrunt.

Sed veritas Resurrectionis Christi magis exinde comprobatur, quod illam Apostoli publicè deprædicaverunt, coràm omnibus Judæis, à quibus, si quid hic fraudis efset, falsitatis ac deceptionis argui, ac facilè convinci poterant. Sic Petrus ipsò die Pentecostes Jerosolimis ad numeros in multitudinem primam faciens Concionem, Christum vere Resurrexifse affirmat, & adducto Davidis Vaticinio probat. *Hunc per manus iniquorum affigentes in-*

ter-

teremistis, quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni. Actor: cap: 2. & in altera Concione in porticu Salomonis ad populum habita, postquam nuditer Judæis exprobravit, *vos Sanctum & justum negastis, auctorem vitæ interfecistis.* Actor. cap. 3. clarè Christum Resurrexiſse affirmat, suô & aliorum Apostolorum testimoniô id confirmans. *Quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus*, & nihil magìs dolebant Sacerdotes, Magistratus, & Saducæi, quam quod Apostoli *docerent populum, & annuntiarent Jesu Resurrectionem ex mortuis.* Actor: cap: 4. sed quamquam ob id manus in eos violentas injecerint, & posuerint eos in custodiam, verùm tamèn in Concilio Principum, & Seniorum, & Scribarum constituti Petrus & Joannes, ac interrogati, in qua virtute claudum ex utero Matris suæ sanaverint, Petrus repletus Spiritu Sanctô, cum omni fiducia respondit: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis.* Quis tunc, fraudis, falsitatis, deceptionis hac in re redarguit Apostolos? Nemo: cognoverant Principes ceteriquè in Concilio, Petrum & Joannem fuiſse cum Jesu, facilè itaque mendacij convincere eos poterant, si reverâ Christus non Resurrexit, nihil tamen mali tunc contigit Apostolis, sed tantum illis *denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.* Et Paulus Apostolus ubicunquè in Synagogis Judæorum, in Conciliis eorum, apud Magistratus, ac Præsides Gentium doctrinam Christi prædicavit, ubiquè imprimìs Religionis Christianæ fundamentalem veritatem illis annuntiabat, nimirum Christum mortuum fuiſse, ac tertia die Resurrexiſse. Quod & ceteri Apostoli in suis etiam Scriptis Epistolis præstiterunt. Tandem Sanctiſsima mors Stephani Apostolorum Discipuli, qui *intendens in Cœlum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei,* Actor: cap. 7. & prodigiosa Pauli conversio, evidentiſsimè probant Christum mortuum fuiſse, ac à mortuis verè Resurrexiſse, tandem in Cælos ascendiſse.

Et verò si modernos sciscitemur Incredulos, incredibile est Christúm à mortuis resurrexiſse, attamen Christi Resurrectionem totus mundus credidit, quod ipsi increduli vident, & frustra dolent. Ergo cum rem planè incredibilem omnes crediderint, eam crediderunt rei evidentia, inusitatis prodigiis, & multiplicibus Miraculis, quibus veritas Christi Resurrectionis demonstrabatur, comprobabatur, compulsi, atque vel inviti adacti, eam crediderunt.

Igi-

Igitur indubitata, constans, ac firmiſsima veritas est, Christum à mortuis verè Resurrexiſse. Meritò igitur Augustinus Libro 22. de Civit: Dei cap: 5to scripsit. *Tria sunt incredibilia, quæ tamen facta sunt, Incredibile est Christum Resurrexiſse in carne, etiam cœlum ascendiſse cum carne, incredibile est mundum, rem tam incredibilem crediďiſse. Incredibile est homines ignobiles, infirmos, pauciſsimos, imperitos rem tàm incredibilem, tàm efficaciter mundo, & in illo etiam doctis persvadere potuiſse.*

Objicies 1mo. Christus non fuit verè mortuus, undè Josephus, & Nicodemus adhuc vivum invenerunt, Eumque sepelire simulantes, medicamentorum ope, sanitati restituerunt, idque ex eo infertur, quia latrones cum Christo crucifixi tunc adhuc mortui non erant, cum ipse jam mortuus reputatus est; quare & Pilatus Christum jam obijſse miratus est. Lapis quoque sepulchralis signatus fuit, & custodes adhibiti sunt, nonnisi alterâ die post Parasceven, cum jam sepulchrum vacuum fuerat, *2do.* multæ circumstantiæ falsitatem Resurrectionis manifestè ostendunt. Siquidem Matheus refert Mulieres ad sepulchrum veniſſe vespere Sabbati, Marcus orto jam sole, Joannes cum adhuc eſsent tenebræ, Matheus etiam refert Angelum Mulieribus Christi Resurrectionem nuntiâsſe, Joannes autem dicit, Magdalenam, cum Domini corpus non inveniſset in sepulchro, cucurriſse ad Petrum & Joannem, lamentabiliter conquerens. *Tulerunt Dominum de monumento, & nescio ubi posuerunt Eum:* quod certè dicere non potuiſset, si ab Angelo didiciſset Christum resurrexiſse. *3tio.* Si Christus verè resurrexit à mortuis, quare non apparuit Sacerdotibus, Pharisæis, invincibile tunc Suæ Divinæ miſsionis dediſset testimonium.

Resp: ad 1mum. Christum fuiſse verè mortuum, inde certiſsimum est, quod toto inspectante populo exspiraverit, Ejusqué latus lancea fuerit perfoſsum, & Pilatus corpus Jesu conceſsit Nicodemo tunc primùm, ubi à Centurione cognovit Eum jam eſse mortuum. Verosimile etiam non est Phariseos, qui Christum etiam post mortem persequebantur, sepulchrum signâſse, non adhibita omni cautella, ac diligenti pervestigatione, an corpus Christi ibi repositum iaceret, quoniam eô unicè fine & sepulchrum signârunt, & custodes apposuerunt, ut dolo & & fraudi Discipulorum Christi, quam, etsi inique suspicabantur, & â qua multum sibi timebant, obviarent, accedentes siquidem ad Pilatum, sic eum allocuti sunt: *Re-*

cor-

cordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens. Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in tertium diem, ne forte veniant discipuli Ejus, & furentur Eum: Math: cap: 27. Non ergo dolo & fraude Discipulorum corpus Christi è sepulchro ſublatum est, antequàm illud signaretur, & custodes apponerentur, ſed potiùs fabula fraudis, ac doli, quasi præsentibus jam custodibus ſed dormientibus à Discipulis corpus Christi è Sepulchro furto ſublatum fuerit, à Pharisæis conficta fuit. *Dicite*, inquiunt ad Custodes Principes Sacerdotum, & Pharisæi, *quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt Eum vobis dormientibus Math: 28.*

Ad 2dum. Apparentes istæ contradictiones veritatem Historiæ Resurrectionis Christi minimè infirmant, sed probant potiùs Evangelistas non ex condicto compilàſse historiam Evangelicam, ſed ex veritate factorum scriptam fuiſse, verum & istæ leves atque apparentes contradictiones, quæ substantiam rei, tot tantisqué argumentis robaratam, infirmare nequeunt, facillime conciliantur. Et quidem *1mo.* quod Mathæus dicit *vespere Sabbati*, ex Græso significat, in fine ſabbati, seu transacto Sabbato, quare etiam Marcus posuit, *cum transiſset Sabbatum* jam verò quod Marcus dicit veniſse mulieres ad sepulchrum *orto jam sole*, ex originario textu pariter græco intelligi debet oriente, sive orituro sole, & hoc convenit, cum Joanne qui refert tunc adhuc fuiſse tenebras, quæ tamen sole oriente diſsipari incipiunt. Unde juxta prædictos tres Evangelistas, sic se habet tota relatio. Transactô Sabbatô, cumqué illud jam præteriiſset, & cum adhuc mox orituro, aut jam oriente ſole, tenebræ eſsent, venerunt Mulieres ad sepulchrum, *2do.* nequê etiam contradictio est in iis, quæ de Magdalena referuntur. Joannes testis occulatus nonnullas circumstantias refert, quas Mathæus prætermisit. Nam Mathæus omiſsis iis, quæ priùs à Joanne relata contigerunt, ſolùm refert, Mulieres ab Angelo Resurrectionem Christi, didiciſse. Joannes verò, illa etiam quæ ante Angelorum colloquium contigerunt accuratiùs exponit, omnibus ergo ſuo loco positis omnis difficultas evanescit. Scilicet primo venit Maria Magdelena ad sepulchrum, & non inventô corpore Domini, ut scribit Joannes, cucurrit ad Petrum & Joannem, coràm illis de ſublatione ipsius conqueritur, ac cum Discipulis ad sepulchrum rediit, postquam autem Petrus & Joannes inspectione facta, iterûm abierunt ad semetipsos, Maria Magdalena sta-

stabat ad monumentum foris plorans, & tunc conspexit duos Angelos in albis sedentes, à quibus tum ipsa, tum aliæ Mulieres, Christum resurrexiſse edoctæ fuerunt.

Ad ztium. Cùr Christus post ſuam Reſurrectionem nonnisi Apostolis, & diſcipulis suis, non autem Scribis & Pharisæis apparuerit, non facilè indagari poſse inscrutabilia Judicia Dei. Voluit Christus, ut inquiebat Petrus Actor. cap: 10mo. manifestus fieri: *non omni populo, ſed testibus prœordinatis à Deo.* Deinde Judæi, Scribæ ipsi & Pharisæi, satis aliunde de Christi Resurrectione cærti eſse potuerant. Nam & mortuó Christô ut scribit Mathæus cap: 27. monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis. Custodes quoque Sepulchri venerunt in Civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerunt circa Sepulchrum, terræ scilicet motum magnum, revolutum lapidem ab ostio monumenti, apparitionem Angelorum. Si his non crediderunt, ſed ad mendatia, dolosè â se conficta, confugerunt, fortè nec ipsi Christo apparenti credidissent.



CAPUT QUARTUM

De cœteris à Christiana diversis Religionibus.

Quœres. Quœ sunt aliœ à Christiana diversœ Religiones?

Resp: A Christiana diversæ Religiones præcipuæ sunt Judæorum recens Religio, Gentilium, Persarum, Sinensium & Mahumedanorum.

ARTICULUS 1mus.

De recenti Judœorum Religione.

Quœres 1. Quis sit status recentis Judœorum Religionis?

Resp:

Resp: Religio Judaica recens, post Christi in Cælum Ascensionem inter Judæos obtinere cæpit, & hucusqué perstitit. Hodiernam Judæorum Religionem valde efse corruptam, nemo inficias ibit, qui dogmata eorum cum fide priscorum illorum Patrum, & Vaticiniis Prophetarum comparaverit. Hæc autem corruptio jam ante Christum natum incepit, ejusque origo præcipué debetur exortis inter Judæos sectis. Tres porro erant apud Judæos Sectæ Saducæorum, Efsenorum, sed præcipuè Pharisæorum quibus succefsu temporis novæ accefserunt, quarum insigniores sunt duæ Rabbanitarum, & Karæorum. Distingvuntur Rabbanitæ à Karæis in eo, quòd præter legem scriptam, adstruant legem traditam, quam à Deo Moysi, cum per quadraginta dies in monte Sinai versaretur, ore traditam efse existimant, atque in exponenda lege Mosaica potifsimum sensum allegoricum sectantur. Karæi verò tantum legem scriptam admittunt reiectis Traditionibus, atquè nonnisi unicum sensum literalem; in expositione Sacræ Scripturæ agnoscunt. Inter has duas sectas odia, & difsidia perpetua sunt. Numerus tamen Rabbanitarum longè major est quam Karæorum.

Quæres 2. Unde Ortum habent Rabbanitæ & Karæi?

Resp: Pharisæi quemadmodum constat ex historia Evangelica Traditionum erant tenacifsimi. Hæc Secta post Urbis Jerusalem eversionem sese conservavit, & Scholæ Judæorum in Palestina magnam conciliavit auctoritatem, maximè Traditionibus Majorum, quas Sæculo 2do vel ad initium Sæculi 3tij in unum volumen collegit Rabin Jehuda Hahkadosch; huic collectioni quæ dicebatur Mischera, id est Lex secunda, ejusdem discipuli, & sectatores Sæculo 4to addiderunt expositionem, Gemara appellatam, quæ utpotè idiomate in Palæstina, & Urbe Jerosolymitana usitata conscripta, dicta fuit Hierosolymitana. Huic Judæi, qui erant Babylone, novam addiderunt expositionem, quæ dicta fuit Babylonica; Mischna, unà cum Gemara Hierosolymitana, & Babylonica dicitur Talmud Hierosolymitanum, aut Talmud Babylonicum. Talmudem, & Traditiones in eo contentas; tamquam Divinas maxima pars Judæorum, Rabbanitæ scilicet venerantur. Doctrina Religionis Rabbanitarum in tres distingvitur partes. *Pars prima* complectitur sanctiones, ac ritus cultûs Divini in Talmude potifsimùm determinatos. *Pars secunda.* Exhibet leges exponendi Sacram Scripturam, ubi maximè attenduntur Targumin, & Masora. *Pars tertia.* Complectitur Articu-

los Fidei, & Caballam. Est autem Caballa doctrina de Mysteriis, & artibus occultis, quæ distingvitur in theoreticam, & practicam, atque insulsa admodum, & fabulosa plurima in se continet. Karæi autem qui rejecto Talmude, & Traditionibus in eo contentis, solùm Moysis, & Prophetarum Libros tamquam Sacros, venerantur, harumqué lectionem commendant, originem debent iis Judæorum, qui Sæculo 5tio præeunte Rabi Anan Ben Schiphthi, Rabbanitarum Traditiones impugnârunt. Ab hoc tempore separati à reliquis Judæis Sacra sua peragebant, atque in Asia potissimùm, & Palestina sedem fixerant. Sæculo 8vo de novo auxit numerum, & authoritatem Karæorum Rabi Anan Ben David, quamvis respectu Rabbanitarum semper minor fuerit numerus Karæorum, & ab illis semper fuerunt graviter vexati, præsertim ij, qui ex Oriente in Poloniam abierunt. Ceterùm in dogmate principali de Messia, quemadmodùm & Rabbanitæ à Christianis dissentiunt, eundemque adhuc venturum expectant.

Quæres 3. Quæ sit sors modernorum Judæorum?

Resp: Præsens sors Judæorum adeò est misera, & dolenda, à tempore destructæ Urbis Hierosolymitanæ, sinè Rege, sinè Duce, alienis subditi Gentibus, in hunc usquè diem exules per Orbem dispersi, maximas perpessi sunt calamitates. Sortem hanc & conditionem miseram, ipsimet ingenuè fatentur Judæi. Sic Rabi Abarbanel vocat Judæos *populum vilem & contemptum, venditum in perpetuam servitutem.* Rabi Manasse Ben Jsraël hæc habet *Miseria nostra longe pejor est parturientis feminæ, quippe illa tandem partu infantis sese consolatur, at nostræ calamitatis nullus est finis.* Porrò causam istarum erumnarum, alii peccata populi Judaici, alij violationem Sabbati, alij & benè multi ex doctissimis Rabinis, cædem & rejectionem Jesu Nazareni esse existimârunt. Ita Maimonides in libro Saphrim: ait. *Jesus Nazarenus visus est esse Christus, & occisus est à Senatu, & causa extitit, ut Jsraël vastaretur gladio,* & in Ezechielem scribens hæc habet. *Hic Jesus Nazarenus causam dedit ut perderetur Jsraël gladio, & dispergerentur reliquiæ ipsorum, & humiliarentur ipsi, & mutaretur lex.* Et Rabi Samuel in libro de errore Judæorum circa observantiam legis, docet. *Quartum scelus Jsraël fuit venditio justi, scilicet Jesu, qui ad litteram fuit venditus post transmigrationem septuaginta annorum, & super illo peccato justè sumus puniti.*

Quæres 4. Quæ sint dogmata modernorum Judæorum?

Resp: Principale dogma Judæorum est de Meſsia, quem adhuc venturum expectant, verùm circa istud dogma opiniones Judæorum diversæ ac sibi quam maximè oppositæ sunt. Alij siquidem duplicem statuunt Meſsiam, quorum unus Filius Josephi, alter Filius Davidis eſset. Alij Meſsiam potentiſsimum terræ Principem fore existimant. De tempore autem adventûs Meſsiæ, Judæorum sententiæ sunt merum opinionum chaos, & cum hactenùs spe sua frustrati fuerint, varias continuò protracti hujus adventûs causas aſsignârunt, maximè peccata populi Judaici, & neglectam pænitentiam. Plerique tamen Meſsiam jam adveniſse existimant, nondum tamen sese hominibus manifestâſse, sed vel in horto Eden, vel ad portam Urbis Romæ inter leprosos latitare; nonnulli rotunde affirmant tempus adventûs Meſsiæ ab homine nullatenùs sciri poſse.

Quæres 5. Qui sunt errores Judæorum?

Resp: Præter capitalem errorem circa adventum Meſsiæ, absurdos, craſsosqué in Talmude contentos profitentur errores. Et quidem 1. absurdiſsimus est illorum error, quia suum Talmud Scriptis Moysis & Prophetarum æquiparunt, imo etiam præferunt. 2. docent legem admittere Septuaginta expositiones, & eundem Scripturæ versum, sexcenta millia interprætationum suscipere, unde etiam absurdiſsimas expositiones commenti sunt. 3. de Deo planè indigna ac impia fabulantur, cujusmodi sunt. 1. quod Deus quotidie lugeat tùm Judæorum captivitatem, tùm quòd eos hinc eruere non poſsit, unde præ dolore capillos capitis sui violenter evellit. 2. quod idem Deus enixè efflagitet absolvi à jure jurando, quô spopondit se Judæos in captivitate relicturum. 3. quod Deus sic vitæ suæ momenta dividat, ut per horas tres legi addiscendæ studeat, per tres subsequentes eandem doceat infantes, qui antè adultam ætatem obierant, per tres alias nugetur cum Leviathan, ac demum per totam noctem invisat octodecim millia mundorum, quos creavit. 4. quod Deus longævi otij impatiens, antequàm Orbem hunc crearet, tempus insumeret in perpetua mundi alterius creatione, & destructione.

Quæres 6. Quod igitur sentiendum est de moderna Judæorum Religione?

Resp: Præsens Religio Judæorum, à primitiva quam Deus per Moysen constituit longè distat, corrupta, ac erroribus craſsiſsimis fædata est; quod si primitiva pura, & immaculata ceſsavit, atque abrogata est, magis hæc locum habere nequit. Et verò dogma principale, & præ-

cipuum

cipuum Religionis quam modo profitentur Judæi est spes, & expectatio venturi Meſsiæ, porrò certiſsimum est Meſsiam jam adveniſse, & hunc eſse Jesum Nazarenum. Ergo moderna Religio Judæorum à vero longe aberrat. Prætereâ antiquam Religionem Judæorum abrogatam eſse ipsi videmus. Templum destructum, Sacrificia ceſsârunt, nova lex & Religio Christi ei succeſsit, quemadmodum Prophetæ prænuntiârunt. Ergo vana est moderna Judæorum Religio. Et certè Religio cujus Doctores invasit Spiritus erroris, & vertiginis, vera eſse nequit. Ubi enim malè docent Doctores, malè credunt populi. Porrò Religionis Judaicæ Doctores invasit Spiritus erroris, & vertiginis, ùt patet ex adductis mox erroribus. Vera igitur hæc Religio eſse nequit.

ARTICULUS 2dus.

De Religione Gentilium.

Quæres 1. In quo sita est Religio Gentilium?

Resp: Religio Gentilium tota in idololatrica superstitione posita erat, atquè illorum capitalis error in eo erat quod innumeram fère multitudinem Deorum ac Dearum colerent. Ad triginta & ampliùs millia Deos, Deasquè numerabat olim Hesiodus, & ubi prisci homines insipientes facti, veri Dei notitiam oblivione delere cæperant, obtusa ratione, primum cælo, soli, lunæ, & astris Divinos tribuerunt honores, deinde in malis procedentes, hominum formas, tùm viventium, tùm mortuorum inter Deos retulerunt, posteâ verò lapides, & ligna, reptilia, aquabilia, feras, bruta pro Diis coluerunt, ac demùm ultra progreſsi ea, quæ nullo modo eſsent, commenti sunt, ut sibi Deos facerent, humanam enim formam cum brutis animantibus permiscentes, naturasquè diſsimiles simul connèctentes fictos Deos fabricati sunt. Atquè ut nullus eſset iniquitatis finis, voluptatem, & cupiditatem ùt Deos adoraverunt, cujusmodi erat Venus, & nonnulla alia Numina.

Dij vero quos ex hominibus Gentiles coluerunt, ùt plurimùm scelestiſsimi erant, Jovis incæstuosus, impudica Venus, libidinosus Apollo, superba & invida Juno, Mercurius fur, ebriosus Bacho, & aliis alia absurdiſsima attribuebant flagitia, quarè etiam turpiſsima iis immolabant

Sacrificia, cùm omni lascivia, atque immanissima impietate proprios infantes igne cremando, ac alios homines enecando.

Quæres 2. In quot classes dividebantur Dij Gentium?

Resp: Deorum quos Gentilitas colebat non una erat classis, quidam enim vocabantur Dii majorum Gentium, inter quos divisum esse rerum omnium imperium, rudi præsertim populo persvasum erat. Jupiter Cælum, & terram, Neptunus mare, Pluto tristes inferorum umbras regere credebatur. Imó inter hos ipsos supremus dignitatis gradus Jovi tribuebatur, quem propterea hominum, Deorumqué Patrem communiter appellabant. Sed & Dæmonibus Gentiles Divinos tribuebant honores, prout sæpiùs Sacra commemorat Scriptura videlicet Deuter. Cap. 32. *immolaverunt dæmoniis, & non Deo* & Psalmo 95. *quoniam omnes Dii gentium Dæmonia*, ac demum 1. Corinth: cap: 10. *quæ immolant Gentes, dæmonis immolant, & non Deo.* Deos enim malos placandos esse putabant ne lædant, bonos autem invocandos, ut adjuvent,

Quæres 3. Quâ ratione Gentiles adorabant idola sua?

Resp: Non unô modô cæca Gentilitas in superstitioso suorum idolorum cultu peccabat. Quidam enim simulacra manufacta veluti Deos colebant, quod multis Sacræ Scripturæ locis declaratur, & id luculenter asserit Jeremias cap: 2. *Dicentes ligno, Pater meus es tu, & lapidi tu me genuisti.* Jsaias autem Idololatrarum insaniam ita pulchrè describit cap: 44. *Artifex lignarius sumpsit ex lignis & calefactus est, & succendit, & coxit panes, de reliquo operatus est Deum, & adoravit, fecit sculptile, & curvatus est ante illud, medium ejus combussit igni, reliquum autem ejus Deum fecit, & sculptile sibi, curvatur ante illud, & adorat illud & obsecrat dicens, libera me, quia Deus meus es tu.* Quod posteâ imitatus est Horatius ità idololatras suas irridens libro 1. Sati 8. *Olim truncus eram ficulneus inutile lignum. Cum faber incertus scamnum faceret ne Priapum. Maluit esse Deum, Deus inde ego.* Quare rudiores atque crassiores ex Gentilibus, idolis, ac simulacris suis Divinitatem inesse arbitrabantur, quorum sensum, & mentem egregiè expressit Author libri Sapientiæ toto capite 13. quod & Jamblicus probare studuit, dum & statuas Divini quidpiam esse, iisqué Numen asside re voluit. Sapientiores attamen, maximè Philosophi statuis & imaginibus utebantur duntaxat ad falsas suas Divinitates exprimendas & colendas, in eo tamen gravissimè pec-

peccabant quod Divinos honores Saturno, Jovi, Apollini, Marti, Junoni, Veneri, Baccho, aliisqué hujusmodi mendacibus Numinibus tribuerent, cum hi omnes mortales homines fuerint, & quidèm multis, magnisqué criminibus polluti.

Quœres 4. Quando cœpit Idololatria?

Resp: Quæ fuerit Idololatriæ origo, & quando ipsa cæperit non est facilè determinare, utrùm ante Diluvium extiterit Idololatria omnino ignotum ac incertum est, sed pauló post diluvium non minùs certum, quam mirabile est, veri Dei notionem, atque cultum, quam Noe filiis, & nepotibus suis purifsimam tradidit, fuifse fæda idololatrica superstitione corruptam adeô, ut si Josepho fides adhibeatur libro 1. Antiq: Judaic: cap: 7. Abraham, cujus nativitas contigit eo tempore quo mortuus est Noe, scilicet anno tercentesimo quinquagesimo post diluvium, primus ausus sit declarare unum efse Deum rerum omnium Opificem. His conformia sunt ea quæ in libro Judith leguntur scilicet Israelitas exiifse de terra Chaldæorum, *quoniam noluerunt sequi Deos Patrum suorum qui erant in terra Chaldœorum.* Unde S. Augustinus libro 16. de Civit. Dei cap: 13. afserere non dubitavit, domum Thare persecutionem pafsam fuifse à Chaldæis pro vera pietate, quâ unus ab eis & verus colebatur Deus. Ab eo autem tempore ita superstitiosus Idolorum cultus longè, latèqué grafsatus est, ut ipse Cicero verè dicere potuerit libro 2. de Divinat: cap: 27. *Superstitio fusâ per Gentes oppreſsit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit.*

Quœres 5. Quid de Gentilium Religione sentiendum sit?

Resp: Religionem Gentilium vanam, falsam, ac impiam efse, vel ipsa naturalis ratio ostendit, & evincit. Enimveró ratio ipsa naturalis nonnisi unicum ostendit efse Deum, in omni perfectionum genere infinitum. Porrò Gentilitas innumeros adorabat, atque colebat Deos, eosqué fcelestifsimos, turpifsimos, atque nefandos. Ergo Religio Gentilium vana & falsa est. Sed est etiam impiifsima, quia Gentiles fcelestos fuos Deos pernefanda scelera colebant, colebant eos ritibus abominandis, & supra omnem modum obscenis, qui & crudelitatis, & immanitatis pleni erant. Ratio autem ipsa naturalis ostendit Deum colendum efse cultu Sancto, puro, honesto, qui & hominem deceat, & Divinæ naturæ conveniens, atque competens sit. Ipsa ergo-

go ratio naturalis ostendit, ac evincit Religionem Gentilium vanam, falsam, ac impiam eſse.

Objicies 1. Celsus, Porphyrius, & Julianus commonstrârunt Gentiles reipsâ credere, & adorare unum Deum, atque tot Deos, Deasqué, eſse unum supremum Deum, ex diversis attributis, viribus, effectibus, sub diversis vocabulis adoratum. 2. Religio Pagana viros peperit moribus celebres. Quod enim majùs specimen pudicitiæ, quàm in Lucretia, fidei ipsis etiam hostibus datæ, quàm in Regulo, sobrietatis & temperantiæ quâm in primoribus Romanis. 3. Religio Gentilium Miraculis suffulta est, per annos bis mille sua habuit oracula, quæ & animi sensa penetrarent, & occulta revelarent, & futura prædicerent. Ergo mendax & falsa eſse nequit.

Resp: ad 1mum: Ejusmodi interpretationes Philosophi Gentiles exorto Christianismo primum excogitârunt, easqué planè ignoravit populus Gentilis, cui etiam ipsi Philosophi idololatriæ exemplum præbuerunt, & quamvis nonnulli ex illis unum quemdam summum Deum agnoverint, eidem tamen alia Numina adjungere non dubitârunt, ad plebei cultus deliria sese accomodârunt.

Ad 2dum. Ad veram virtutem non sufficit, ut grandia quædam perpetrentur, ad id enim satis eſse potest Spiritus superbiæ, & immensa laudum cupido, sed ex fine potiſsimum legitima eſse oportet, quare etsi Gentiles nonnulla recta & docuerint, & fecerint, quia tamen non ad Deum velùt ultimum finem, quem craſsè ignorabant, sed ad alios, ac communiter malos, ac perversos referebant, vitia magis erant, quam rectè facta, quare perpetua apud Gentiles, boni maliqué commixtio. Fædatur Lucretia nolens, & dolori impar, se enecat. Servat fidem Attilius Regulus, sed gloriolæ vanitate illectus. Sobrietati & temperantiæ student Romani milites, sed interim Orbem depopulantur. Sed quamquàm ex Gentilibus aliqui plenam virtutis laudem meruiſsent, at quemadmodùm Arnobius libro 2. contrà Gentes scripsit, *audire deposcimus quot sint, aut fuerint numero. Unus, duo, tres. At genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex ceteris omnibus estimari convenit.*

Ad 3tium: Miracula Gentilium partim falsa sunt, partim certis historiæ monumentis non innituntur, imò nec fuerunt ab ipsis cordatioribus inter Ethnicos credita, partìm etiam talia, quæ vim hominum aut dæmonum non superant, adeòqué vera Miracula dici non poſsunt. Unde Isidis curationes nihil aliud erant, quam operationes Sacer-

cerdotum, qui medendi arte præstabant. Æsculapius quoquè insignis erat Medicus, & propter eximiam hujus artis peritiam, ut Deus habitus fuit. Sed longè plura jactata apud Gentiles Miracula, fraudibus, imposturis adscribî debent, quia clam, in angulo, coram paucis facta efse dicuntur, fabulis quoque, mendaciis, ac incertis rumoribus plena sunt, atque ultrò ab Auctoribus conficta, quare Cicero libro 2do de Divinat: Cap. 38. fcripsit: *omitte lituum Romuli, quem in maximo incendio neges potuifse comburi, contemne cotem Attii Navis, nihil debet efse in Philosophia commentitiis fabellis.*

Quantum verò Vaticinia attinet, quò plura oracula apud Ethnicos spargebantur, eò minorem apud Sapientiores ex Gentilibus fidem inveniebant, quâ de re satis est legere Ciceronis librum 2dum de Divinat: ubi Augures, & Vates ipse irridet. Observat etiam plerumquê oracula hujusmodi fuifse ita ambigua, & obscura, *ut interpræs egeret interpræte, & sors ipse ad sortem referenda efset*, nonnunquam autem ita flexiloqua, & æquivoca, ut cuiquè eventui adoptari pofsent. Prætereâ multa Vaticinia dæmonum ope edi poterant, isti enim acutifsimi, ac sagacifsimi Spiritus, plurima ex causarum combinatione prævidere queunt, atque prædicere. Et re ipsa multa fuifse ope dæmonum prædicta, vel ex eo liquet, quod post Christi adventum celebriora apud Ethnicos oracula repentè siluerint, proút scribunt Tertullianus in Apologet Cap: 22. Minutius Felix in Octavio & Eusebius libro 4. Præparat. Evangelicæ. Demum aliquæ prædictiones naturali hominum prævisioni tribui debent, aut casu fortuito adimpletæ fuerunt.

ARTICULUS 3tius.

De Religione Persarum, Indorum, atque Sinensium.

Quæres 1. Quæ & qualis est Religio Persarum?

Resp: Religio Persarum, sive Magorum paucos hodie in Persia, & India cultores habet. Veteres Persæ, plures Deos, & ignem adorabant, atque Zoroastrem Prophetam venerantur. Persarum liber Sacer dictus Zendavesta, cujus operis author efse traditur Zoroaster Persarum Propheta. Opus hoc, quod ad duo millia annorum ascendere creditur, continet plures absurdas, & ineptas sen-

sententias, atque non obscura Judaismi, & Manichæismi vestigia, præscribuntur insuper ritus superstitiosi, qualis est de urina Vaccæ, quæ Sacrum purgationis medium dicitur. Quæ verò de Zoroastre referuntur, adeô tenebris involuta sunt, ut sex omnino Zoroastres aſsumere opus sit, atque id unicum certum eſse videtur, extitiſse aliquando Zoroastrem Persarum Magistrum, quô autem tempore certum non est.

Quæres 2. In quo sita est Religio Indorum?

Resp: Summa Religionis Indorum hæc est. 1. Licét Deum unum ſupremum statuant, pluraqué egregia morum præcepta illorum Religio contineat, simul tamen præter Deum unum supremum, adstruunt plures Deos inferiores, quibus Mundi gubernatio incumbit, Dii autem quos colunt tres præcipuè sunt, scilicet Brama, Jsuris, & Visehon. Colunt insuper & Dæmones, ne iis eorumqnè rebus noceant. Deo summo uxorem adjungant, & plura de Diis, quæ risu digna sunt, fabulantur. 2. Cultum ipsum quem Diis exhibent, quod concernit, pars illorum qui Deum Jsurem adorant, signum præcipuum adorationis suæ eſse putat, frontem inungere combustis vaccarum stercoribus, pars altera colentium Deum Vischon honoris caûsa frontem inungunt terra rubra. 3. Crudeles, & spurias observant ceremonias. Sic uxores de mortuis maritis ſemetipsas in ignem præcipitare debent, nisi omnibus per reliquam vitam abominationi eſse velint. Sacrificuli verò in templis alunt puellas, quœ prostibulorum instar in honorem Deorum omnibus communes sunt. Libri Sacri Indorum sunt Vedam, & Ezourvedam. Vedam est ipse liber Sacer, quem tamquam opus Divinitus inspiratum venerantur Brachmanes, Indorum Philosophi. Ezourvedam est commentarius in Vedam, in his tota Religio Indorum descripta continetur. Vedam præter Sacrificulos nullus unquam mortalium vidit, aut legit, atque hinc ipsa operis existentia indubium vocari potest. Commentarius quoquè in Vedam, Ezourvedam multa continet erronea, superstitiosa, atque craſsam prodit ignorantiam. Multa quoquè occurrunt, quæ produnt authorem Europeum, aut quemdam ex recentioribus Braminis, quia luculenter apparet illum notitiam habuiſse Religionis Judaicæ, Mahumedanæ, atque Christianæ.

Quœres 3tio. Quæ, & qualis est Religio Sinensium?

Resp: Religio Sinensium tres complectitur sectas, quorum Prima & antiquiſsima descendit à Fohy, qui mille

le annis ante Chrístum in Jndiis natus traditur, ejusqué secta monstrosæ magnitudinis idola adorat, admiſsa etiam Mettempsycosi. *Altera* ſecta introducta est à Leo - kiar annis circiter sexcentis ante Christum natum, in qua paritèr obtinet cultus Jdolorum, & sequentia profitentur dogmata. Deum eſse materialem, animam cum corpore mori, Deos existere subalternos, & alia quam plurima falsa, atque erronea. *Tertia* est secta Confucij celeberrimi Jndorum Philoſophi, annis circiter quingentis ante Christum nati, cujus Religio hæc est. 1. Ratio hominis est emanatio cælestis, & Divina, 2. lex est homini infusa, & Cæli donum, 3. homo debet se dirigere ſecundúm tres regulas, debet nempè colere parentes, colere Principes, proût coli volunt, & amare æquales, atque quod sibi, fieri volunt, iis facere. Sed nihil docet de Deo ejusqué cultu, nihil de futura vita, & ultimo hominis, actionumqué ipsius fine. Turpiſsimis etiam hæc Religio conspurcata est erroribus, quia Sinenses etiam Sapientiores Confucio altaria erigunt, & certis diebus eidem Sacrificia offerunt, atque infantes paſsim exponi & occidi permittunt.

Libri Sacri Sinensium ſunt Scripta Confucij. Hunc fuiſse hominem fanaticum observant viri eruditi, idololatriæ, & Divinationum fautorem. Scripta verò ejus ſunt farrago rerum inutilium, quæ nullam merentur attentionem, nullibì in illis occurrit instructio de Dei unius existentia, ſed potiùs Jdololatria commendatur. Ex his solis jam patet, quantùm Naturalistæ, qui in odium Religionis Christianæ, Jndorum & Sinensium Religionem tantopere extollunt, fallunt & falluntur.

ARTICULUS 4tus.

De Religione Mahumedana.

Quæres 1mo. Quis sit Author Religionis Mahumedanæ?

Resp: Author Religionis Mahumedanæ est Mahumedes Arabs, Meccæ in Arabia anno 571. natus ex nobilissima Koreishitarum familia oriundus. Erat vir litterarum quidem rudis, natura tamen fæcundus, & formæ elegantia conspicuus. Anno ætatis ſuæ quadragesimo prophetam agere cæpit, hominibusqué persvadere conatus est, se à Deo ad Religionem emendandam miſsum eſse, utqué au-

tho-

thoritatem sibi conciliaret, colloquia cum Gabriele Archangelo, imo cum ipso Deo habita finxit, paroxismosqué morbi epileptici, quo laboravit, raptus Divinos dictitabat. Doctrinam ſuam potiſsimum ſparsit in urbæ Jatrib, quæ posteâ dicta est Medina, atque magna hominum multitudine in exercitum collecta, vi armorum Imperio ſuo, atqué Religioni, quam prædicavit, totam Arabiam subiecit. Morte preventus anno ætatis ſuæ sexagesimo tertio ex hac vita deceſsit. Adjutores in nova compilanda Religione ſua habuit, quemdam Sergium Monachum Nestoriana hæresi infectum, & Judæum quemdam Abdallach nomine. Mahumedana Religio comprehenditur in libro Koranus ſeu Alkoranus dicto, cujus contenta ab ipso Deo per Archangelum Gabrielem, tamquam Ministrum spatio triginta annorum sibi manifestata eſse jactabat Mahumedes. Comprehendit autem Koranus rerum diverſiſsimarum faraginem, compilationemqué ex doctrina Religionis Judaicæ, Christianæ, Saracenicæ, & propriis Mahumedis figmentis.

Quæres 2do. Qui ſunt præcipui Religionis Mahumedanæ errores?

Resp: Religionis Mahumedanæ errores præcipui ſunt ſequentes. 1. Deo peccata tribuit, imò Deum authorem peccatorum facit, 2. beatitudinem cælestem involuptatibus corporis reponit, 3. docet Deum quosdam creaſse eum in finem, ut malis hominibus infernum impleat, 4. fatalem rerum omnium statuit neceſsitatem, 5. polygamiam simultaneam, divortia, & concubinatum permittit. 6. Mahumedem eſse Prophetarum maximum.

Quæres 3tio. Qualis fuit progreſsus Religionis Mahumedanæ?

Resp; Religio Mahumedana celerrimè longè, latèqué propagata est. Cauſæ autem hujus propagationis erant, vis armorum, accomodatio ipsius doctrinæ moribus Orientalium utpotè voluptatibus deditorum, vilipensio Judeorum frustra Meſsiam expectantium, & in multas ac diverſas Hæreses ſciſsio Christianorum. Sed post mortem Mahumedis mox ejus sectatores in varias sectas divisi sunt. Inter has sectas præcipuæ ſunt duæ Sonnitarum, & Schiitarum, illi præter Alkoranum, librum quemdam Traditionum Sunna vel Sonna dictum tenent, qui ex dictis, & factis Mahumedis compilatus est, isti ſolum Alkoranum tamquam librum Sacrum venerantur. Sectam Sonnitarum profitentur Turcæ, Arabes, Tartari, Afri. Sectam vero alteram Schiitarum, Persæ potiſsi-

mùm

mûm tenent. Has inter sectas odia, & certamina continua agitantur.

Quœres 4to. Utrum Religio Mahumedana sit vera, & Divinitus manifestata?

Resp: Religio Mahumedana neque vera est, neque Divinitus manifestata censeri potest. Enimveró Religio quæ docet plura erronea, sanæ rationi contraria, quæ caret criteriis veritatis, cujusmodi sunt Miracula & Vaticinia, neque vera est, neque Divinitùs manifestata censeri potest. Porró Religio Mahumedana multa docet absurda, erronea, rectæ rationi contraria continet, ut patet ex adductis illius erroribus, caret quoque Divinitatis criteriis, Miraculis scilicet, & Vaticiniis. Jgitur neque vera est, neque Divinitùs manifestata, sed falsa, turpis, atque abominabilis.

Obijcies. Mahumedes nonnulla patravit Miracula, sed & ipsa Religionis ipsius propagatio certe mirabilis est.

Resp: Mahumedes sepius à suis Sectatoribus provocatus ut aliquo signo suam à Deo mifsionem confirmaret, postquam variis subterfugiis illos elusifset, aperte tandem respondit. *Miraculis non semper fuifse adhibitam fidem, & se non fuifse mifsum ad Miracula patranda, sed tantum ad prœdicandum.* Deinde Miracula, quæ à Mahumede patrata dicuntur, sunt facta, quæ aut arte humana facilè effici potuerunt, ut volatus columbæ ad aures Mahumedes, aut dignis testimoniis destituuntur uti colloquium Mahumedis cum Gabriele Archangelo, aut deniquè sua se vanitate, & absurditate refellunt, cujusmodi est Lapsus Lunæ in manicam Mahumedis, collocutio de nocte cum camelo, et alia. Quod attinet propagationem Religionis Mahumedis, ea neutiquam Divinitatis argumentum fuit, nam vi, & armorum potentia diffusa est, carnis illecebris atque fædis voluptatibus ad illam homines attrahentibus.

EPILOGUS.

Quœres. Ex adductis Religionibus, quœ unicé vera, ac Divina est?

Resp: Ex adductis Religionibus, sola Christiana Religio unicè vera, ac Divina est, quam quilibet hominum sequi & amplecti tenetur. Siquidem Religio antiqua Judæo-

dæorum jam abrogata est, moderna autem illorum Religio vana, falsa, erroribus scatens est. Gentilium, Persarum, Jndorum, Sinensium, Mahumedanorum Religio turpis, ſuperſticioſa est. Religio autem Christianorum, Sancta, pura, veris Miraculis, ac Vaticiniis à Deo confirmata, Ergo ipſa sola vera ac Divina est. Unicè autem veram ac Divinam Religionem quilibet hominum sequi tenetur. Ergo Religionem Christianam quilibet homo sequi & amplecti tenetur.



TRACTATUS
DE DEO
CAPUT PRIMUM
De Dej Essentia atqué illius Existentia.

Quæres quid Nomine Dei intelligendum sit?

Resp: Nullum est Ńomen quo naturam Dei accuratè explicare valeamus, quamobrem ipsi etiam Ethnici Philosophi Deum ineffabilem eſse dicebant. Neceſsitate tamen cogente plura nomina inventa ſunt, quibus ad aliquam cognitionem Dej manuducimur, veluti *Deus*, *Dominus*, *fortis*, *Excelſus Virtutum*, *Omnipotens*, & alia multa, quæ non sunt synonyma, ſed licètsi unam eandemqué rem significent, nempè ipsam eſsentiam Divinam, eam tamen designant ſub rationibus diversis. Communius verò Divinam eſsentiam nomine Dei significare ac denotare consvevimus, quare hoc nomen Deus, non operationem, aut aliquod nonnisi Divinitatis attributum significat, ſed ipsam Divinam naturam atque eſsentiam denotat, ut Tertull: contrà Hermojènem cap: 3tio scripserat. *Deus Substantiæ ipsius nomen est, sêu Divinitatis*, Nomine itaquè Dei intelligimus Ens à se ipso existens, & infinitè perfectum, quod omnium aliorum Entium causa efficiens sit.

ARTICULUS Imus.

De Dej Existentia.

Quæres 1. Utrum Dej existentia demonstrari poſsit?

Resp: Non est neceſsè ut Dei Existentia demonstretur, tanta siquidem evidentiſsima claritate Deus miseri-

cor-

cordiſsimè ſese manifestat, ut nemo qui pollet ratione, oculos aureſqué poſsidet, poſsit ignorare, aut dubitare utrum Deus sit, & meritò Lactantius lib: 1. Divin: Jnstit: cap: 5. scripsit: *veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo posſit eſse tam cœcus, qui non videat ingerentem se oculis claritatem Divinam.* Sed quoniam ſemper exstiterunt, & nunc adhuc exstant impii, qui non solum corde, ſed & blasphemo ore dicunt, *non est Deus*, invictiſsimis Argumentis demonstratur Deum existere, atqué facto ipso ostenditur Dei existentiam demonstrari poſse, non quidem à priori, quâ Effectus per causam commonstratur, siquidem Deus nullam habet Causam, ſed à posteriori, ſeu ex effectibus, atquè creaturis, & sic Deum cognosci, ac demonstrari poſse ipſa Sacra Scriptura testatur. Sap: 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, & ad Romanos cap: 1. *invisibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoqué ejus virtus & Divinitas*, unde infert Apostolus Paulus illos inexcuſabiles fuiſse, qui verum Deum non agnoverant, ſed gloriam incorruptibilis Dei mutaverant in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum. Et certè existentia causæ invicté demonstratur per illos effectus, qui tàm neceſsariò ab illà dependent, ut sinè ipſà existere nullatenùs poſsint. Porrò omnia, quæ nos in hoc universo circumstant, à Deo tamquam sui causa, à qua producta ſunt, ita neceſsario dependent, ut sinè eo nullatenùs extitiſsent, nequæ existere potuiſsent. Ergo cum existentia effectus cum existentia causæ indivulsè connexa est, quandoquidem à nihilo nihil procedere potest, ex Dei operibus, atquè Divinæ ipsius Omnipotentiæ effectibus, nobis bene notis, ad cognitionem eorum causæ, qui Deus est, aſsurgimus, atquè luculentisſima demonstratione devenimus.

Quœres 2. Qui Deum eſse minimè confitentur, quomodo vocitantur?

Resp: Athei dicuntur. Verum Atheorum multiplex est genus. Dicuntur *Athei negativi*, qui Deum ideo nec agnoscunt, nec confitentur quia de eo nihil unquam audierunt, quos tamen nullos eſse probabiliùs est. Sunt *Athei positivi, sive dogmatici*, qui Deum ab alijs admitti non ignorant, ipsi tamen illum perfracté negant. His addi debent Philoſophi illi, ex quorum doctrina Atheismus apertè consequitur, quamquam ipsi nominetenus Deum confiteantur, quos inter Spinosa primò numerari debet. Aliqui

qui etiam sunt Athei *fanatici, & enthusiastæ*, qui nullis certis rationibus ad Deum negandum impelluntur, Eum tamen credere, & confiteri nolunt, quia Jpsum nec vident, nec sentiunt. Sunt demum *Athei Practici*, qui non ex convictione rationis, sed ex desiderio indulgendi propriis cupiditatibus dicunt non eſse Deum, quia illum eſse nollunt. Tandem ſunt *veri nominis Athei*, qui quamvis futilibus, ac levibus, & omnino fallacibus, ſed eorum pravis inclinationibus multum faventibus permoti rationibus negant Deum existere.

Porrò non multos olim extitiſse, nec multos modò eſse *veri nominis Atheos*, ex eo manifestè conficitur, quod rudes & Jdiothæ in Religione educati de Dei existentia neganda, aut indubium revocanda, ne cogitare quidem videntur. Homines autem ingenio valentes, scientijsqué exculti mundum universum ejusqué partes considerare vix poſsunt, quin primam omnium rerum causam, videlicet Deum statim non agnoscant. Hinc quæ à nonullis Scriptoribus de innumera Atheorum multitudine referuntur, aut de Atheis latiori ſenſu intellectis, qui scilicet verbis Deum confitentur, impijs autem factis negant, accipienda ſunt, aut non facilè credenda. Certûm est tamen fuiſse omni ferè ætate, & nostra etiam eſse aliquos veri nominis Atheos, in quorum numero recenſeri poſsumus Auctorem pestilentiſsimi libri Systema Naturæ, in quo palam & aperté cùm Religione Deus tollitur. Hinc apparet quanta sit neceſsitas hoc primum Religionis fundamentum accuratê diligenterquè pertractandi.

Quæres 3. Quæ & quales ſunt istæ demonstrationes, quibus Dei Existentia comprobatur?

Resp: Jn magna quæ ſuppetit argumentorum copia ad Dei existentiam comprobandam, tria præcipua ſunt. *Primum Methaphysicum*, quod ex rerum contingentia desumitur. *Secundum* ex hujus universi pulchritudine & harmonia depromitur. *Tertium morale*, ex Communi omnium gentium conſenſu habetur.

Quæres 4. Quomodo primum instituitur Argumentum, ad demonstrandam Dei existentiam?

Resp: Sic instituitur: Aliquod Ens, illudquè increatum, á ſe, atque abſoluté neceſsarium, à tota æternitate extitiſse, adeô certum est, ut nemo ſanæ mentis id poſsit inficiari. Si enim aliquando nihil prorſûs fuiſset, nihil omnino & modo eſset, quandoquidem ex nihilo & à nihilo nihil prorſûs nasci, aut effici potest, igitur aliquod Ens

ex

ex tota æternitate fuit. Et illud debuit eſse increatum, & à se, quandoquidem si ab aliqua cauſa prodijsſet, non esſet æternum: inſuper quænam potest supponi causapræcedens, â qua prodierit? nulla certé. Jnſuper hoc ens increatum, & æternum etiam abſolutè & omnimodò necesſarium eſse oportebat? Si enim fingatur contingens, potuit eſse & non eſse, & ad utrumquè indifferens erat, quæ igitur cauſa eum ad eſse potiùs, quam ad non esſe determinavit. Porrò hoc Ens increatum, à se existens, & abſoluté necesſarium, nihil eorum eſse potest quæ in hac universitate rerum ſunt. Jllud siquidem Ens, quod dicimus à se, absolutè, ac omnimodò neceſsarium, eſse debet stabile, perpetuum, ac immutabile, atqué talé, ut ejus oppositum plané repugnet, adeò ut nec fingi quidem poſsit non eſse: debet quoqué omni poſsibili perfectionum genere eſse cumulatum, & undequaqué Infinitum. Quid enim potest rei increatæ, à se ipsa, ac neceſsario à tota æternitate existenti, limites aut modum imponere, quid definire valet ut certos perfectionis numeros habeat, plures & maiores non habeat, cum à nulla causa dependeat, & semper ab Infinito tempore extiterit. Omnia autèm quæ in hac immani rerum universitate conspiciuntur, ac comprehenduntur, temporanea, contigentia ac mutabilia sunt; quotidie enim pleraqué nasci, ac extingvi, multisqué modis variari, ac continuò mutari, videmus. Ridiculum quoqué foret, aut mundum, sive quidpiam in eo positum, aut materiam informem, ex qua mundus, resqué omnes prodierunt, omnibus perfectionum numeris absolutum dicere, ut nihil melius aut præstantius fingi poſsit. Quare etiam totus mundus qui nihil aliud est, quam immanis omnium individuorum collectio, tam mutabilis, variabilis, temporaneus, transiens est, ac quælibet viliſsima, & minima ejus pars, proindéqué nequé à se & neceſsario existit, sed contingens est, nequé increatus, aut ab æterno existens dici potest. Unde etiam facile imaginari poſsumus totam hanc universi faciem mutari, & tolli, quin ullum inde sequatur absurdum, inconveniens aut rationi contrarium. Debet igitur dari aliud quidpiam Ens increatum, à se, atqué absoluté neceſsarium, quod sit omnium rerum, quæ in hac universitate cernuntur, princeps, ac prima causa, quam Deum nominamus. Ergo existit Deus, atqué ad hanc demonstrationem digitum intendere videntur nonulla Sacræ Scripturæ loca, quemadmodum illud Psal: 99. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non*

ipsi

ipsi nos, item Sap: cap: 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, nequé operibus attendentes agnoverunt qui esset Artifex, à magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Quapropter, etiam antiqui SS. Patres, veluti Justinus, Tertulianus, Dyonisius, Alexandrinus, Augustinus, Lactantius, hac argumentatione ad comprobandam Dei existentiam usi sunt. Quare verè simul & eleganter scripserat Cicero libro 2do de natura Deorum. *Quid potest esse tam apertum, tamqué perspicuum, cum cœlum suspeximus, cœlestiaqué contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hœc regantur, quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem Sol sit, an nullus sit, recte dubitet.*

Obijcies. Ex eo quod Singula hujus mundi individua contingentia sint, mutationi & corruptioni obnoxia; non potest colligi, totam rerum collectionem esse contingentem, mutabilem, corruptibilem, quia argumentari á partibus ad totum, á sensu distributivo ad collectivum vitiosum est.

Resp: Vitiosum est argumentari á singulis partibus, ad totum in prædicatis quidem accidentalibus, sed non in prædicatis essentialibus. Sunt quædam prædicata accidentalia, quæ conveniunt singulis partibus, non autem toti partium collectioni, & similitèr quædam toti collectioni conveniunt, qua talis est, non autem partibus. Et in his argumentari à partibus ad totum, vel è contra, vitium est maximum; quia non eadem partium natura, ac totius. Sed in prædicatis Essentialibus, quod dicitur de singulis, dici etiam potest de omnibus, & de toto; ut si dicam singuli homines, singula corpora, aliaqué mundi Entia non sunt à se, nequé necessario existunt, sed sunt creata, ab aliqua præexistente causa producta, contingentia, mutabilia, transeuntia. Ergo etiam totus mundus, tota collectio entium quæ mundum constituunt, non est à se, nequé necessariò existit, sed contingens est, ab alio superiore Ente producta, transiens, atqué mutabilis.

Quœres 4: Quod est secundum Argumentum, quo Dei Existentia demonstratur?

Resp: Secundum Argumentum ad Existentiam Dei demonstrandam, desumitur ex hujus universi pulchritudine, atqué harmonia mirabili, & istud Argumentum hoc modo procedit. Est in hoc aspectabili mundo mirabilis or-

ordo, atqué pulcherrima harmonia, quæ in regulari ac constanti Astrorum motu ſeſe produnt, in æquilibrio elementorum, in structura & productione Plantarum & animalium, in nexu ac conbinatione omnium hujus universi partium inter ſe, tum per cauſas efficientes, túm per finales. Profecto contemplantes hanc mundi machinam uno propé intuitu detegimus, quam plurima entia, solem, terram, reliquosqué planetas, ac stellas fixas, inter se ita constitutas eſſe, ut unum alteri inſerviat, unum sit propter aliud. Cælos occupant sidera, certis errabunda legibus, statutisqué temporibus, utriusqué hemispherii plagas calore recreantia, fulgore collustrantia, ut sint hominibus operis et quietis alternæ reparationes. Sol ideo quotannis ab æquatore ad utrumqué tropicum digreditur, dividendo quatuor Anni tempestates, ut vario ad nos acceſſu, & receſſu, miram in terra producat variétatem. Terræ, Jovi, & Saturno circumpositi ſunt ſatellites, ut ſolare lumen repercutientes, ſolis abſentis vices obeant. Aer refertur ad plantas renovandas, arbores excitandas, frugesqué & animalia nutrienda, ſuſpendendis nubibus utilis est, edendis ſonis, formandis vocibus. Aere ſpiramus, aere valemus, aere vivimus, aquæ uſus varios ac multiformes nemo ignorat. Jgnis refovet, recreat, vivificat, omnia renovat, sine calore nihil fæcundum, nihil novum, nihil nisi languidum, torpens, frigidum & inutile. Terra hibernis fecundata nivibus, irrigata pluvijs, ventis purgata, commiſſum sibi ſemen ſuo gremio complectitur, fovet, paulatim explicat, mox novo vere benignis recreata Solis aſpectibus germinat, fructusqué ſuos per autumnum liberales effundit, unde sint alimenta hominibus, herbæ maturescunt brutis animantibus, fruges utrisqué. Continua deinde Entium ſucceſſio nemini ignota eſſé potest. Series est haud interrupta generationum in plantis, belluis, hominibusqué. Quare omnia quæ in mundo ſunt, talia ſunt, ut vel unum ab altero producatur, vel unum sit, existatqué propter aliud, atque singula ita comparata ſunt, ut unum eorum rationem ſufficientem in ſe alterius contineat. Præterea omnia rité inter ſe aptiſſimequé diſposita ſunt, ac ſe conſequuntur, elegantiſſima diverſorum corporum conſpicitur proportio, ad præstitutos eorum uſus accomodatiſſima, motus æquabilis, statutis legibus temperatus, accuratiſſima ad ſuos particulares fines, horumque omnium ad univerſalem conſensio manifesté cernitur, atqué mirabilis in omnibus, etiam minutiſſimis ac viliſſimis rebus detegitur harmonia, ordo-

ordoqué præstantiſsimus. Porrò ordo iste pulcherrimus, harmonia atqué ſymetria præcellens ſupponunt neceſsariò Infinitam aliquàm, ſupremam, ac intelligentem vim, quæ comparare, ac combinare sciat, diſponere ac partiri omnia poſsit, quæ discernat relationes cauſarum cum effectibus, & mediorum cum fine. Hæc autem infinita, ſuprema, ac intelligens vis, Deus est: Ergo existit Deus. Certé quis tam stupidus erit, ac ignarus rerum, ut cum aſpiciat ædificium, materia, opere, mole, Architectura maximum ac præcellentiſsimum, illud caſu sine ulla cauſa intelligente conceptum ac confectum eſse existimet. Ex quo ita recte Minutius Felix in Octavio concludit. *Si ingreſsus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidiſset, utiqué præeſse ei crederet Dominum, qui igitur hujus mundi ornatum, & ordinem non Divina ratione profectum, ſed perse extitiſse volunt, videntur mentem, sensum, occulos deniqué ipſos non habere.* Ordo itaqué pulcherrimus, præcellens, ornatus, admirabilis harmonia, quæ in Orbe regnat, ſupponit, & evidentiſsime probat existere Deum Factorem & Ordinatorem pulcherrimi hujus universi.

Obijcies 1. Inter infinitas poſsibiles Atomorum fortuitas combinationes, illa etiam continebatur, quæ univerſum ſub aſpectabili, & pulcherrima hac forma, repreſentaret, fieri ergo potuit, ut cum infinitæ factæ ſunt à tota æternitate atomorum combinationes præſens tandem aliquando prodierit. 2do Tot tantaqué ſunt in hoc univerſo omnis generis mala, ut potius â cæco caſu, quam à providentiſsima Dei ſapientia prodijſse cenſendus sit.

Reſp: ad 1. Concedimus, & non negamus inter infinitas poſsibiles Atomorum combinationes, & illam reperiri quæ univerſum hoc ſub tali pulcherrima forma repræſentaret, ſed unde illis atomis ut in præſentem non in aliam combinationem coirent, ac proinde quæ poſsibilis nonnisi erat, actu existeret, quomodo hoc fieri poterat sine potentiſsima ac ſapientiſsima manu dirigente, certe plura requiruntur ut res actu talis sit, quam ut talis poſsibilis sit, ad hoc enim ſufficit ſola naturæ non repugnantia, ad illud veró prætereâ neceſsaria est cauſa efficiéns. Caſus veró fortuitus, cauſa efficiens istius combinationis eſse nequit, cùm sit vox inanis, & vacua. Deinde si nihil à tota æternitate fuerit nisi atomi, gravíſsima exurgit quæstio, unde extiterint? quis illis motum tribuerat? quo continuò agitabantur. Prætereâ postquam cæco caſu atomi in hanc pulcherrimam combinationem, qualis modó in mundo cer-

cernitur, convenerint, quomodo factum est, ut non amplius dissolverentur, qua virtute detentæ sunt, ut non tam præclarum opus destrueretur. Nugæ sunt, & commenta sine ulla rationis apparentia excogitata. Sane, quæmadmodum, ex immensa litterarum massa, diversis modis sæpé versatis fieri potest, ut aliquando Virgilij aut Homeri Carmen prodeat, dum modò aliqua exstet manus litteras formas, easdemqué diversimodé uniens, ita pariter fieri potest, ut ex infinitis à tota æternitate factis atomorum combinationibus, hæc pulcherrima mundi forma erumpat, dummodò exstet aliqua causa, quæ & atomos effecerit, illis motum tribuerit, combinationes earum debito ordine direxerit, atque posteaquam in illam unionem coierint formamqué qualis modò in mundo cernitur constituerint, virtute potenti continuerit. Quod si hæc omnia sine ulla efficiente, ac dirigente causa, sed fortuito & cæco casu contigisse dicantur, plané rationi repugnant & impossibilia sunt.

Ad 2. Mala, quibus mundus plenus esse putatur, aut Physica sunt, quemadmodum monstra, animalia nociva, inutilia, inscita venenata, morbi, calamitates, mors ipsa, aut moralia peccata, scilicet ab hominibus perpetrata. Verum hæc omnia minimé labefactare possunt fortissimam illam persvasionem, quam habemus, Deum hunc mundum, atqué omnia quæ in eo sunt providentissima sua efformâsse sapientià. Enimverò, mala quæ physica dicuntur, non sunt veré mala, sed solum apparenter, & in nostra tantum opinione, non autem in re ipsa, quia & particulares fines habent, quibus approprиantur, & usum maximum præstant, tametsi non semper nobis cognitum, dum aliis nutrimentum, aliis medicamentum præbent. Prætereâ frequentissimé ex naturæ cursu proficiscuntur, ex quo ipsi etiam naturæ defectus originem trahunt, licetqué cogitare melius fuisse, ut à Deo permittantur, quam ut communes naturæ leges perturbentur. Mala vero moralia, seu peccata á libera hominis voluntate procedunt, qui vi activa, ac prætiosissimo libertatis dono sibi á Deo concessis pessimé abutitur, sed & hæc Divinam sapientiam maximé declarant, dum ea ad optimos fines convertit, multaqué bona ex his malis educit. Tollerat quidem Deus peccata, remittit, sed & coarguit, ac severé punit, & dum à Deo peccata nostra tolerantur, Divinam tunc in nos bonitatem & patientiam, cum remittuntur

tur

tur, misericordiam, & mansvetudinem, cum vindicantur, summam potestatem & justitiam patefaciunt.

Quœres 5. Quale sit tertium morale argumentum ad Dei Existentiam comprobandam?

Resp: Morale argumentum præcipuum, quo Dei existentia comprobatur, ex unanimi populorum consensu desumitur. Enimveró omnes homines sive docti, sive indocti, ubiqué terrarum existentes, communi calculo in Dei existentia confitenda ita consentiunt, ut per tot annorum sæcula ad quæ se nostra extendit cognitio, vix pauci, iiqué facile numerabiles extiterint, quibus persvasum fuerit nullum esse Deum. Et quidem de Philosophis & Sapientibus, quorum potissima ratio habenda est, id perspicué constat, unde Plato de legibus libro 10. sic inquit. *Omnes, & Grœci, & Barbari Deos esse consentiunt.* Quare illi pauci qui Deum esse negarunt, tamquam monstra omnibus execrationi fuerant. Populis veró ac Nationibus pariter indubium est, qua in re celebre est Plutarchi adversus Colotem dictum, inveniri scilicet posse Urbes muris, litteris, Domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescios, Urbem veró templis Dijsqué carentem vidisse neminem. Hoc & præsens confirmat experientia, itineratores siquidem, qui apud Barbaros, & incultas nationes diutius commorati sunt, eorumqué mores, diligentius investigaverunt, nullam hactenus se invenisse testantur, quæ sit omnis Religionis Expers, unde & Cicero libro 1mo. de natura Deorum cap: 16to. scripserat. *Quœ est Gens aut quod Genus hominum, quod non habeat sine doctrina Anticipationem quamdam Deorum:* & fortius id asseruit S. Hieronymus Epist: ad Nepotianum, *totius Mundi una vox est, Deus est.* Porró unanimis hominum, populorum, ac Nationum consensus, in re tam gravissima maximam vim habere debet, quis enim sibi persvadeat, omnes in errorem ita conspirare, ut vel decipi potuerint, vel decipere voluerint, imo ut ait Tullius libro 1. de Natura Deorum cap: 17. *de quo omnium natura consentit id verum esse necesse est.* Quia id vox, & dictamen atqué lex ipsius naturæ est, quæ falli & decipere nequit. *Omni in re consensio omnium gentium, lex naturœ putanda.* Ergo cúm Seneca Epist: 117. concludendum est *Veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, Veluti Deos esse sic inter alia colligimus, quod omnibus de iis opinio insita sit, nec ulla gens usquam adeó extra leges moresqué proiecta, ut non aliquos Deos credat.*

Obij-

Obijcies 1. Commentitius est iste universalis omnium Nationum in agnoscenda Divinitate consensus, etenim veteres Scriptores integras populosasqué nationes, Atheas, nullum Deum agnoscendo fuisse testantur. Et nostra etiam ætate plurimæ magnæquè nationes detectæ sunt sine ulla prorsus Dei cognitione. 2do Omni etiam tempore multi erant Athei, & qui antiquos Sinensium libros commentati sunt, in ijs purum Atheismum invenerunt. Turcarum quoqué cultiores nullam Divinitatem agnoscunt.

Resp: ad 1. Quæ de Gentibus Atheis veteres tradiderunt Scriptores, non eo sensu intelligenda sunt, quasi nullum omnino numen agnoverint, sed quod vel ita Barbaram, ac impiam vitam degerent, ac si nullum punitorem Deum timerent, vel tales sibi effinxerint Deos, qui nec nominari Dij digni erant. Unde Cicero libro 1mo. Tuscul: quæst: cap: 13. scripserat *Firmissimé hoc asseri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium sit tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Dijs prava sentiunt, id enim vitioso more effici solet, omnes tamen, esse vim & naturam Divinam arbitrantur*, nequé etiam prætereundum est plerumqué nationes Atheas per contemptum appellatas fuisse, quæ Deorum turbam superstitiosis ritibus minimé colebant. Sic Plinius appellavit Judæos, *gentem contumelia numinum insignem*, & Christiani sæpissimé ab Ethnicis irreligiosi & Athei dicti sunt.

Jtineratores autem quosdam, qui plurimas atqué populosas nationes nuper detectas, sine ulla prorsu Dej cognitione exstare scripserant, ignorantia Jdiomatis & morum nescientia deceptos fuisse, inde constat quod alij, qui Barbarorum mores diligentius investigarunt, & diutius cum illis conversati sunt, nos certos faciunt, non levia ubiqué, nec pauca inventa fuisse alicujus Religionis vestigia, quare ex testimonijs multorum celebrium Authorum indubitatum modó est, Barbaros in Nova Anglia, Canadenses, Brasilienses, Hutentotos & unum supremum Numen & alios minores, atqué inferiores Deos colere.

Ad 2dum. Veros Atheos quibus scilicet plané persvasum fuerit non esse Deum, aut omnino nullos fuisse, aut adeó paucos, ut veluti monstra inter homines haberi possint, quorum proinde dissensus, universali aliorum consensui pondus & vim detrahere non potest, ut observavit Lactantius libro 1mo. Divin: Jnstit: cap: 2do inquiens.

Ne-

Neque difficile fuit, paucorum hominum pravé ſentientium redarguere mendacia, testimonio populorum atque gentium, in hac una re non diſsidentium. Præterêa qui Deum existere aut negarunt, aut modó etiam negant, ad istiusmodi inſaniam non mentis errore, ſed cordis corruptione pervenerunt, dicentes, ut inquit Pſaltes, in corde ſuo pravis affectibus depravato, *non est Deus.* Hinc multa etiam inter Ethnicos suppetunt exempla illorum Atheorum, qui vel infirmitatibus, vel morti proximi, Atheismum, quem profeſsi fuerant, ejurarunt.

De Sinensibus nunc exploratum est, omnes sive ſapientiores, sive communem populum, Jdololatriæ deditos eſse, qui enim antiquiſsimam ſuæ gentis ſequuntur Religionem à Fohy traditam monstroſæ magnitudinis Jdola adorant, qui veró Leokair doctrinam tenent, immenſam Deorum turbam colunt, Turcarum veró Sapientiores, & Deum existere confitentur, & magis hodie Christum æstimant quam Mahumedem.

Dices Supremi Numinis persvasio fuit á Politicis primó invecta, post autem pueris simul cum lacte nutricis instillata, atqué hoc modo communis effecta. Neminem namquè latet, omnibus fere legislatoribus consvetum fuiſse, ut ſe cum Dijs colloquia habere mentirentur. Ex terræ quoque motibus, tempestatibus ac fulminibus homines ad Dei existentiam credendam inducti ſunt, quod scilicet horum phænomenorum cauſam naturalem ignorantes, ſupernaturalem sibi confinxerint, unde celebre illud Poetæ *Primus in orbe Deos fecit timor.*

Resp. Nihil dici potest magis à veritate alienum quam à legislatoribus & Politicis fuiſse primum Dei existentiam confictam, tum quia Dei cognitio, apud eas etiam efferatas nationes viget, quæ nullis coercentur legibus, tum etiam quia, ut obſervat Lactantius, quomodo potuiſsent isti utut vaferrimi non tantum indoctos ſed Platonem, Senecam, Socratem, Pythagoram, Zenonem, Epictetum, Aristotelem cæterosque maximarum sectarum principes, tam facile deludere, ac fallere, Legislatorum autem impostura de colloquijs cum Dijs potius probat communem jam fuiſse hominum persvasionem eſse Deos, qui humana curarent, hac autem veritate eos calide abuſos fuiſse, ut ſe Deorum legatos mentirentur.

Neque etiam timore invecta fuit Dei cognitio. Priùs enim perſvaderi debeat hominibus Deum eſse, deinde terram concutere, tonare in Cælo, ac fulmina vibrare.

Ulte-

Ulteriùs si ex hoc timore, & caufarum ignorantia Dei opinio orta est, cur illa posteâ non fuit eliminata, quando Philofophi melioribus ævis, naturales horum phænomenorum caufas detexerant. Contra autem videmus, illam femper magis ac magis fuifse roboratam, frustraqué impios niti, ut eam fuis cavillationibus convellant. Nimirúm ut olim ajebat Cicero: *opinionum commenta delet dies naturæ iudicia confirmat.* Multo itaque credibiliùs est, communem hanc existentiæ Dei persvasionem ex antiqua Traditione descendere ab Adam primum, deinde à Noe qui fecundus humani generis Parens dici potest, & quidem puram, atque ab omni errore defæcatam, fed posteâ artibus Dæmonum in fuperstitionem, & idololatriam degenerafse. Hanc quoque eandem communem persvasionem Philofophi posteâ fuis ratiocinijs, ac demonstrationibus confirmarunt, quamquam etiam apud Barbaros invenitur, ubi nulli funt, nec erant Philofophi.

Quæres 6. Utrum efse pofsit, Deum ab aliquo hominum invincibiliter, & inculpatè ignorari?

Resp: Communem femper fuifse doctis atque indoctis aliquam faltem Divinitatis notitiam certum est, fatendum tamen in plerisqué, imo in omnibus ferè populis ante Christi adventum multis erroribus fæde corruptam fuifse, & admodum paucos in cognitionem veri Dei qui nonnisi unicus efse pofsit, pervenifse. Hinc difputare cæperunt Theologi, an hæc veri Dei ignoratio, quæ admodum latè patebat, fuerit in omnibus culpabilis, & quidam ex Theologis inventi funt, qui negantem fententiam tuerentur, fed hæc apertè pugnat cum Sacris Litteris unde firmitèr tenemus neminem hominum, qui rationis compos fuerit, Deum invincibiliter ignorare pofse, ita enim aliquando orabat Deum David Rex, Psal: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverant, & in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Quæ Verba etiam repetuntur Jeremiæ Cap: 10. Nullos ergo Prophetæ isti putabant efse, qui invincibili Supremi Numinis ignorantiâ laborarent, unde & Paulus in Epistola 2da ad Thefs: Cap: 1mo affirmat, in Flamma ignis effufam efse defuper vindictam in illos qui non noverunt Deum, cujus rationem evidentifsimam affert in Epist: ad Romanos Cap: 1. quia nimirum invisibilia Dei à Creatura mundi per ea quæ facta funt, intellecta confpiciuntur, fempiterna quoque virtus, & Divinitas, unde inexcufabiles funt qui Deum aut non cognoverunt, aut sicut oportet & decet, eum non glori-

rifi-

rificaverunt Atqué hæc Sacræ Scripturæ oracula, quamquam satis perspicua sunt, adhuc tamen clariùs ita á SS. Patribus explicantur, quòd nemo possit Deum ignorare, quin iram Divinam mereatur. Unum hic afferre Tertulianum satis est, qui libro 5. contra Marcionem Cap: 16to postquam ostendisset Deum naturaliter hominibus innotescere, ita concludit: *Illius est ergo etiam ignorantes Deum plectere, quem non licet ignorare:* & libro de Pænit: Cap: 6. sic inquit. *Ignorantes Dominum nulla exceptio tuetur à pœna, quia Deum in aperto constitutum ignorare non licet.* Aliorum Patrum testimonia hic afferre, supervacaneum foret, quia omnes magno consensu hanc inculpatam Dei ignorantiam explodunt, atque unanimiter docent adeô clarè in cordibus nostris insculptam esse Dei notitiam, ut nemo, nisi qui ad naturæ voces aures obturare culpabili stupiditate vellit, Deum ignorare possit.

Obijcies. Existentia Dei non est nobis per se nota, & cognitio Dei comparanda est per naturale ratiocinium, hoc autem medium multis deesse potest, cum plurimi homines agrestes sint, & plumbei, ferarum potius, quam hominum more viventes, nullius prorsús ratiocinij capaces, cujusmodi plures esse inter Tartaros, Drusios, Canadenses, ij testantur, qui in eas regiones penetrârunt, illi ergo invincibiliter, ac inculpatê Deum ignorare poterunt.

Resp: Tanta est Existentiæ Dei claritas, atque evidentia, ut nemo adeô hebes, & tardus sit, qui si attendere velit, non possit ex rebus creatis, quæ illum circumdant, aliquam Dei cognitionem concipere, cujus posteâ beneficio, adhibita majori diligentia poterit ad clariorem, perfectioremqué Dei notitiam pervenire, quod si id negligat, propriâ culpâ Deum ignorabit. Quare SS. Patres constanter docent Dei notionem naturæ nostræ insitam esse, atque adeô vultum Dei super nos signatum esse et per solum naturale lumen, tantam esse Dei cognoscendi facilitatem, ut sinè magna diligentia sciri possit, ac proinde sinè culpa, invincibiliter ignorare nequit.

ARTICULUS 2dus.

De Varijs Atheorum Systematibus.

Quæres 1. Ad Impugnandam Dei existentiam quæ & qualia Athei excogitarunt Systemata?

Resp:

Resp: Quando coguntur Athei exponere quomodo sine Deo Creatore hæc pulcherrima, atque ordinatiſsima mundi machina prodierit, in diverſas statim distrahuntur sententias, ut appareat, eos inſeperabilibus undique premi angustijs. Præcipua hic recenſebimus, ac breviter refutabimus eorum Systemata. Et quidem nonnulli ſunt, qui nodum ſe facile ſecare putant, fidenter aſserendo, mundum, qualis nunc est ſemper & ab æterno, extitiſse, ac varias tantummodo factas eſse modò minores, modò majores ejusdem revolutiones, ac mutationes. Verùm illico quisque advertere potest, hac ratione difficultatem longius quidem removeri, non autem tolli. Semper enim quæritur quomodo hoc univerſum sinè ullo Creatore, sivè in tempore, sive ab æterno formari potuerit, cum necesſarium abſoluté & omnimodo non sit, ac proinde nulla in eo appareat cauſa ſufficiens intrinſeca, nulla quoque admittatur extrinſeca, quæ certè alia eſse non potest, nisi Deus. Hinc antiqui nonnulli Philoſophi æternitatem quidem mundi ponebant, eum tamen à Deo creatum eſse fatebantur.

Quœres 2. Quod est alterum Atheorum Systema?

Resp: Alterum Atheorum Systema est Atomistarum, scilicet mundi æternitate rejecta, alij ex Atheis ſolam materiam æternam, & increatam eſse statuunt, eamqué in minutiſsimas Atomos variæ ac diverſæ figuræ diſsectam ponunt, quæ perpetuò ab æterno agitatæ, motu, temerario ac cæco concurſu totum hoc univerſum efformaverint.

Verùmtamen totum hoc Atomisticum Systema, quo veluti ex immani pulveris cumulo ventis agitato, innumerabiles mundos confectos fuiſse fingitur, adeô abſurdum aliis Philoſophis viſum est, ut illud non tàm refutandum, quàm irridendum eſse cenſerent. Cur enim ùt obſervabat Cicero libro 2do de Natura Deorum, poterant Atomi totum hoc univerſum, cæco ac temerario concurſu olim componere, modo autem non domum, aut Templum, aut quodvis aliud poſsunt efficere, nempe caſús nihil in re est, & cum ex nihilo, & á nihilo, nihil fiéri poſsit, ex caſu, & à caſu fortuito, atque temerario mundus prodire ac effici non potuit.

Præthereâ tota hujus ſystematis basis est, materia æterna & increata, at verò quod increatum & à ſe est, illud etiam infinité perfectum, & immenſum sit oportet, cum nulla sit cauſa, à qua dependeat, & á qua limites ejus perfectioni atquæ extensioni poni queant, materiam autem

autem infinité perfectam atque in immenfum extenfam efse, nemo fomniabit.

Altera autem hujus fystematis basis est, atomos ingenito motu agitatas, in combinationes infinitas, easqué informes fæpiùs coaluifse donec hæc ordinatifsima coagmentatio prodiret. Porrò motum efse materiæ ingenitum, nemo dixerit, quia materiam ad motum, & quiétem indifferentem prorfús efse, experientiâ ipfâ constat. Ulteriús in hac hypothesi atomis ingenium quoddam, & quidem prudentifsimum tribuitur, ût nempé postquam fuerint, fæpifsimè informiter conglutinatæ femper difsolverentur, donec tandem pulcherrima illa combinatio prodiret, q æ modo confpicitur, atque hôc positô non ampliùs disjûngantur, ne tam pulcherrimum opus in pristinum chaos revertatur, quæ omnia fomniantis potiús funt, quàm philofophantis. Adhæc quidquid sit de rerum corporearum mixtione, illud plúsquam certum est, animam hominis intelligendi, ac volendi vi præditam, totumqué hoc quô homo constat, in pofsibilibus materiæ partium combinationibus minime contineri pofse.

Quæres 3. Quæ sunt alia Atheorum Systemata?

Resp: Tria adhuc sunt Atheorum Systemata, quibus mundi origo sine Deo authore exponitur. *Primum* est Stratonis Lampsoieni: Is exploso fortuito Atomorum concursu, singulis materiæ partibus certam quamdam vim inclusam efse volebat, cujus ope quælibet earum in formas sibi convenientes se aptare & convertere pofsit, etiamsi quid faciat, ipsa ignoret. Hujus Systematis patroni, materiæ vitam quamdam tribuebant. *Secundum* est Anaximandri, & aliorum, qui materiam, inertem quidem & stupidam dicebant, in ea tamen omnes rerum formas, & qualitates delitescere somniabant, ex quarum temeraria & fortuita eductione universum hoc primò prodierit, & femper conservatur. *Tertium* est Stoicorum, qui naturæ vim quamdam genitricem tribuebant, quâ rerum omnium semina, in ejusdem naturæ sinu conclusa, evolverentur, unde omnia mundi entia efformentur.

Sed hæc Systemata vel ex eo refelluntur, quia materiam ponunt æternam, & ingenitam, atque sinè ulla causa efficiente aspectabilem hanc universi formam ex illa prodiifse, qui error & capitalis in his Systematibus est, & putidifsimus. Nec minus in illis absurdifsimûm est, quod motum materiæ ingenitum efse statuatur. Accedit inperceptibilé efse ex materia vel planè stupida, vel vitalis,

qui-

quidem virtutis, atque energiæ cujusdam compote, cognitionis tamen atque intelligentiæ experte, ùt eam isti Athei fingebant, hominem etiam formatum fuiſse. Denique omnia ista Systemata, meris hypothesibus, malè inter se connexis, imo verius dicendo figmentis, & somnijs sinè ullo prorsùs fundamento innituntur, ut eòdem jure quô invehuntur, explodi etiam poſsunt.

Objicies 1mo: Nulla in nobis eſse potest idea Dei, cum enim ideæ nostræ à sensibus oriantur, infinitus Spiritus, cujusmodi Deus eſse dicitur, in sensus non cadat, nulla in nobis idea Dei eſse potest, id vero cujus nulla est idea, nihil est. *2do*: Si Deus mundum creavit, an propter se illum creavit, an propter homines. Sed nihil horum dici potest. Non propter se, alias antequam mundum conderet, aliquid ei defuiſset ad plenam felicitatem. Non propter homines tum quia maxima eorum pars improba id non merebatur, tum etiam pauci boni, quorum gratia fortaſse Deus mundum creare voluit, tot tantisquè obruuntur malis, ut meliùs plerisqué eſset, nunquam extitiſse.

Resp: ad 1mum: Fatemur nullam claram, distinctam, & adæquatam notionem rei infinitæ nobis ineſse, unde consequitur non poſse nos veram Dei imaginem, proût Deus in se est, in nobis efformare, inde tamen minimè colligere licet, nos nullam prorsùs habere Dei notionem. Cognoscimus namque Deum eſse Ens incorporeum, ab hac rerum universitate diversum, à se existens, & infinité perfectum, licet non omnes ejus perfectiones, multô minùs ejus eſsentiam intellectu comprehendere poſsimus, unde sequitur, nos Deum cognoscere sed imperfectè solûm, & inadæquaté.

Ad 2dum. Finem Divinæ voluntatis ex qua res omnes prodierunt, non alium eſse poſse, quam Dei ipsius bonitatem. Voluit ergo Deus mundum creare propter suam bonitatem, ut eam etiam creaturis communicaret, non autem propter suam utilitatem, quia creaturis non indigebat. Quod autem permittat, homines bonos affligi à malis, & tam multas ac varias pati ærumnas, arcana sunt Divinæ ipsius Providentiæ, & inscrutabilia judicia ejus Sapientiæ, quæ nos adorare debemus, non perscrutari.

Quæres 4. Quodnam est recens Atheorum Systema?

Resp: Author libri sub titulo Systema naturæ sub nomine Mirabeau evulgati, haustis erroribus à Lucretio, antiqua Atheorum paradoxa collegit, ac quasi novum Systema evulgavit, in quo nihil aliud vult eſse præter hoc uni-

universum, & Deum impudentissimè negat, cujus ideam chimeram esse putat ex ignorantia naturæ hujus universi ortam. Præcipua hujus Authoris capita hæc sunt. *1mo* cum omnibus Atheis materiam æternam ponit, & increatam. *2do*. Motum vel potiùs nisum ad motum particulis, seu moleculis materiæ ab æterno congenitam tribuit. *3tio*: Ex diversa hujusmodi particularum, seu molecularum combinatione & motu omnia mundi entia prodiisse, & quotidiè prodire ita ut fortassè nova rerum genera noviqué homines procreandi aliquando sint. *4to*: Nullas esse substantias immateriales, naturam tamen quamvis ipsa intellectu careat, posse ex materia substantias intelligentes efficere.

Sed facile quisque videt hoc Systema naturæ illi veteri Atheorum basi inniti, videlicet materiam esse æternam, & increatam, motumquè sibi congenitum habere, quod & evidentissimæ rationi, & quotidianæ repugnat experientiæ.

Verùm istius Authoris argumenta afferre, ac breviter refellere non incongruùm erit. *Primò*: itaque sic ratiocinatur. Materia est æterna & à se, quia in se continet rationem suæ existentiæ, alias debuisset creari ex nihilo, quod repugnat, *Secundo*: Intelligi non potest quomodo Ens immateriale, cujusmodi Deus esse dicitur, possit materiam tangere, illam movendo, aut in ea operari. *Tertio*: Non est necessè aliquem hujus universi conditorem, & conservatorem admittere, quia hoc esset multiplicare entia sinè necessitate, cum leges ipsæ naturæ ad hoc sufficiunt.

Resp: ad 1mum. Nec materiam in se habere suæ existentiæ causam, nec creationem esse impossibilem, sed potiùs repugnare materiam finitam & limitatam à se ipsa, sinè ulla causa efficiente semper fuisse, ingenitùm sibi motum habere, & quidem ita distributum ut ejus ope particulæ sive molleculæ, in varia & innumera rerum genera fortuitò coagmententur, repugnat quoque hanc particularum atquæ molecularum combinationem, vitam & intelligentiam quâ ipsæ carent, in nobis producere posse.

Ad 2dum. Deum, quemadmodum omnes alias perfectiones, ita etiam potentiam habere, nullis limitibus coarctatam, unde & materiam ex nihilo extrahere, & ex illa omnia rerum genera solô suæ voluntatis nutu efficere potest. Verum est, intelligi non posse quomodo id fiat, sed multa prætereâ sunt, quæ quomodo fiant, concipi nequit, quis enim explicare potest quomodo corpora agant? quomodo

modo unùm aliud moveat? quid sit vis motrix? quid motus? quid actio, quid paſsio, & alia multa.

Ad 3tium. Nugæ hæc profectò sunt, & qui ita ratiocinatur, non minùs decipere videtur, ac si aliquis machinam artificiosé compactam considerans, eam ab aliquo artifice effectam fuiſse negaret, ne entia sinè neceſsitate multiplicarentur, cum in terris ejusdem machinæ mechanismus ad omnes functiones exercendas planè sufficiat. Sanè quæcunque naturæ tribuantur vires, statuantur leges, semper ad efformandam atque conservandam hanc totius universi pulcherrimam machinam opùs est potentiſsimo Authore, ac ſapientiſsimo Effectore.

ARTICULUS 3tius

De Dei Eſsentia.

Quæres 1. Quis sit præcipuus circa Divinam eſsentiam error?

Resp: Præcipuus & simul absurdiſsimus error circa Divinam eſsentiam est Pantheistarum, qui Deum ab hac rerum universitate minimé ſecernunt, ac proindé dum Deum verbis confitentur, reipsâ illum tollunt. Antiquiſsimus est iste error, diversis temporibus renovatus, potiſsimùm verò à Benedicto Spinosa, qui illum methodo Geometrica disponere conatus est. Tres autem sunt Spinosistici Systematis capitales, simul & maximi errores. *1mo.* Præter Deum nullam dari substantiam. *2do.* Hanc substantiam quæ unà est, omni perfectionum genere eſse donatam, maximè verò extensione & perceptione. *3tio.* Omnia totius universi entia nihil eſse aliud, quam istius substantiæ modificationes, & attributa. Quare in hoc Spinoſæ Systemate purus est Atheorum materialiſmus. Nempe hæc unica Spinosæ ſubstantia non est nisi materia, quam abusu nominis Deum vocat, omnia autem hujus mundî entia, ſunt hujus ſubstantiæ modificationes, quæ ex diversa particularum materiæ combinatione resultant, proindequé totum hoc universum, Spinosæ atque Pantheistarum Deus est.

Quæres 2. Quâ ratione prædictum Spinosæ Systema refellitur?

Resp: Spinosæ absurdum Systema satis refellitur, ac confutatur, ostendendo Deum eſse ab hac rerum universitate natura, atque eſsentia omnino diversum. Namque

que mundum hunc corporeum non esse æternum, sed in tempore factum, mutationi continuò obnoxium, & evidentissimis argumentis demonstratur, & ipsa experientia constat. Ergo cum Deus natura sua æternus sit, à se ipso existens, ac proinde minimè factus, immutabilis, atque invariabilis, nequit esse ejusdem cum mundo naturæ, ac propterea re atque essentia ab illo omnino diversus est. Præterea mundi ordo atque constitutio manifestissimè evincit, non solùm à causa aliqua sapientissima, æqué ac potentissima effectum esse, sed & continuò ab illa regi, gubernari, atque sustentari, & conservari. Quis porrò huic universo mentem sapientissimam, atque vim omnipotentem inesse credet. Ergo extra hoc universum istiusmodi causa sapientissima, ac potentissima quærenda atque constituenda est, & hæc alia non est, nisi Deus, alius igitur, ac omnino ab hoc universo diversus sit oportet Præterea Deus, nonnisi unus esse potest, unius, ac ejusdem naturæ, atque essentiæ est. Sed omnia quæ in hac rerum universitate comprehenduntur, sunt inter se natura, specie, proprietatibus, finibusque omnino diversa. Ergo hæc rerum universitas Deus esse non potest. Et certe si Deus, secundum Spinosæ, cæterorumque Pantheistarum Systema, non sit ab hac rerum universitate natura atque essentia omnino diversus, proindeque omnia quæ in mundo sunt entia, nonnisi Dei modificationes esse censeantur. Illud consequitur maximum absurdum, omnia quæ rebus hujus mundi contingunt, ipsi Deo proprie esse tribuenda, actiones enim & passiones, non modificationibus, sed subjectis proprie tribuuntur, sic non dicimus cogitationem cogitare, sed animam, nec divisibilitatem esse divisibilem, sed materiam, adeoque si elementa, plantæ, animalia, homines, & cætera hujus mundi entia non sunt nisi Dei modificationes, quæcunque iis accidunt, Deo tamquam subjecto proprie tribui oportebit, ut proinde Deus sit divisibilis in corporibus extensis, cogitationis expers in lapidibus, sentiens in brutis, rationis compos in homine, imo omnia mala tum physica, tum moralia Deo inesse debebunt, quo certe nihil dici potest absurdius.

Tandem certum est, uni eidemque subjecto non posse duas, aut plures contrarias convenire modificationes, *exg.* non potest eadem ceræ massa esse simul quadrata & rotunda, eadem aqua gutta frigida & calida. Sed si hoc universum Deus sit, necesse omnino erit, eidem non solum plures & diversas, sed etiam omnino contrarias & opposi-

tas

tas modificationes convenire ut eodem tempore sit quadratus & rotundus, mobilis & immobilis, sensus ac cognitionis expers & simul sentiens ac intelligens quod omnino repugnans, ac prorsus chimericum est. Ultimo dum Spinosa, cæterique Pantheistæ hoc universum Deum esse statuunt, simul etiam affirmant omnia in mundo absoluta necessitate evenire, ex quo consequitur Deum ipsum fatali necessitate constrictum esse, eique subjacere, atque ab ipsa dependere; quæ cum opinione & sensu quam de Deo â natura ipsa habemus, pugnant, eique adversantur. Sed decretorium argumentum est, quod ex Sacris Scripturis petitur, quæ luculentissime atque adeo frequenter testantur hunc mundum à Deo creatum fuisse, ejus potentia subsistere, sapientia regi, ac proinde illum à mundo distinctum atque diversum esse. Suffragatur etiam communis ac unanimis omnium populorum, omniumque hominum sensus, atque consensus, qui in suis necessitatibus, periculis, afflictionibus oculos manusque sursum attollunt, opem, auxilium, atque solamen à Deo expostulando.

Objicies 1mo. S. Paulus videtur Spinosæ Systema approbasse, nam in Epist: ad Rom: Cap: 11. *De Deo sic loquitur. Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, & rursum Actor cap. 18. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus. 2do:* Cum Deus sit substantia infinita, omnem aliam substantiam excludere debet, ergo præter Deum nihil esse potest.

Resp: ad 1mum. Verba S. Pauli recte intelligenda sunt, & tunc errori Spinosæ nullatenus favent. Cum igitur Apostolus dicit, ex Deo esse omnia, nihil aliud vult significare, quam à Deo omnia esse creata, cum vero addit, omnia per ipsum, Deum indigitat, omnia gubernantem, ac denum adjiciens omnia in ipso, significat omnia in Deum, tamquam in finem esse referenda. Cum autem idem Apostolus ait nos in Deo vivere, & moveri, ostendit Deum ad nostras omnes actiones concurrere, atque virtute sua omnia conservare regere ac movere.

Ad 2dum: Deum non eo sensu infinitum esse, quasi infinitum realitatum in se contineat numerum, sed ea ratione infinitus est, quia omnes possibiles, & naturæ suæ congruentes perfectiones in se continet.

Quæres 2. In quo sita sit Divina essentia?

Resp: Manifestum est, & sine ulla controversia Dei essentiam in cumulo infinito omnium perfectionum sive attributorum sitam esse, nemo enim est, qui nomine Dei

non

non intelligat ens in omni genere perfectissimum. Et certe quoniam essentia cujusvis entis non in una aliqua proprietate, sed in unione omnium posita intelligatur, ita pariter essentia Divina non in una aliqua perfectione, sed in unione atquæ cumulo omnium perfectionum atque attributorum constituenda est.

Quæres 3. Quid illud in Divina essentia primum sit, quod cæterarum omnium perfectionum sive attributorum quasi radix censeri debeat?

Resp: Probabilior ac verior sententia est, quæ docet existentiam à se seu aseitatem, atque independentiam, esse illud primum, quod in Deo concipitur, quodque quasi radix, ac origo omnium Divinarum perfectionum censeri debet. Et hæc opinio videtur esse consentanea Sacris litteris. Deus siquidem à Moyse interrogatus, quis esset, respondit *ego sum, qui sum. Sic dices filijs Israel, qui est, misit me ad vos.* Exodi cap: 3tio. Hic igitur Deus aseitatem seu existentiam sui necessariam, ac independentem, sibi maxime propriam, & quasi sui constitutivam esse declarat, *Ego sum qui sum*, atque hoc agnoverant, & ex citato Exodi texto unamimi consensu deduxerant SS. Patres, quorum instar ait S. Bernardus Libro 5to de Consider Cap: 6. ubi sic loquitur. *Quid est? non sane occurrit melius, quam qui est, Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, si quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur quod est, est.* Et certe nihil intelligi, aut cogitari in Deo potest aseitate prius. Omnia etiam Dei attributa, atque perfectiones, ex hoc quasi principio dimanare facile concipiuntur, nam quod à se ipso est, nullam habet sui causam, nullo modo limitari, ac circumscribi potest, sed debet esse omni perfectionum genere cumulatissimum. Igitur aseitas pro radice omnium Divinarum perfectionum recte statuitur, ac proinde tamquam primum, in Deo concipitur.

Quæres 4. Quid & quoduplicia sunt Dei attributa?

Resp: Attributa sunt perfectiones, quæ Deō competere dignoscuntur. Duplicis autem sunt generis, alia sunt *absoluta*, quæ Deo ratione ipsius naturæ atque Divinæ essentie conveniunt, unde omnibus tribus in Deo personis competunt, qualia sunt æternitas, immensitas; alia vero sunt *relativa*, quæ ad Divinas referuntur personas, suntque singulis propria, veluti paternitas filiatio. Iterum attributa Divina *inaffirmativa & negativa* dividuntur. *Affirmativa* illa dicuntur, quæ significant ipsam Divinam Substan-

 tiam

tiam, quibusdam realibus ac positivis proprietatibus, ac perfectionibus præditam, ut cum dicitur Deus bonus, verus, Omnipotens, quibus verbis non significatur tantum Deum carere malitia falsitate, aut impotentia, sed his nominibus positivas ac reales Deo tribuimus perfectiones. *Negativa* illa sunt, quibus nonnisi imperfectiones quasdam à Deo removemus, ut cum dicimus Deum immortalem, impaſsibilem, infallibilem, solam mortalitatem, paſsibilitatem, fallibilitatem negamus ullo modo Deo tribui poſse.

Quemadmodum verò Dei eſsentiæ, atque naturæ competit infinitas, ita pariter, & non minus illa divinis convenit attributis, sicut enim Deus, in sua natura dicitur & est infinitus, ita quoque infinita est ipsius sapientia, infinita bonitas, & justitia. Et quamquam mens nostra pro modulo suo cogitandi, atque representandi, Divina attributa certo numero concludit, intelligimus attamen illa plura eſse in Deo, quam quæ novimus, imo prorsus infinita.

Quæres 5. Quid sit & quotuplex perfectio?

Resp: Perfectio est dos, atque qualitas, quæ enti aliquid ſuperaddit, & quam proinde melius est habere, quam non habere, *exg. Activitas, intelligentia, sensitivitas.* Duplicis generis sunt perfectiones, aliæ dicuntur *simpliciter tales*, seu absolutæ perfectiones sunt quia nullam habent admixtam imperfectionem, unde simpliciter perficiunt illud Ens, cui insunt, exg: bonitas, justitia, sapientia. Aliæ sunt perfectiones *secundum quid*, quæ ex ipsa ſua ratione aliquam habent admixtam imperfectionem exg: ratiocinari, quia in quolibet ratiocinio à noto descendimus ad ignotum. Utriusque generis perfectiones in creaturis videre est.

Attributa igitur Divina sunt perfectiones primi generis, quæ simpliciter sunt tales, & has Deus in se continet formaliter, & quidem in gradu infinito. Perfectiones verò secundi generis, quæ non sunt nisi secundum quid, tales formaliter Deus in se non continet, quia ex ipsa ſua ratione habent aliquam adjunctam imperfectionem quæ in Deo locum habere nequit, sed illis longe quod eminentius, atque excellentius in se complectitur, sic exg: non inest Deo humanum ratiocinium, non enim Deus à noto ad ignotum discurrit, cum illi omnia plana atque aperta sint, sed est in Deo ratiocinio quid excellentius, hoc est; comprehensio, quia omnia scrutatur, ac comprehendit.

Quæres 6. An inter attributa Divina admitti debeat distinctio?

Resp:

Resp: Non defuerunt aliquando hac de re errores. *1mo.* Eunomius Sæculi 4ti Hæreticus. & sectæ Anomæorum institutor omnem prorſus distinctionem inter attributa & Divinam eſsentiam sustulit, hôc peſsimo consilio ut ad impugnandam Filii Divinitatem sibi viam aperiret. *2do* Gibertus Porretanus Pataviensis Episcopus, Sæculo 12mo inter eſsentiam Divinam & ipsius attributa quamdam statuebat distinctionem quæ ùt Erronea in Concilio Remensi *Anno* 1148. sub Eugenio 3tio Romano Pontificé damnata fuit. Verùm quæ & qualis illa fuit distinctio hucusquè omnino latet, diversis diversa hac de re opinantibus. Mediæ autem inter hos oppositos errores, multæ sunt Catholicorum Sententiæ. Sed tres præcipuè numerantur. *1ma* inter attributa Divina abinvicem, tum etiam à Divina eſsentia intrinsecam statuit distinctionem, quâ independenter à quacunque mentis operatione Divina attributa tum inter se, tum ab eſsentia Divina discriminantur. Hanc distinctionem vocant realem, quia re ipsa independenter à nostro concipiendi modo posita est. *2da.* Mentalem solum admitit distinctionem, quam rationis nominant, quatenus eſsentia Divina, illiusqué attributa, licèt sint eadem simplicissima rés, quia tamen distinctis conceptibus illa nobis representamus, atque ût distincta percipimus, ideô quamquam in se indistincta sint, mentis tamen nostra operatione distingvuntur. *3tia.* Nonnisi extrinsecam distinctionem admittit ex ratione diversorum effectuum, qui diversis attributis adjudicantur, quia scilicet alii sunt effectus Divinæ bonitatis, alii justitiæ, propterea mens nostra bonitatem Divinam àjustitia secernit atque distingvit. Hæc virtualis dicitur quia in Divinorum attributorum virtute, atque diversæ operatione fundatur.

Quæres 7. Quâ tandem ratione attributa Dei inter se, & ab eſsentia Divina distingvuntur?

Resp: 1mo. Inter eſsentiam Dei ejusqué attributa atque inter ipsa ad invicem, aliqua omnino admitenda est distinctio. Quæ enim diversimodo concipiuuntur, revera inter se differunt, quæ verò inter se differunt, non ſunt quid unum, sed omnino à se invicem distingvuntur. Porrò attributa Dei ejusqué eſsentia diversimodo à nobis concipiuntur, aliter namque à nobis concipitur bonitas Divina aliter justitia, aliter æternitas, atque bonitas Divina, secundum formalem suam rationem, non est justitia, neque justitia secundum suum formalem conceptum, est æternitas. Omnino ergo ab invicem distingvuntur. Sanè cum Sacra

 Scri-

Scriptura Dei attributa, separatim & ab diversis modis nobis exhibeat, & seorsim illa recenseat meritò & nos ea ùt distincta concipimus, atque ùt diversa nobis repræsentamus.

Et verò cum errorem Eunomij, qui inter attributa, & Divinam esentiam omnem prorsùs distinctionem negavit, Ecclesia condemnaverit, illumqué SS. Patres acriter insectati fuerint, inde manifestè efficitur aliquam omnino inter Dei esentiam, ipsiusqué attributta admitti debere distinctionem.

2do. Inter Dei esentiam ejusqué attributa pariter & inter Ipsum & attributa Divina non intrinseca, sed solùm extrinseca admitenda est distinctio. Enimvero esentia Divina in cumulo Divinorum attributorum consistit, proindequè si Dei esentia ab ejus attributis intrinsece distingveretur à se ipsa illa hòc pacto distiingveretur, quod implicat. Pariter etiam inter ipsa Divina attributta intrinseca distinctio dari nequit. Est enim Deus Ens simplicissimum, neque potest rebus realiter distinctis componi. Quod si attributa Divina esent intrinsece ab invicem distincta, jam Deus eset Ens ex rebus realiter distinctis compositus. Hoc autem cum dici nequeat, relinquitur nullam in Deo intrinsecam dari distinctionem. Unde Sanctus Gregorius Nysænus Orat: 10ma in Cantica, hæc breviter habet. *Deus est ille ipse, qui prorsus est sapientia, & justitia, & ipsa veritas, & singillatim omnia.* Et S. Bernardus in Concilio Remensi contra Gebertum hæc graviter pronuntiavit. *Scribatur styllo ferreo, quod Divina esentia, natura, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo, vere est Deus.* Igitur sola extrinseca tum inter Dei esentiam, ejusqué attributa, tum inter ipsa Divina attributa ad invicem admittenda est distinctio. Et certe intrinsecam distinctionem inter esentiam Dei, ejusqué attributa cur admittamus, nulla est ingens ratio non enim semper pro realiter distinctis haberi debent, quæ distincta ratione percipiuntur, quod enim Dei esentiam, atque Ipsius attributa diversimode apprehendimus, id sit vel quia Deus distinctis operationibus suis nobis motivum suppeditat, ut Eum ex distinctis aspectibus contemplemur, vel quia mentis nostræ brevitas prohibet, quò minùs illum uno conceptu intelligamus. Mentalis autem, sive virtualis, & nihi-inter se differunt, & utraque prorsùs Deo extrinseca est! Idem si quidem, & par est, si dicamus Dei attributa ese distincta, vel propter diversos mentis nostræ conceptus,

quibus

quibus illo appræhendimus, sive propter diversos ac varios effectus, qui illis adjudicantur. Sive ergo hanc, sive illam admittamus, idem omnino est, utraque extrinseca Deo est & hanc solùm, tum inter Divinam eſsentiam, & Dei attributa, tum inter ipsa Divina attributa inter eſse distinctionem afferimus. Hæc brevi S. Augustini libri 6ti de Trinit: Capitis 7. concludamus sententia. *Deus multipliciter quidem dicitur magnus, bonus sapiens, sed eadem magnitudo ejus, quœ bonitas, eadem bonitas, quœ sapientia.*

CAPUT SECUNDUM

De præcipuis Dei attributis.

Quœres. Quœ sint prœcipua Dei attribuata?
Resp: Præcipua Dei attributa sunt Ipsius unitas immaterialitas, immensitas, æternitas, infinitudo, atque immutabilitas.

ARTICULUS Imus

De Dei unitate.

Quœres 1. An Deus unus est?
Resp: Deus non nisi unicus est. Id ipsemet Deus testari dignatus est Deuter: cap: 32. sic Judæos alloquens. *Videte quod ego sim solus & non sit alius Deus prœter me,* unde in Psalmo 82. sic Deum rogat Psalmista. *Omnes gentes cognoscant, quia nomen Tibi Dominus, tu solus Altiſsimus in omni terra.* Et Paulus Apostolus 1. Corinth: cap: 8. scripsit. *Scimus quod nullus est Deus, nisi unus* in Epistola vero ad Ephesios cap: 4to rotundis verbis aſserit. *Unus Dominus unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes.* Sed & rationibus naturalibus Deum unicum eſse evincitur. Certè cum Deus sit ens perfectiſsimum, nequit eſse nisi unicus. Etenim duos ponamus Deos, tunc aut attributa, perfectionesqué habebunt similes ac æquales, aut diversos, & in æquales. *Similes œquales* tunc eadem in illis erit natura, eſsentia, atque substantia, nam similia attributa, pro-

proprietatesqué ex eadem profluunt substantia ac proinde unus Deus aut certè nullus, qui neuter erit Ens summum ac perfectissimum, quemadmodum ipsa Dei idea ex postulat. Si veró *diversos, ac inæquales*, tunc uterque erit imperfectus, utrique enim infinitæ alterius deerunt perfectiones. Hoc argumento utitur Tertulianus Libro 1. contra Marcionem cap: 3. *Deum ut scias unum esse, quære quid sit? nempe Deus est summum magnum, in æternitate constitutum, quæ autem erit conditio ipsius summi, magni? Nempe ut illi nihil adæquetur, id est ut non sit aliud summum magnum.* Et veró si plures essent Dii, oporteret eos differre, aliquid ergo conveniret uni, non competeret alteri; & sic illi, cui aliquod de esset, non esset omnino & undequaque perfectus, ac proinde non esset Deus. Prætereâ omnes rationes, quæ ostendunt Deum esse, demonstrant quoque unicum esse. Hac enim ratione demonstratur esse Deum, quia esse omnino debet Ens quoddam æternum, in quo sit ratio sufficiens omnium existentium, & possibiliùm, ac unicum hujusmodi ens sufficit: nulla ergo ratio esse potest, cur alterum statuatur, cum & ipse mundi ordo, unum nonnisi istiusmodi Ens esse, evidentissimè ostendat. Ordo siquidem hujus universi ad unum finem tendit, omnia secum strictissime concatenata eandem constituunt machinam, ordinatissima harmonia constructam, unum ergo supremum Autorem atque rectorem demonstrat. His rationibus accedit veterum Philosophorum consensus, qui etiamsi, ut plebi & multitudini morem gererent, pluribus Diis præces & Sacrificia offerenda esse docuerint, & ipsi offerrebant, nimia tamen rei evidentia convicti, unum esse supremum Numen confitebantur, cui cæteros quasi minores Deos subiiciebant, atque sub ipsius potestate, & regimine constituebant. Nusquam veró plurima æqualia, ac summa Nomina statuebant. Unum hic sufficiet adducere testimonium Maximi Tyryi Philosophi Platonici, qui Sæculo Ecclesiæ 2do floruit, hæc ille oratione 1ma habet. *In tanta opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, Regem omnium & Patrem Huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sunt, & quasi in imperio collegæ.*

Quæres 2. Qui nam circa Dei unitatem erraverint?

Resp: Circa unitatem Dei ii omnes turpissimè errant, qui plures Deos statuunt, atque illi Græco vocabulo Polytheistæ dicuntur. Primi in hoc ordine sunt Gentiles, qui infinitam propemodum Deorum Dearumque turbam colebant,

bant, atque adorabant. Quanquam enim Gentilium sapientiores, ac Philosophi unum supremum Deum agnoscebant, quem hominum Deorumque Patrem vocitabant, attamen illi, alios minores, plures Deos aſsociabant & rudiores ac populares diversi generis & ordinis Deos venerabantur, cultum illis adeô superstitiosum, ac turpiſsimum exhibendo.

Non uno autem modo cæca gentilitas idololatrica ſuperstitione peccabat. *1mo* Simulacra manufacta ùt Deos celebant, ipsisqué Divinitates ineſse arbitrabantur, & hujus amentiæ illorum, in Sacris Scrìpturis, ac SS. Patribus frequens est mentio, *2do* alij minus stupidi, non statuas & simulacra ipſa, aut imagines, ſed homines ac creaturas, tanquam Divinitatis participes, pro Dijs habebant atque illis Divinos honores tribuebant. Sed multò perniciosior eorum Secta fuit, qui duo ſumma principiá, ſeu duos effinxerunt Deos, alterum bonum, ac bonorum omnium auctorem, alterum malum, unde tot malorum quibus mundus obruitur, origo repetenda sit. Hic error erat multorum Hæreticorum Menandri, Saturnini, Basilidis, Carpocratianorum, Gnosticorum, Cerdoniani, Marcionis, verum hanc turpiſsimam opinionem longê celebriorem fecerunt Sæculo 3tio Manichæi, â quodam Manetè Natione Perſa orti, qui dogma de duplici ſummo Principio, bono & malo, longè lateqné propagârunt.

Quæres 3. Quid ſentiendum sit de Idolorum cultu quem Gentiles exhibebant?

Resp: Idolorum cultus, vanus est ſuperstitioſus, ac detestandus. Imprimis enim, vel ipsis cordatioribus, ac ſapientioribus Ethnicis riſum & stomachum movebat illorum dementia, qui in animalibus, inſenſatis rebus, statuis, imaginibus Divinitatem residere stultè opinabantur, qua de re legi potest Juvenalis Satyra 5ta Horatius autem Satyra, 2da à voluntate artificis, illos Deos pendere obſervat, & irridet, quos ignarum vulgus adorabat: idem præstat Maximus Tyrius oratione 33. Sed & in hoc abſurdê Gentiles peccabant, quod Divinos honores, Saturno, Jovi, Appolino, Baccho, Marti, Junoni, Veneri, alijsqué hujuscemodi Numinibus tribuebant, cum homines mortales olim fuerint, & quidem multis magnisqué sceleribus coinquinati. Itaque gravisſimi criminis rei erant, cultum, qui ſoli Deo debetur hominibus tribuentes, unde illos ſevere arguit Apostolus in Epist: ad Roman: cap: 1. quia turpiter ac insipienter: *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum,*

crum, & quadrupedum, & ſerpentium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quam Creatori.

Dices. Sapientiores inter Ethnicos, nonniſi unum ſupremum Numen colebant, ceteros verò Deos, non aliter quâm nos Angelos, & Sanctos, & quemadmodúm nos putamus diverſos Sanctos, diversis neceſsitatibus eſse præfectos, ita & illi Martem Bello, scientijs Palladem, terræ ubertati Cererem præeſse putabant.

Resp: Non pauci inter Gentiles, Christianis stultas eorum ſuperſtitiones deridentibus, consultiùs duxiſse, ſuas Divinitates allegorice explicare, quô minùs abſurda eorum videretur Religio. Sed prætereâ non unum est, nec parvum inter nos & ipſos discrimen 1. quia & si multi Ethnici, hos Deos ut minores, unum autem ſolùm, ut ſupremum Deum colerent, tamen in hoc ſemper delirabant, quod unicuique Divinos honores deferrent, & quidem abſolutè, nullaqué habita ratione ad ſupremum Numen: Nos autem Sanctos colimus, cultu non Divino, ſed dignitati, ac Sanctitati ipſorum proportionato, atque morè relativo ad Deum illum referendo, ſeu potiùs Deum colimus in Sanctis ſuis. 2do Pagani velut Deos adorabant homines planè impios, ira & furore percitos, libidine inflammatos, omniqué vitio contaminatos. Nos contra, nonniſi in signos pietate Viros veneramur.

Quæres 4. Duo ſumma principia bonum & malum ſuntné admittenda?

Resp: Deo ſumma Principia bonum & malum nullatenús poſsunt admitti. Si enim darentur duo ſumma rerum Principia bonum & malum, utrunqué eſset abſolutè neceſsarium, & omnino perfectiſsimum, ac proinde unum ab alio independens, in ſe illimitatum, & quidquid unum habet, ac poſsidet, alterum quoque habere, ac poſsidere deberet, sicqué perfectiones, Principij boni, ineſsent Principio malo, & perfectiones principij mali, ineſsent principio bono ac propterea Principium bonum, erit simul malum, & principium malum unâ erit & bonum. Neque enim dici potest, principium malum nullas perfectiones habere, ut de his principium bonum participare debeat, & ſolis tantummodo constare imperfectionibus, quæ Principium bonum dedecent, quomodo enim hoc principium malum erit ſummum, ac perfectiſsimum, & in ſe illimitatum. Quod si istud minimè urgeatur, ſaltem hoc omnino concedendum est, principium malum utpote ſummum, ac perfectiſsimum debere omnes principij boni perfectiones habe-

habere, ac proinde bonitatem etiam benignitatem, benevolentiam. Malum igitur, bonum erit. Hæc itaqué cum in ſe abſurda, ac sibi contraria sint, prorſus reijcienda, atque contemnenda ſunt.

Et verò præſens rerum ordo talis est, ut bona sint mixta malis, mala bonis continuò permutentur. Porrò si admittantur duo ſumma principia, unum bonum, alterum malum, tunc in mundo aut nihil erit neque bonum, neque malum, aut nonnisi bonum, vel malum. Enim verô hæc duo ſumma principia bonum & malum, vel haberent vires æquales vel inæquales. Si haberent vires inæquales, tunc vis major unius, vim minorem alterius excuteret, atque coherceret, omnia que opera ejus destrueŕat, ac proinde, aut nullum bonum, aut nullum malum in mundo fieret, proût nempe alterutrum vinceret. Si verò haberent vires æquales, tunc illæ mutuò ſese eliderent, ac neutrum principium ullum effectum obtineret, proindequé rurſus nihil foret in mundo, quod aut bonum, aut malum sit, quemadmodum enim in mechanica, ex viribus æqualibus & directè oppositis, nihil nisi quies conſequitur; ita ex viribus æqualibus duorum principiorum directe sibi oppositorum boni & mali, nihil, neque bonum, neque malum, in mundo prodire, nec evenire potest. Hæc verò quoniam continuæ experientiæ adverſantur, duo ſumma principia bonum & malum admitti nequeunt.

Dices. Fingi potest fædus quoddam, quod duo isthæc Principia, diuturnæ pugnæ perteſa inierint atque istiusmodi pacto, unum in gratiam alterius aliquid conceſserit.

Resp: Hac fictione nihil magis abſurdum eſse potest. Vel enim principium bonum, malo plùs valet viribus, vel non. Si ita, & pactum istud inivit, meritò omnium malorum cauſa, in ipsum reijcitur, quod in Manicheorum cæterorumqué opinione cum natura principij boni pugnat, quoniam ipsi putant nullum ab eo malum permitti poſſe, quia tota natura sua malo adverſatur, illiqué repugnat. Si verò principium bonum viribus principio malo non plùs valet, & à principio malo ſeparatur, tunc principium malum, quod ex natura ſua, ad mala duntaxat cauſanda determinatur, contra naturam ſuam aget, cum principio bono ineundo hoc fædus, atque ita permittendo ut quædam bona adsint, quæ utpote vi ſuperiore instructum, facillimè tollere poſset. Statuto itaque hujusmodi fædere, tâm bonum principium cauſa erit mali, quam ma-

malum caufa boni existet, ac proinde bonum principium erit simul non bonum, malum autem non malum, quod apertè implicat.

Obijcies. Jntelligi non potest, quomodo si Deus unus est omnipotens, & fumme bonus, permittere potuerit mala, sive culpæ, sive pænæ?

Resp: Malum culpæ, feu morale, non Deo tribuendum est, fed homini. Deus hominem liberum creavit, nullaqué adstrictum necefsitate. Homo veró libero arbitrio malé utens, prima, & unica est caufa mali moralis, atque culpæ. Hôc autem malo culpæ posito, atque admifso, justifsimè Dei vindicis armatur dextera adfumendum de homine vindictam, unde mala phisica sive pænæ profluunt. Jstud ipfe Gentilis agnovit Homerus, dicens: *adfcribunt fuperis homines mala, cum tamen ipsi criminibus proprijs sibi talia damna crearint.*

At inquies. Deus prævidens hominem libero arbitrio male ufurum, vel ipsum homini conferre non debuit, vel faltem tantis eum fulcire tenebatur præsidijs, ut hoc dono non abuteretur.

Resp: Liberum arbitrium, &ipsius abufus, funt appendices naturæ humanæ. Cum enim homo natura fua activus sit, vi intelligendi ac volendi præditus sit, inde consequens erat ut & libero donaretur arbitrio, alias foret machina mortua, Dei digito perpetuo dirigenda. Jam veró cum vis volendi, & intelligendi in homine, finita ac limitata sint, inde fluit liberi arbitrij abufus. Quare ex naturæ nostræ conditione, & liberum est arbitrium, & ipsius abufus. Convenientifsimum itaque fuit, quatenus Deus hominem creando, & liberum arbitrium illi non denegaret, fed conferret, & abufum ipsius minimè impediret, maximê cum tot naturæ & gratiæ homini contuberit dona, & fubsidia, quibus si vellet benè uti, tam excellenti liberi arbitrij beneficio minimè abuteretur.

ARTICULUS 2dus.

De immaterialitate ac simplicitate Dei.

Quæres 1. Quid & quotuplex sit simplicitas?

Resp: Simplicitas nihil aliud significat, quam carentiam, feu exclusionem omnis compositionis. Quemadmodùm autem duplex potifsimùm est compositio, *physica* scilicet

licet, *& methaphisica*, ita etiam duplex illi opposita simplicitas. Compositio *physica*, est unio, sive conglutinatio multorum, quæ *physicé* inter se differunt, ac distingvuntur. Talis compositio in corporibus, rebusqué materialibus reperitur, ipsisqué in est. Huic compositioni opposita simplicitas physica est ipſa immaterialitas, sive spiritualitas, quâ omnis materia atque concretio excluditur. Compositio verò *methaphisica* est unio & conglutinatio, eorum in unum, quæ nonnisi methaphisicè entia, ac multa eſse cenſentur, unde sine ulla materiæ concretione distincta putantur. Talis in quolibet ente admitti potest compositio, quia quodlibet ens constat attributis ac proprietatibus sibi proprijs, ex quibus illius natura atque esſentia quasi coalescit. Huic compositioni opposita Simplicitas methaphysica, omnem realem & intrinsecam, multorum ac distinctorum excludit coagmentationem, quare constituit realiter ac intrinſecè unum ens simpliciſsimum.

Quæres 2. An Deus ita sit simpliciſsimus, ut natura illius etiam methaphysicam excludat compositionem?

Resp: Deus est natura sua simpliciſsimus, ipſamqué methaphysicam excludit compositionem. Enimvero in Deo neque naturam sive eſsentiam ab ipsius attributis, neque etiam ipſa attributa, inter ſe intrinsecè & realiter distinguere poſsumus, non sunt ergo realiter & intrinſecè multa, nullam itaque compositionem efficiunt, neque tanquam partes unum totum constituentes cenſeri ullatenùs poſsunt. Propterea quidquid in Deo est ipse Deus est. Quare etiam in Sacra Scriptura Deus sapientia dicitur, & lux, & charitas nominatur, atque Christus Joannis cap: 14. de ſe ait. *Ego ſum via, veritas, & vita*, quæ ſanè dici non poſsent, nisi Divina attributa, cum Dei natura, atque eſsentia unum idemqué eſsent. Unde S. Augustinus Lib: 15. de Trinitate Cap: 5. scripsit. *Una eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis.* Cum itaque nullus in Deo datur complexus plurium à ſe invicem intrinsicè ac realiter distinctorum, omnemqué ipsius natura excludit multitudinem, adeò Deus est ens simpliciſsimum, & omnem etiam methaphysicam excludit compositionem.

Quæres 3. Estne Deus immaterialis ac incorporeus?

Resp: Deus est immaterialis ac incorporeus. Enimverò Jsaias Cap: 40. docet, Deum nulla corporeâ imagine poſse exhiberi, quia purus Spiritus est. *Cui similem*, inquit: *fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis Ei?*

His

His consonant Apostoli Pauli verba, Actor: cap: 18. dicentis: *Non debemus æstimare auro, aut aergento, aut lapidi sculpturæ artis Divinum esse simile.* Expressè autem in alijs Scripturæ Sacræ locis Deus vocatur Spiritus. Sic 2da Corinth: cap: 3. *Dominus Spiritus est.* Et Joannis cap: 4. Christus inquit: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare,* quibus in locis nomen Spiritus sumitur per contrapositionem ad corpus. Prætereâ in Scripturis illa passim Deo tribuuntur, quæ nullo modo Deo corporeo competere possunt, qualia sunt, infinitas, imensitas quis enim corpus infinitum, & immensum, cogitare aut imaginare unquam potest. His accedit judicium Ecclesiæ Anthro pomorphitæ siquidem, qui Deum corporeum esse dictitabant, & sub hominis imagine colebant, semper ùt Hæretici habiti sunt eorumqué opinionem S. Hieronymus stultissimam Hæresim, Theodoretus stultam sententiam, appellant, Cassianus verò gravem errorem, qui in perpetuæ mortis discrimen inijciat, & gentilem blasphemiam ab Inferis revocat.

Obijcies. Genesis capite 1. dicitur Deum creasse hominem ad imaginem suam, prætereâ in Sacris Scripturis tribuuntur Deo oculi, manus, aures, & cætera hominis membra. Ergo Deus corporeus est.

Resp: Jmago Dei ad quam factus est homo, in anima ipsius quæ Spiritualis est, relucet, unde S. Ambrosius in Psalmum 18. scribens hæc habet: *Jnvisibilis Dei Imago non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur.* Ubi vero in Sacris Scripturis Deo tribuuntur membra hominis ac sensus, id nonnisi metaphysicè & sensu Spirituali intelligendum est, quia membra, & sensus corporeos, rotundis verbis Scriptura denegat Deo, *Nunquid oculi carnei tibi sunt* inquit Job cap: 10. *aut sicut videt homo & Tu videbis.*

Quæres 4. Cum Deus sit immaterialis, estné etiam incorruptibilis?

Resp: Deus cum sit immaterialis ac proinde verus Spiritus, est quoque incorruptibilis. Corruptio siquidem est partium dissolutio. Cum itaque in Deo nulla sit partium compositio, nulla etiam in illo dari potest partium dissolutio, unde corruptio sequitur. Unde Deus intrinsecè in corruptibilis est. Sed neque fingi potest in Deo corruptio, seu destructio ab aliquo externo agente proveniens. Deus enim útpote Ens à se, sicut à nulla causa produci potuit, ita à nulla in nihilum redigi valet. Atque

hæc

hæc ex Dei immutabilitate, atque æternitate necesſariò fluunt, atque consequuntur, quod enim alteratur, ac corrumpitur, mutationem ſubit, neque æternum est.

Jn corruptibilitatem Dei Apostolus Paulus prædicat Rom: cap: 1. ubi Ethnicos Philosophos reprehendit, quod *gloriam in corruptibilis Dei mutaverint.* Deinde in Epist: 1. ad Timoth: cap: 1. Deum vocat Regem ſæculorum immortalem, seu ùt græcus textus habet incorruptibilem *Regi ſæculorum immortali:* & iterum cap: 6. ſolum Deum aſserit habere immortalitatem, *Solus habet immortalitatem:* Tribuitur autem immortalitas, ſeu in corruptibilitas ſoli Deo, quia ipsi ſoli competit per eſsentiam, cæteris autem creaturis id competit ex voluntate Dei, cui placet eas in æternum conſervare. Hinc etiam in Scripturis Deus dicitur vivens, imo fons vitæ, quemadmodum in Psalmo 35. atque in semetipso vitam habere Joan: cap: 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipſo, sic dedit & Filio habere vitam in ſemetipso:* quia scilicet quod ſemper vivat, id non ab alio aliquo habet, ſed à semetipso, atque à ſua natura, & eſsentia.

ARTICULUS 3tius.

De Dei immensitate, æternitate, atque immutabilitate.

Quæres 1mo Quid sit immensitas?

Resp: Jmmensitas est ubiquitas, ratione cujus, Deus est ubiquepræsens, atque omnia loca occupat, unde etiam ore Jeremiæ cap: 23. inquit Deus: *Cælum & terram Ego impleo,* non ita tamen ut cætera excludat, quia omnia intimè penetrat. Dei itaque immensitas non est intelligenda, nec accipienda, aut proscientia, quâ Deus omnia compræhendit, aut pro potentia, quâ omnia conſervat, atque operatur, ſed pro ipsa Dei ſubstantia, quæ nullis locorum terminis, circumscibi potest, unde consequitur Deum substantialiter ubique eſse præsentem.

Quæres 2. An revera Deus sit ubique ſubstantialiter præſens?

Resp: Dogma est Christianum Deum eſse ubique ſubstantialiter præsentem. Enimverò id apertiſsimè testantur Sacræ Scripturæ Psalmo 138. regius Psaltes dicit. *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à faice tua fugiam? si ascendero in cælum, Tu illuc es, si descendero in Infernum, ades:* In libro

Job

Job cap: 11. de Deo dicitur: *excelsior Cœlo, profundior Inferno, longior terra mensura ejus, & latior mari* Et Salomon 2. Paralipomenon cap: 6. Deo ajebat. *Si cœlum, & Cœli Cœlorum te non capiunt, quantò magis Domus ista quam ædificavi:* Denique S. Paulus Autor: cap: 17. de Deo dicebat, *non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus & movemur, & sumus.* Quare S. Joannes Chrisost: illa verba Psalmi 112. *Qui in altis habitat, & humimilia respicit in Cœlo & in terra* explicans, sic inquit: *ostendit illum ubique esse, illic, & hic, non enim tanquam aliquis in Cœlo conclusus animus videt, quæ sunt in terra, sed ubique præsens, & omnibus assistens.*

Verùm & ratione, Deum esse immensum perspicuè ostenditur. Deus siquidem est ens necessarium, illudque à nulla causa productum, sed necessitate naturæ suæ existens, quônam igitur modo, vel à qua causa, ad certum locum quasi relegari potuit, cur certa spatia debuit occupare, & non alia. Certè Plotinus Philosophus Platonicus solo rationis lumine hanc Dei immensitatem agnovit, imo mirum illi videbatur, posse id, ab aliquo ignorari, unde Encade 6. libro 5. cap: 4. contendit, *id omni humanæ insitum esse naturæ, ut sicut esse Deum existimet, etiam esse ubique totum arbitretur.*

Quæres 3. Quid sit æternitas?

Resp Celebris, & apud omnes recepta est æternitatis definitio, quamtradit Boetius. *Est scilicet æternitas, interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio:* itaque æternitas est duratio permanens, sinè principio, & sinè fine. Juxta hanc Definitionem concipere debemus Deum, ùt ens quoddam immutabile, sinè ulla prorsus successione, aut temporis continuatione, ac proinde nihil sit præteritum nihil futurum, sed omnia præsentia, & cujus nullum sit initium, nullus finis in hoc enim propriè ratio æternitatis consistit.

Quæres 4. Utrum Deus sit æternus?

Resp: Deus est æternus Nempe quod à nulla causa produci potuit, est ens à se. Porró ens à se debet esse necessarium, si enim contingens fuisset, potuisset esse, vel non esse, adeóqué debuisset ab aliqua causa determinare ad esse potiùs, quam non esse. Ens verò necessarium & semper fuisse semperque esse omnino oportet. Cum igitur Deus sit ens à se ac necessarium, semper ille & ab æterno fuit, ac semper, & in æternum erit. Sed & ipsi Athei fatentur à tota æternitate aliquid fuisse. Si enim semel fin-

fingatur nihil aliquando fuiſse, jam intelligi nullo modo poterit, repente hanc rerum universitatem extitiſse. Jllud autem quod à tota æternitate fuit, quodque cauſa universorum extitit, aliud eſse nequit nisi Deus, est igitur Deus æternus.

Quæres 5. An ſoli Deo competit æternitas?

Resp, Soli Deo convenit, atque competit æternitas. Solus enim Deus est ens a se, ac abſolute neceſsarium, unde ſolus, quemadmodum principio caret, ita finem non habet, creaturæ autem etiamsi sint in æternum duraturæ, proprie tamen æternæ dici non poſsunt, quia principium habuerunt. Quamobrem S. Augustinus Tract: 23. in Joan: explicans illa verba Apostoli, Epist: 1. ad Timoth: cap: 6. quibus de Deo dicitur, *quod ſolus habet immortalitatem* in-quit, *quid ergo est quod ait Apostolus de Deo, nisi quod hoc aperte dixit, ſolus habet incommutabilitatem, quia ſolus habet veram æternitaem.*

Quæres 6. Cum Deus sit æternus, estne etiam immutabilis?

Resp: Deus idem, qui ab æternitate fuerat, semper perseverat, ac proinde immutabilis est, idque pluribus in locis Sacræ prædicant Scripturæ, Malachiæ cap: 3. *Ego Dominus & non mutor.* Numeror: cap: 23. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Sed Dei immutabilitatem mirifice deſcribit S. Jacobus Apostolus cap: 1. *apud quem*, id est Deum, *non est transmutatio nec viciſsitudinis adumbratio.* Et certe Deus est Ens ſumme perfectum, nihil ergo deperdere, nihil illi accedere potest, quo natura, atque eſsentia ipsius, aut deteriorari, aut meliorari poſset, est itaque ratione eſsentiæ atque naturæ ſuæ immutabilis. Sed etiam ratione ſuarum operationum est Deus immutabilis, quia quæ cunque in tempore constituit, voluit, ac fecit, id ab æterno ab ipso præcognita atque decreta fuerunt. Certe, quoniam ut ſcripsit Paulus Apostolus Hebr: cap: 4. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis Dei*, nulla illi de novo advenire potest ratio, ob quam velit mutare consilia, atque decreta sua, prorsus ergo Deus immutabilis est.

Dices. Jn multis Scripturæ locis, tribuuntur Deo ira, pænitentia, tristitia, aliæque id genus affectiones, quæ sine aliqua mutatione intelligi nequeunt?

Resp: Jra, tristitia, pænitentia, Deo in Sacri scripturis tribuuntur, non quia Deum intrinsece afficiunt, ſunt enim conturbationes animi, quæ Divinæ naturæ competere

tere, ipsique in esse nequunt, sed per illa varij, ac diversi unius Divinæ voluntatis denotantur effectus. Sic ira Dei est ipsius voluntas, qua decernit perversa hominum punire opera, unde recte S. Augustinus iram Dei apellat Judicem Dei, quo irrogatur pæna peccato. Tristitia, pænitentia, est item Dei voluntas, qua peccatores abominatur, statuitque illam plectere, quare cum in Libro Genesis cap: 6. scriptum fuerit, Deum penituisse, quod hominem in terra fecisset, statem subjungitur, *delebo* inquit Deus *hominem quem creavi afacie terræ:* Jtaque ira, pænitentia tristitia, quibus Deus aliquando obnoxius esse dicitur, varias Divinæ voluntatis operationes denotant, atque effectus diversos qui in creaturis producuntur, non veró putandum est his effectibus Deum intrinsece, & in se affici, atque obnoxium esse. Unde Samuel Propheta Libr: 1. Regum cap: 15. dicebat. *Triumphator in Jsräel non parcet, & pœnitudine, non flectetur, neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.*

CAPUT TERTIUM

De intellectu, atque Divina voluntate.

Quœres. Utrum in Deo sit intelectus, ac voluntas?

Resp: In Deo esse intellectum, atque voluntatem nemo negare, aut dubitare potest, & facilius est invenire, qui Deum esse prorsus negent, quam qui eum admittant, & statuant omni intelligendi vi orbatum esse. Necessario igitur Deus vi intelligendi, seu intellectu præditus est, & hæc vis intelligendi, sive ipsa intellectio, cumulatissima, ac perfectissima est. Quodsi Deus vi intelligendi præditus est, vi etiam volendi carere nequit, duo enim hæc intellectus & voluntas, strictissimo nexu secum copulata sunt, & quemadmodum in Deo intellectus infinitus; ac perfectissimus est, ita quoque & ipsius voluntas, infinita ac perfectissima censeri debet.

ARTICULUS Imus.

De scientia Dei.

Quœres 1. An Deo insit scientia, & qualis est?

Resp:

Resp: Eſse in Deo Scientiam, ubique prædicant Scripturæ. Sic 1. Regum cap: 2. dicitur, *Deus scientiarum Dominus est.* Psalmo 146. *Sapientiæ ejus non est numerus*, & S. Paulus Apostolus, in Epist: ad Colos: cap: 2do· de Deo dicit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, unde ad Romanos scribens cap: 11. exclamat, *O! altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.*

Præcipuæ autem Divinæ scientiæ proprietates, quibus ab humana scientia discernitur, sunt sequentes. 1ma est ejus simplicitas, qua fit ut Deus unico intuitu omnia videat, atque cognoscat, non unum post aliud percipiendo, quemadmodum nobis evenire solet. Nostra scientia per discursum, & quadam cognitionum succeſsione, in nobis gignitur, Deus autem unico, ac simpliciſsimo actu, omnia attingit. 2do. Nostra cognitio causatur à rebus; ex quo enim res existunt, ad nostram notitiam perveniunt. At vero scientia Dei nequaquam ex rebus ipsis ducitur, nequè ex illis hauritur, sed illam Deus ex se habet, ac ex natura sua, atque in se ipso cognoscit omnia, quia scilicet omnium rationes sufficientes in se continet ac complectitur.

Quæres 2. Quomodo scientia Dei dividitur?

Resp: Quanquam una ac simpliciſsima sit Dei scientia, multipliciter tamen ad nostrum concipiendi modum, dividitur. Alia enim dicitur scientia *simplicis intelligentiæ*, qua Deus se ipsum cognoscit, tum res mere poſsibiles, ac omnia, quæcunque non libera, sed neceſsaria sunt. Alia scientia *visionis*, qua Deus cognoscit ea, quæ existentiam habent, vel habuerunt, vel certo & absolute habitura sunt, seu res præsentes, præteritas, atque futuras. Inter utramque aliqui Theologi statuunt scientiam *mediam*, seu scientiam conditionatorum, eorum scilicet quæ futura eſsent, si certa quædam poneretur conditio, *exg.* Tyrij & Sidonij, ut inquiebat Christus Math: cap: 11. pænitentiam egiſsent, si talia vidiſsent miracula, qualia viderunt Corosaitæ & Bethsaitæ. Et hæc non futura, sed futuribilia potius dicenda sunt.

Quæres 3. An Deus cognoscit omnia poſsibilia atque existentia?

Resp: Deus omnia poſsibilia, atque existentia perfecte cognoscit. Deus siquidem est omnium causa prima, atque in ipso poſsibilium, atque existentium rationes sufficientes continentur. Igitur Deus omnia poſsibilia, atquè existentia, in se ipso perfecte cognoscit, & non in communi tantum, ac secundum rationes universales, sed distinctè

omnino, ac secundum particulares, ac individuales rationes. Unde Apostolus in Epist: ad Hæbr: cap: 4. inquit, *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*, quare etiam secundum eundem Apostolum ad Roman: cap: 4. Deus *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Sed præ ceteris omniscientiam Dei describit Job, namque cap: 38. dicit, quod Deus fines mundi intueatur, & omnia quæ sub cælo sunt respiciat & cap: 42. afserit, quod nulla etiam cogitatio sit ab eo abscondita. Verum & Gentiles omniscientiam Dei magna consensione docuerunt. Unde scitum est, & Philosophis pene omnibus celebratifsimum illud Hesiodi, *Oculus Jovis cuncta intuetur atque intelligit.*

Quæres 4. An Deus certifsime cognoscat absolute futura, contingentia & libera?

Resp: Omnia absolute futura, contingentia & libera, Deus certo & infallibiliter cognoscit. Id ex Sacris Scripturis luculentifsime comprobatur. Psal: 138. Regius Psaltes sic Deum alloquitur. *Intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidisti*, & Susanna apud Danielem cap: 13. sic Deum exorat. *Deus æterne qui nosti omnia antequam fiant.* Unde Joannis cap: 6. scriptum est. *Sciebat ab initio Jesus, qui efsent non credentes, & qui traditurus efset eum.* Clara hæc sunt ac perspicua, quæ etsi deefsent, invictum tamen divinæ præscientiæ suppeditarent argumentum innumeræ Prophetiæ, quibus res futuræ, liberæ, prædictæ sunt, & quarum veritatem eventus comprobavit, unde præclarum illud Tertuliani dictum, Lib: 2. contra Marcionem cap: 5. *Præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.* Imo ipse Deus Isaiæ cap. 41. veræ Divinitatis notam, in futurorum præscientia constituere videtur, ita enim falsorum Deorum inanitatem ostendit, *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & scimus quia Dij estis vos*, quæ verba expendens Tertulianus in Apolog: cap: 20. inquit, Testimonium Divinitatis est veritas divinationis.

Id ipsum confirmat brevis hæc sed invicta ratio. Si aliquid vel minimum futurum Deus a tota æternitate ignorafset, eumque lateret, aliqua in tempore fieret ejus scientiæ accefsio, atque perfectionis accumulatio, cum nempe aliquid in tempore de novo cognosceret, quod antea ignorabat. Deo autem nulla fieri potest perfectionis accefsiô, cum Ejus natura perfectifsima fuerit, neque scientia Ejus augeri, aut accumulari potuit, quia & illa infinite perfe-

cta semper extitit. Hinc recte concludebat S. Augustinus Libr: 5to. de Civit: Dei cap: 9no. *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.*

Objicies 1mo: Prophetæ Divino Spiritu afflati multa prænuntiarunt, quæ postea non evenerunt. Sic Isaiæ cap: 38. prædicta est Ezechiæ Regi mors, & tamen ab infirmitate convaluit. Jonas cap: 3tio post quadraginta dies prædixit eversionem Ninivæ, quæ tamen non accidit. 2do: Deus ore Prophetarum futura prænuntians, vocibus utitur, *forte*, *forsitan*, alijsque hujus generis, quibus se probabili aliqua conjectura, non autem certo ea se cognoscere significat. 3tio: Futura contingentia possunt non evenire, ergo nec a Deo certo cognosci possunt.

Resp: ad 1mum. Duæ istæ Isaiæ & Ionæ Prophetiæ præsentem tunc causarum dispositionem respiciebant, non futurorum eventum. Et revera talis erat morbus Ezechiæ, ut nisi vim ejus impedivisset Deus, mortem ei certissime adtulisset, talia quoque erant Ninivitarum peccata, ut Civitas subverti promerita fuerit, quamvis Deus eorum pænitentia placatus Ninivitas conservaverit.

Ad 2dum. His verbis *forte*, *forsitan*, ac similibus, non denotatur aliqua incertitudo & ambiguitas in Deo, quæ nulla omnino esse potest, cum omnia perfectissimè comprehendat, sed usurpantur ad significandam eventuum contingentiam atque humanam libertatem, quæ à Divina præscientia non tollitur, neque læditur, illudque quod à Deo præscitur atque prædicitur in hominis manet potestate. Unde quando quidpiam à Deo, quasi verbis ambiguis prædicitur, denotatur incertitudo eventuum respectu nostri, non autem respectu Dei, qui certissime novit quæcunque homines facturi sunt. Quare Ecclesiasticus cap: 14to. scripsit, *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & hominum corda intuentes, in absconditas partes.*

Ad 3tium: Futura contingentia in se spectata, quia libera sunt, absolute possunt non evenire, sed nunquam istud fiet ut non eveniant. Posito enim quod futura re ipsa sint, & ut talia à Deo præscita, infallibiliter evenient, alias nec futura essent, nec a Deo prævisa. Futurum enim illud dicitur, quod modo non est, aliquo tamen tempore erit. Hinc futura contingentia quamvis possint non evenire, certo tamen evenient & futuritio eorum adimplebitur.

Quæres 5. Utrum Deus certo cognoscit futura libera conditionata?

Resp: Deus infallibiliter & certo præscit, & prænoscit futura conditionata. Enimverò in Scripturis Sacris plures habentur prædictiones, de istiusmodi futuris conditionatis. Sic 1mo Regum cap: 23. cum David Ceilæ esset ac timeret ne illum Ceilitæ Sauli traderent, si Saul ad obsidendam Urbem venisset, Dominum ipse consuluit, *Dixit David, si tradent me Viri Ceilæ*, cui respondit Dominus absque dubio ipsum esse à Ceilitis tradendum, *& dixit Dominus, tradent*: quo audito David sibi melius consulens, alio migravit. Hoc igitur futurum conditionatum, certo Deus præscivit. quia certo prædixit. Præterea Sapientiæ cap: 4. de Justo morte præoccupato dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Noverat ergo Deus hoc futurum conditionatum, justi scilicet mutationem, quæ non absolute, sed sub conditione erat futura, si nempè vitam longius produxisset. In novo etiam Testamento celebris illa prædictio habetur. Math: cap: 11mo. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilitio pœnitentiam egissent.* Conversio igitur Tyriorum pendebat a conditione, etiam nunquam ponenda, scilicet si apud ipsos Christus fecisset virtutes, quas fecerat apud Corosaitas, & Bethsaitas, proindeque erat futurum mere conditionatum. Attamen conversionem hanc Tyriorum, atque Sidoniorum certò prædixit, ac propterea certó noverat Christus. Unde August: Libr: de dono perseverantiæ cap: 9no hæc habet. *Numquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios, talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse si fierent, cum eis ipse Dominus attestatur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent Divinarum illa signa virtutum.*

Et certe Deus qui hominum scrutatur corda, & renes, novitque cogitationes eorum ipse scit quid sit in homine, quis uniuscujusque sensus, quæ propensiones, inclinationes, quæ, qualesque Passiones, cumque hæc omnino connexa sint cum variis objectis rerum, locorum, personarumque circumstantiis, quæ hominem circumdant, & quæ maximum habent in hominis intellectum, atque ipsius voluntatem influxum, ipsisque homo potenter semper commoveri solet, quis inficiari potest Deum certò, & infallibiliter prævidere, ac prænoscere, quid in his, atque aliis circumstantiis, homo acturus, facturusque sit. Sane

si ubi bene novimus indolem *exg.* Petri, perspectumque ipsius habemus animum, posſumus satis probabiliter prædicare, illum his vel illis positis ocasionibus, ac circumstanciis, hæc aut illa acturum, commiſsurum: quidni Deus, qui perfectiſsime novit, ac comprǽhendit omnia certò & infallibiliter prænoscere, ac prævidere poſsit, quid idem Petrus, datis his, vel illis occasionibus sit facturus, perpetraturus. Indubitatum igitur est, Deum futura etiam conditionata, certo & infallibiliter prænoscere, atque præscire. Quare Christus Math: cap: 24. prædixit, quod dies Antichristi propter electos breviabuntur, quia scilicet præviderat Deus, illos, si diutius protraherentur, in illis tentationibus lapsuros. *Nisi breviati fuiſsent dies illi*, inquit Christus, *non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur.*

Quæres 6. In quo medio Deus præsentia, præterita ac futura, cognoscat ac prævideat?

Resp: Multum Theologi disputant, de medio in quo Deus præsentia, præterita, maximè autem futura cognoscat, ac prævideat. Verum tuto affirmari potest, Deo nullo opus eſse medio, ad hæc cognoscenda ac prævidenda, medium siquidem cogitationis illud dicitur, quod prius cognitum, in alterius ducit cognitionem, ut cum in speculo imaginem nostram intuemur, speculum igitur, est nostræ visionis, atque cognitionis medium. Deus verò omnia quæcunque fuerunt, sunt, aut aliquando erunt, sive etiam certis positis conditionibus eſse poſsunt, in se ipsis compræhendit, atque tanquam præsentia ipsa intuetur. Nullo igitur illi opus est medio, quo tanquam in speculo illa videat, cognoscat, atque præsciat. Hinc Sapientiæ cap: 8vo. de Deo dicitur. *Signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum ac sæculorum.* & Isaiæ cap: 46. Deus ipse per Prophetam ita enuntiat: *Ego sum Deus, & non est ultra Deus --- annuntians ab exordio noviſsimum, & ab initio quæ nondum facta sunt ----* omnia itaque noviſsima, & quæ nondum facta sunt, ab exordio, & à sæculo nota, ac perspecta sunt Deo, quia omnia nuda & aperta sunt oculis Ejus. Igitur quærere ac sciscitari, quomodo Deus omnia cognoscat, ac futura prævideat, vanum, ac prorsus inutile est, id enim sciri, ac explicari vix, ac ne vix quidem potest. Merito itaque Augustinus in Psal: 49. scribens inquit: *Non audemus dicere quomodo novit Deus. Ne forte hoc à me fratres expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico, non sic cognoscit ut*

homo,

homo. non sic cognoscit sicut Angelus. Et quomodo cognoscit? dicere non audeo, quoniam & scire non possum. Necesse itaque est cum David Propheta Psalmo 138. fateri, scientiam Dei mirabilem esse, & nos ad illam pervenire, viam ac modum illius nullatenus scire posse.

Quæres 7. Utrum præscientia Divina tollat rerum contingentiam, ac humanam lædat libertatem?

Resp: Divina præscientia nec rerum tollit contingentiam nec humanam lædit libertatem. Cum enim in Sacris Scripturis tam Divina præscientia quam hominum libertas, rerumque contingentia perspicué asseratur, utrumque certissime credendum est, etiamsi nos modus lateat, quo utrumqe conciliari possit, hinc Divinæ præscientiæ, ac humanæ libertatis rerumque contingentiæ concordia, à pluribus Sanctis Patribus, vel maxime Augustino, Hieronymo, Anselmo invicte probata fuit. Sed duas præcipue rationes quibus illi usi sunt, hic adducere satis erit.

Prima sic se habet. Qui res præsentes contemplatur, vel præteritarum meminit, nullam certè illis inponit necessitatem. Porrò Deus eodem simplicissimo intuitu res futuras, quasi præsentes vel præteritas contemplatur, cum omnia sint Deo præsentissima, & si accurate loqui velimus, Deo nihil est futurum, adeo ut aliqui Sancti Patres nullam Deo inesse præscientiam aserant, sed solum omnium scientiam perfectissimam illi tribuunt. Non ergo Divina præscientia ullam imponit necessitatem.

Secunda. Si nostro concipiendi modo Dei consideretur præscientia, tunc illa purè speculativa est, atque ex ipsa nihil prorsus in res dimanat, non potest ergo ullam necessitatem rebus afferre. Præterea Deus non solum præscit res futuras, sed etiam illarum modum, qui ipsis connaturalis est, ac proinde præscit illas ut libere ac contingenter futuras, cumque Deus in sua præscientia falli nequeat, neque illa rerum naturam immutet, futura libera atque contingentia quæ Deus præscit, & illa præscit ut libera & contingenter futura, debent omnino libere ac contingenter evenire.

Objicies 1mo: Quod est certo futurum non est liberum. Sed quod præscitur, a Deo est certo futurum. Ergo non est liberum. *2do.* Præscientia Divina est prior rebus futuris, quare omnia futura, etiam voluntatis humanæ actus, sunt futuri ex hypotesi Divinæ prævisionis, quæ omnem voluntatis humanæ antecedit determinationem. Quæ autem futura sunt non nisi ex hypotesi prævisionis Divinæ, non sunt

sunt libera sed necefsaria. Ergo Divina præscientia libertatem & contingentiam tollit.

Resp: ad 1mum: Quod est certò futurum, illud est duntaxat infallibiliter futurum, quod autem infallibiliter est futurum, non desinit efse liberum, ac contingens. In tantum enim desineret efse liberum, ac contingens, in quantum foret necefsario futurum, sed quod infallibiliter est futurum, non ideo est necefsario futurum, ac propterea liberum manet atque contingens. Jam verò quod â Deo præscitur, est precisé infallibiliter futurum, non autem necefsario futurum, præscientia enim Divina objectum suum supponit non facit, neque ideo est res eventura, quia Deus ipsam præscivit, sed ideo eam Deus præscivit, quia est eventura.

Dices: Quod ita eveniet, ut non pofsit non evenire, illud necefsario futurum est. Sed quod præscitur à Deo, ita eveniet, ut non pofsit non evenire. Ergo est necefsario futurum.

Resp: Quod præscitur à Deo illud infallibiliter eveniet, ita tamen ut pofsit non evenire, ac proinde, non est necefsario futurum. Magnum siquidem discrimen est, inter necefsario futurum, & certo, ac infallibiliter futurum. Quod necefsario futurum est, id ita futurum est, ut absque contradictione non pofsit non efse futurum, & absolute repugnet illud non evenire. Quod autem certo & infallibiliter futurum est, id ita futurum est, ut in se non repugnet, quo minus non futurum sit, & absolute pofsibile sit, ut non eveniat. Igitur quæ præscita sunt à Deo, infallibiliter quidem evenient, sed non necefsario, siquidem in se spectata absolute pofsunt non evenire. Nullam siquidem præscientia Divina rebus futuris imponit necefsitatem, neque illarum naturam conditionemque ipsa immutat. Quæ proinde ex natura & conditione fuá libera sunt, ac contingentia, cum semper pofsint aliter & aliter se habere, fieri, vel non fieri, quamvis à Deo præscita sint, absolute pofsunt non evenire, ac perconsequens non sunt necefsario futura.

At inquies. Si illa quæ à Deo præscita sunt, pofsunt non evenire, supponi potest illa non evenifse, in hoc verò casu falleretur Divina præscientia, quod omnino repugnat.

Resp: In hoc casu non falleretur Divina præscientia, quia nulla tunc daretur præscientia. Si enim res præscita non eveniret, tunc etiam non fuifset à Deo præscita, proinde non falleretur Divina præscientia, prius est enim præ-

scire, quam in præsciendo falli, sicuti etiam prius est rem esse futuram, quam illam ut futuram præsciri: scilicet Divina præscientia supponit rerum futuritionem, non eam facit, nihil itaque a Deo potest præsciri, quod re ipsa non est futurum.

Ad 2dum. Præscientia Divina est quidem prior tempore rebus futuris, quia ab æterno in Deo fuit, hoc autem libertati ac contingentiæ futurorum minime nocet, quamvis enim præscientia Divina, tota æternitate futuris prior sit, ab illis tamen, velut a suo objecto pendet, adeo ut illo sublato, ipsa quoque tolleretur. Non est autem præscientia Divina futuris natura prior, quia non est eorum causa eficiens, nec ad illa ponenda ulla ratione concurrit, illæsa igitur manet illorum libertas, ac contingentia. Equidem quod futurum est ex hypotesi antecedente, omnem humanæ voluntatis determinationem, tam futuram quam existentem antecedens non est libere futurum, sed quod est futurum ex hypothesi, quæ antecedit humanæ voluntatis determinationem solum existentem, non autem etiam futuram, illud non desinit esse libere futurum. Porrò licet determinatio voluntatis, non ab æterno extiterit, fuit illa tamen ab æterno futura, atqué ideo etiam fuit ipsa objectum æternum Divinæ provisionis, atque nostro cogitandi modo illa prius; unde conficitur præscientiam Divinam prævidere quidem determinationem voluntatis humanæ, re ipsa existentem tempore non natura, determinationem vero eandem voluntatis humanæ ut futuram neque tempore præcedere, quia ambæ æternæ sunt.

Quæres 8. Qua ratione scientia Divina dicitur causa rerum?

Resp: Scientia Divina dicitur causa rerum non quidem efficiens sed tantummodo directrix, quia scilicet scientia Divina nihil operatur in rebus, sed illa tantummodo Deus in operibus suis dirigitur, unde de Deo Jeremiæ Cap: 1. scriptum est: *Præparat orbem in sapientia sua*, & Paulus in Epistola ad Ephesios Capite 1. dicit: quia Deus *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Consilium verò à Sapientia atque Scientia est. Causa igitur rerum directrix Divina scientia est ac Sapientia, efficiens verò, Divina voluntas atque potentia.

Et certè si Scientia Dei esset causa efficiens rerum, res ideo futuræ essent, quia à Deo cognoscuntur ac prævidentur, atqui tamen è contra, ideo à Deo cognoscuntur, ac prævidentur quia futuræ sunt. Et id docent Patres, inter

inter alios Origenes, qui in Caput 8. Epistolæ ad Romanos scribens sic inquit. *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur à Deo antequam fiat*, & S. Hieronymus in Caput Jeremiæ 26. ita scribit. *Non ex eo quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus novit.*

Dices. S. Augustinus, & post eum S. Thomas expressè docent, Scientiam Divinam esse causam omnium rerum efficientem, unde Libro 15. de Trinitate cap: 13. hæc habet Augustinus: *Deus universas creaturas suas & spirituales & corporales non quia sunt ideò novit, sed ideò sunt quia novit.*

Resp: SS. Augustinus & Thomas docent Scientiam Divinam esse causam omnium rerum efficientem non per se, & ratione sui; nihil illa siquidem efficit aut operatur, sed ratione Divinæ voluntatis, quæ nutu suo omnia efficit atque cuncta operatur, & quæ semper sequitur consilia altissima sapientiæ, Divinaque in omnibus dirigitur scientia.

ARTICULUS 2dus

De Divina Voluntate.

Quæres 1. Quid & quotuplex sit Divina voluntas?

Resp: Voluntas in Deo aliud non est quam electio, approbatio eorum quæ Divino intellectu apprehensa sunt. Voluntas itaque Divina pendet ab intellectu Divino. Quemadmodum igitur Deus omnia simul intelligit, unico, æterno, ac immutabili intelligentiæ actu universa comprehendit, ita etiam unico, æterno ac immutabili voluntatis actu omnia vult. Verum ut capacitati mentis nostræ brevissimæ consulatur, quemadmodum Divinam Scientiam, ita & Dei voluntatem multipliciter distinguimus.

Voluntas Divina alia dicitur antecedens alia consequens. Voluntas *antecedens* ita dicitur qua Deus aliquod vult in se ipso tantummodo illud considerando, seclusis peculiaribus circumstantiis quibus circumvestitur. Et hæc voluntas est quidem vera ac sincera, sed ineficax & conditionata atque etiam vocatur voluntas secundum quid. Tali voluntate vult Deus omnium hominum salutem, illos in se spectando & præcisis circumstantiis meritorum imprimis ac de meritorum ipsorum. Voluntas *consequens* il-

la dicitur qua Deus vult aliquid, cum omnibus suis adiunctis, ac circumstantiis spectatum. Tali voluntate vult Deus quosdam damnare, consideratis illorum peccatis. Hæc voluntas in Deo est absoluta & efficax, quia semper effectum suum ipsa sortitur.

Dividitur quoque voluntas Divina in absolutam & conditionatam. *Absoluta* est quæ à nulla conditione pendet, sed ab uno libero Dei arbitrio: qualis fuit voluntas creandi mundum. *Conditionata* est quæ pendet ab aliqua conditione: qualis est voluntas salvandi omnes homines, si velint illi Dei mandata observare.

Quæres 2. Divina voluntas estne libera?

Resp: Deus in omnibus operibus extrinsecis summa fruitur libertate & id passim affirmant Sacræ Scripturæ. Psalmo 93. dicitur. *Deus ultionum libere egit.* Ephesior: Capite 1. Paulus inquit de Deo *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Porrò quod fit secundum consilium voluntatis, non fit ex necessitate: & 1. ad Corinth: cap: 12. idem Apostolus sentit: *Hæc operatur unus & idem Spiritus dividens singulis prout vult*: id est ut ait S. Ambrosius libro 2. de fide cap: 3. *pro libero voluntatis arbitrio non pro necessitatis obsequio.* Et certè libertas est perfectio quæ, proinde Deo, qui est, & esse debet in omni genere perfectissimus denegari non potest, unde Tertulianus Libro 2. contra Marcionem cap: 5. dicebat, nullam magis in homine imaginem ac semilitudinem Dei se invenire, quam liberum arbitrium. Prætereà si Deus aliqua necessitate adigeretu ad opera exteriora, sequeretur, omnia quæ in hoc universo sunt, necessario fieri, unde omnis contingentia & libertas tolleretur, sed hæc subsistunt: Deus igitur in exterioribus suis operibus summa gaudet libertate.

Dices. Electio & indifferentia qualis ad libertatem etiam in Deo requiritur, aliquam involvunt imperfectionem, quæ in Deo locum habere nequit.

Resp: Cum Deo summam asserimus libertatem, non talem electionem aut indifferentiam in eo admittimus, quæ aliquam perplexitatem aut suspensionem adjunctam habeat, quemadmodum in nobis contingit, quibus res unico intuitu omnino perspicere datum non est, sed electio & indifferentia Dei in eo relucent, quod a nulla causa ad volendum & operandum adigatur, & perfectissima in illo semper manet potentia, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis

ſitis, poſsit agere vel non agere, hoc vel illud perficere. Jn hoc autem tota libertatis consistit natura.

At inquies. Deus est immutabilis, quod semel constituit facere, illud non potest non perficere: ergo liber esſe nequit.

Resp: Quemadmodum peccabilitas, ita neque mutabilitas ad esſentiam libertatis pertinent: quare licetsi Deus peccare non poſsit, inde non ſequitur illi deeſse libertatem; ita pariter ex eo quod mutari nequeat, non inde concludendum eum aliqua neceſsitate ad operandum compelli. Deus siquidem peccare & mutari nequit, non ex defectu libertatis, ſed quia sanctus & omniscius est, neque igitur iniquitas in illo locum habere potest, neque nova ipsi aliqua ratio, cognitio advenire potest, propter quam consilia voluntatis ſuæ immutet. Cum libertate itaque stat Dei immutabilitas, cum immutabilitate libertas.

Quæres 3. Quæ & qualis sit efficatia Divinæ voluntatis?

Resp: Jn iis quæ à solo Deo dependent, & quæ Deus sine cooperatione creaturæ liberè efficit, Dei voluntas absoluta ſemper impletur, neque illi resisti potest, id manifestiſsimum est ex Scripturis. Jn Libro Esther Cap: 13. Mardohæus postulans à Deo singularem omnipotentiæ ipsius operationem, qua nefandum superbiſsimi Aman contra Judæos consilium penitus diſsipetur sic orat. *Domine Deus Rex omnipotens, non est qui poſsit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Jsrael* & lib: 2. Paralipomenon cap: 20. Josaphat Rex veritus, ne ingruente hostium multitudine opprimatur, Deum rogat ut impendens Judæis malum, in manu extenta avertat, quæ toties Jsraelitas liberavit: *In manu tua est fortitudo, nec quisquam potest tibi resistere.* Tandem Job Cap: 9. affirmat: ac docet iræ Dei non poſse resisti: *Deus* inquit: *cujus iræ nemo resistere potest.* Ratio etiam naturalis id ipsum ostendit, cum enim voluntas Dei sit universalis omnium rerum causa, impoſsibile est eam suum effectum non consequi. Quare Psalmista Psalmo 113. de Deo universaliter affirmat: *Omnia quæcunque voluit fecit.*

Quæres 4. Circa illa quæ libera ſunt, utrum voluntas Divina ſemper impletur?

Resp: Circa illa quæ libera ſunt datur etiam in Deo voluntas absoluta & efficax, quæ ſemper impletur & id etiam Sacræ Scripturæ attestantur: Proverbior: cap: 21. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit flec-*

tet

tet illud, & Ezech: cap: 36. Deus dicit: *auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis*, ex quo luculentiſsime apparet quod Deus omnipotentiſsimam habeat virtutem ac potestatem, ad inclinanda corda hominum quô voluerit, ubi voluetit, & quomodo voluerit: unde August: in Enhirid: cap: 94. scripsit. *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit non poſse convertere:* Tandem S. Paulus Apost: in Epist: ad Rom: cap: 9. Postquam Pharaonis indurationem exposuerit, atque Divinam tum ſeveritatem, tum etiam misericordiſsimam benignitatem, subinfert: *voluntati enim ejus* hoc est omnipotentiſsimi Dei *quis resistit.* Quare August: in Enhirid: cap: 96. hæc habet: *Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujusvis creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Dices. Si circa illa quæ libera ſunt, voluntas Divina abſoluta ſemper sit efficax, ac ſemper impleatur, ruit omnino libertas, & fatalis inducitur neceſsitas.

Resp: Voluntas Divina abſoluta & efficax, naturam eorum quæ libera ſunt non mutat, nequa liberam creaturæ tollit determinationem; nulla igitur fatalis inducitur necessitas, quamquam igitur Deus ut loquitur Scriptura Sapientiæ cap: 8. *à fine usque ad finem omnia attingit fortiter*; unde voluntas ipsius in omnibus semper impletur: disponit tamen omnia etiam svaviter, unde ſub illius dispositione, atque voluntatis imperio, quæ ex se, & natura ſua libera ſunt, libera permanent.

Quæres 5. Voluntas Dei conditionata, an semper impletur?

Resp: Voluntas Dei conditionata, cujus conditio à libera creatæ voluntatis cooperatione pendet, non ſemper est efficax, neque semper illa impletur. Hæc constant ex Scripturis. Proverbior: cap: 1. sic homines alloquitur Deus: *Vocavi & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Ezeh: quoque cap: 24. *Mundare te volui* inquit Deus: *& non es mundata à ſordibus tuis.* Mathæi quoque cap: 23. ad Jerusalem sic loquebatur Xstus: *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos sub alas; & noluisti.* Certè Deus neminem vult perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti; vult omnes homines ſalvos fieri, quemadmodum

dum docent S. Paulus & S. Petrus Apostoli, porrò hæc voluntas Dei non impletur, quia pendet à conditione, cui multi desunt homines.

Dices. Voluntatem Dei non semper impleri, injuriosum est Deo?

Resp: Hoc non est injuriosum Deo, quia quod voluntas Dei non semper impleatur, id non arguit defectum potentiæ in Deo, sed pertinacem in homine resistentiam Divinis consiliis, quam Deus libertati ipsius relinquere statuit.

Quæres 6to Quomodo se habet voluntas Divina, circa salutem hominum?

Resp: Hac de re varij ac sibi oppositi erant errores. Pelagiani ac Semipelagiani docebant, Deum æquali prorsus eademque voluntate velle omnium hominum salutem, conditionate tamen, si ipsi velint, ita; ut nulla prorsus esset erga prædestinatos ac electos specialis in Deo benevolentia. Consequenter docebant, pro omnibus hominibus mortuum esse Xstum, æquali omnino eos salvandi voluntate. E diametro errarunt Prædestinatiani, putantes Deum nisi eos qui reipsa salvantur, salvos fieri velle; aliorum vero qui pereunt, salutem à Deo nullo modo esse volitam, nec pro ipsis esse mortuum Xstum. Similia docent Calviniani, quorum aliqui affirmant, Deum aliquos homines destinasse ad gloriam, alios ab ea exclusisse. Janseniani tandem asserunt, Deum non nisi prædestinatorum æternam salutem velle seria, & activa voluntate, atque Xstum, pro omnibus hominibus esse mortuum pernegant. Jnter hos duos quasi oppositos errorum scopulos, media incedit Catholica veritas, quæ breviter & accurate exponenda est.

Quæres 7. Utrum pro solis prædestinatis, atqué electis, Christus mortuus sit, & illorum tantummodo Deus vere ac sincere salutem æternam velit?

Resp: Fide certum est: Deum non prædestinatorum ac electorum tantum, sed & aliorum qui de illorum numero non sunt, æternam salutem vera ac sincera velle voluntate, atque Christum pro illis mortuum fuisse. Et id ex Sacris Scripturis probatur Joannis cap: 6. sic loquitur Xstus. *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die,* & loquens ulteriꝰ superaddit, *ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Vult itaque Deus vera ac sincera voluntate, ut omnes quos ipse dedit Christo, quique crediderunt, aut credunt in Christum

non

non pereant ſed habeant vitam æternam. Porrò non omnes isti e numero electorum, atque prædestinatorum erant, aut ſunt: quia non omnes reipsa salutem consequuntur: imo expreſse ipsemet Christus Joan: cap: 17. de Juda qui etiam ipsi à Patre datus fuerat attestatur, quod perierit: *Quos dedisti mihi* inquit Pater *custodivi & nemo periit ex iis, nisi filius perditionis.* Præterea Joan: cap: 3. inquit Christus: *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat ſed habeat vitam æternam:* Deus itaque dilexit mundum dilectione ac voluntatete non sterili, ac vacua, ſed sincera & actuosa, quia ideo filium ſuum unigenitum dedit mundo: voluit itaque voluntate vera, ac sincera illius ſalutem, & ut omnis qui in mundo credit in Christum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Porrò mundus non ex solis electis prædestinatisque coalescit, neque soli in mundo electi prædestinatique credunt in Christum, ergo non Electorum ac Prædestinatorum tantummode voluntate vera, ac sincera Deus æternam vult salutem, ſed & illorum: qui de ipsorum numero non ſunt, atque pro eorum etiam ſalute mortuus est Christus: quod ſequentibus evincitur: Episto: 1. ad Timotheum cap: 4. sic loquitur Paulus Apost: *Speramus in Deum vivum qui est Salvator omnium maxime fidelium,* & ad Rom: cap: 14: *Noli verbo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est:* Tandem 1: Corinth: cap: 8: subinfert, *& peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est,* Christus itaque Salvator est omnium, maxime fidelium, mortuus est pro quocunque fratre fideli etiam in fide infirmo. Porrò non omnes etiam fideles: non omnes fratres ſunt Electi ac Prædestinati, neque ullatenus dici potest ad numerum Prædestinatorum atque Electorum, quemcumque fidelem in fide infirmum pertinere. Jgitur non pro solis Prædestinatis Electisque mortuus est Christus, ſed & pro aliis qui de ipsorum numero non ſunt. Quare ex Concilio Niceno 1. in Simbolo fidei omnes fideles id de Christo credere, & profiteri tenentur. *Qui propter nos homines, & propter nostram ſalutem, descendit de Cœlis & homo factus, Crucifixus pro nobis, paſsus, & mortuus:* Jndubitatum autem & fide certum est, non omnes homines Electos, ac Prædestinatos eſse. Ergo & pro iis Christus Crucifixus, paſsus, & mortuus est, qui non ſunt Prædestinati neque Electi. Et id expreſse ab Ecclesia definitum est, Siquidem quarta Janſenii propositio hæc erat: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus*

bus mortuum esse, aut sanguinem suum fudisse. Hanc vero Jansenii propositionem Innocentius 10. & Alexander 7. damnarunt prout falsam, temerariam, ac scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, declararunt ut impiam, blasphemam & hæreticam. Igitur de fide est non pro solis Prædestinatis electisque Christum mortuum fuisse, sed etiam pro bene multis aliis qui nec prædestinati neque electi sunt. Ex hoc autem legitima illatione omnino consequitur, de fide quoque esse Deum non solum Prædestinatorum ac Electorum, sed etiam aliorum qui de numero illorum non sunt, vera ac sincera voluntate æternam velle salutem. Hæc siquidem duo non solum stricte inter se connexa sunt, sed & unum in altero continetur, unum ex alio sponte sua fluit. Namque Deus eos omnes vult salvos fieri, pro quorum salute mortuus est Christus, & Christus nonnisi consequenter ad voluntatem Patris salvandi homines, pro illis sanguinem suum fudit, ac mortuus est. Neque voluntas Christi voluntati Divinæ contraria, sed illi conformis fuit. Si ergo de fide est Christum mortuum esse, ac sangvinem suum fudisse non pro solis prædestinatis, ac electis, sed etiam pro bene multis aliis; de fide quoque est Deum vera ac sincera voluntate æternam salutem velle non prædestinatorum tantummodo, ac electorum, sed & aliorum qui in illorum numero minime reperiuntur.

Et certe ex definitionibus Concilii Tridentini Sess: 6. cap. 11. fide certum est; justis non deesse auxilia gratiæ vere sufficientia, quibus possint ingruentes tentationes vincere, & mandata Dei observare. Porrò hæc auxilia sunt & effectus sinceræ voluntatis, quæ in Deo est eorum salutis, & fructus passionis ac mortis Xsti. Hæc siquidem auxilia gratiæ sunt media & adminicula, ex se ad consequendam salutem ordinata. Media autem non assumuntur nisi ex intentione finis; & sicut voluntas finis cum sit sincera, includit collationem aut præparationem mediorum, ita etiam collatio aut præparatio mediorum ad finem consequendum sufficientium importat veram ac sinceram finis voluntatem. Igitur auxilia gratiæ veré sufficientia, quæ Deus justis concedit evidentissime probant Deum, voluntate vera ac sincera velle æternam eorum salutem. Insuper hæc gratiæ sufficientia auxilia quæ Deus justis elargitur nonnisi propter merita Passionis & mortis Christi ipsis conceduntur, ac proinde illa eis Christus Passione ac morte sua promeruit, pro ipsisque mortuus est. Præterea ex eodem

Con-

Concilio Tridentino Deus justos non deserit, nisi prius ipse deseratur, atque hoc ipso ita animo comparatus est, ut eis vitam æternam tribuat, nisi ipsi in peccata prolabentes, ea reddantur indigni. Nemo autem aſserere potest, omnes justos prædestinatos eſse, atque electos, cum multi a justitia excidunt & pereunt. Ergo ex illorum numero, qui pereunt, multi sunt pro quibus Christus mortuus est, & quorum Deus vere ac sincere æternam vult salutem. Igitur non pro solis prædestinatis electisque Christus sangvinem suum fudit, neque illorum tantummodo æternam salutem Deus vult vere ac sincere.

Quæres 8. Utrum omnium omnino hominum salutem Deus velit, & Christus pro omnibus omnino hominibus mortuus sit?

Resp: Deus vera ac sincera voluntate omnium ac singulorum hominum æternam vult salutem, & Christus pro iis omnibus mortuus est. Id constat ex Sacris Scripturis Ezechielis cap: 36. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat.* Si ergo Deus non vult mortem impii, id est damnationem ejus; certé vult salutem ipsius. 2da Petri cap: 3. *Non tardat Dominus promiſsionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Cum itaque Deus neminem vult perire, vult ergo omnes salvari. Tandem 1ma ad Timoth: cap: 2do: sic inquit Apostolus Paulus. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus: pro Regibus... Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hic Apostolus loquitur de omnibus hominibus in præsenti statu positis etiam scelectis, quales tunc erant Reges & Principes, affirmat autem horum omnium salutem, Deum velle voluntate non otioſsa, sed seria & actuosa, ad quam consequenter vult Deus obsecrationes & orationes fieri, & ex qua omnium hominum mediator destinatus est Christus, & dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Unde Augustinus Libro de Spiritu & Litera Capite 33. sic inquit. *Vult Deus omnes salvos fieri & ad agnitonem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium; quo bene vel male utentes justiſsime judicentur.* Augustino consentit ejus discipulus & Interpres S. Prosper in responsione ad secundam ob-

jecti-

jectionem Vincentij: *Sincerissime credendum, atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant, siquidem Apostolus cujus ista sententia est, sollicitissime præcepit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum.* His magnum robur accedit ex auctoritate Concilior: Arelatense, hanc approbat sententiam. *Anathema illi, qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.* Moguntinum 2dum damnat eos qui dicerent, *quoniam non vult Deus omnes salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur.* Carisiacum sic habet: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione, vult salvos fieri, licet non omnes salventur.*

Et verò Deus vult vere ac sincere eos omnes salvos fieri, quibus præparat, offert, aut etiam confert media ad consequendam salutem vere sufficientia. Intentio siquidem finis, movet ad electionem mediorum. Porrò Deus omnibus ac singulis hominibus præparat, offert ac etiam confert media ad consequendam salutem vere sufficientia, quod adeo constanti Theologorum omnium consensu firmatum est, ut absque temeritate negari non possit. Omnium ergo & singulorum hominum æternam salutem Deus vere vult ac sincere desiderat.

Et his quidem probatur Deum omnium omnino hominum salutem velle ac sincere velle, quod vero & Christus pro omnibus ac singulis hominibus mortuus sit, ac sangvinem suum fuderit, his adhuc superadditis confirmatur momentis: ad Rom: Cap: 8. hæc inquit de Deo Apostolus. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum*, & 2da ad Corinth: sic inquit: *Charitas Christi urget nos æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* Igitur pro illis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adamo. Porrò omnes & singuli homines mortui sunt in Adamo, in quo omnes peccaverunt. Igitur pro omnibus & singulis hominibus mortuus est Christus, & quidem ex animo ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Hinc Augustinus Libro 6to contra Julianum cap: 4to sic inquit. *Ex hoc probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelli-*

gantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Succinit S. Fulgentius Libro 2do de Remifsione peccatorum, ubi sic inquit. *Post traditionem Xsti, habuit traditor tempus, quo per illum sanguinem qui effusus est in remifsionem peccatorum, ipsius quoque Judæ pofsit remitti peccatum, quoniam Xstus qui pro impiis mortuus est, non denegafset suo traditori remifsionis beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remifsioni concefsum.* Tandem Sinodus Tridentina Sefs: 6ta de Justificatione cap: 2do profitetur. *Mifsum à Patre Christum, ut & Judæos qui sub lege erant redimeret, & gentes quæ non sectabantur justitiam, justitiam aprehenderent atque adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Et infra Cap: 3. *Verum, & si ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.* Certé hujuscemodi locutiones satis clare ostendunt, Christum generali, vera, atqua sincera voluntate pro omnibus omnino hominibus mortuum efse, non pro solis autem tantummodo prædestinatis atque electis. Et veró Concilium Tridentinum docet Christum à Patre mifsum efse, ut & Judæi & Gentiles, atque omnes adoptionem filiorum reciperent, illumque in sanguine suo propitiatorem efse pro peccatis totius mundi, atque hæc Concilium non alio fine proponit, nisi ut peccatores ad spem & fiduciam erigeret. Porró totus mundus omnes & singulos homines complectitur, & ex gentilibus atque Judæis ille tunc coalescebat, quando Christus à Patre propter nos homines & nostram salutem mifsus fuerat, quod si etiam dicatur, Christum mortuum fuifse non pro omnibus atque singulis peccatoribus, sed pro electis tantummodo atque prædestinatis, id certe ad desperationem potius quam ad fiduciam impelleret peccatores. Quare utrumque firmiter tenendum est, scilicet Deum vera ac sincera voluntate omnium ac singulorum hominum salutem velle, & Christum pro iis omnibus mortuum efse. Et hæc quidem quanquam ad fidem proprie non pertineant, nobilioribus tamen Theologorum cætibus adeo communiter probatur, ut fidei proxima merito censeri debeat.

Objicies 1mo: Omnis vera & sincera voluntas Dei semper impletur, jam veró non omnes prorsus homines salvantur. Ergo non omnium hominum Deus vult salutem. *2do.* Mera velleitas non potest dici sincera voluntas: porró voluntas salvandi omnes homines, cum sit inefficax,

&mi-

& minime impleatur, est tantummodo velleitas. *3tio.* S. Augustinus, & ipsius discipuli SS. Prosper, & Fulgentius reprobant generalem salvandi omnes homines voluntatem.

Resp: ad 1mum: Omnis voluntas Dei vera, ac sincera, & simul absoluta atqué efficax semper impletur, at præter hanc voluntatem admitendam esse in Deo aliam voluntatem, quæ obsistente humana iniquitate suó quandoque privatur effectu indubitatum est. Hac voluntate multoties voluit Christus filios Jerusalem congregare, & illi noluerunt, quare merito illis exprobrabat S. Stephanus Actorum cap: 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Ad 2dum: Voluntas quæ est in Deo salvandi omnes ac singulos homines non est mera velleitas, quæ semper est sterilis & otiosa, sed est vera, sincera, actuosa, atque etiam suo modo efficax, licetsi enim hæc Divina voluntas quantum ad principalem effectum, nempe æternam salutem: inefficax sit, quia multi damnantur, suo tamen modo efficax est, quia omnibus & singulis hominibus Deus præparavit media congrua, auxilia ad consequendam salutem sufficientia offert, & confert. Unde S. Thomas in 1ma Distinct 46. quæst: 1ma de hac Dei voluntate salvandi omnes homines loquens, hæc habet. *Hujus voluntatis effectus, est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita.* Et Lect: 3. in Caput 12. Epist: ad Hebræos. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus quantum in se est, se communicat.*

Ad 3tium. Verum est SS. Augustinum, Prosperums ac Fulgentium, generalem Dei voluntatem salvandi omne, omnino homines reprobare in sensu erroneo Pelagianorum, ac Semipelagianorum, non veró in sensu orthodoxo; scilicet Pelagiani, ac Semipelagiani docebant Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, si quærerent, peterent, ac pulsarent, sed hæc omnia non gratiæ, sed soli libero hominis arbitrio tribuebant, imo asserebant præcisis istiusmodi humanæ voluntatis dispositionibus Deum non posse hominem salvare, per quod mu tum Dei omnipotentiæ derogabant. Hoc erroneo sensu SS. Patres generalem in Deo salvandi omnes homines voluntatem reprobarunt, non autem sensu Catholico, qui in eo stat, quod Deus omnium ac singulorum hominum velit salutem, si ipsi velint, satagant, pulsent, petant, sed ut hæc omnia fiant, & salubriter fiant, gratiam Dei necessariam esse, quæ etiam omnibus à Deo misericorditer conceditur. Unde Au-

gustinus Libro 1mo. Retract: Cap: 10. sic inquit: *Verum est omnino, omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tantum augetur munere caritatis, ut possit.* Recto itaque sanoque sensu dici potest, reprobos etiam salvos esse posse, si velint, ita tamen ut non excludatur Dei voluntas, ipsiusque adjutorium, quæ prima, ac potissima est causa, cur aliqui velint salvari, & ita velent ut non deficiant.

Quæres 9. An Deus verê ac sincerè velit æternam salutem illorum etiam parvulorum, qui infeliciter ex hac vita sine Baptismo decedunt?

Resp: Deus vere ac sincere illorum etiam parvulorum æternam vult salutem, qui infeliciter sine Baptismo ex hac vita decedunt, atque pro iis etiam Christus mortuus est. Christus siquidem juxta doctrinam Pauli Apostoli 2da ad Corinth: Cap: 5. pro iis omnibus mortuus est, qui in Adamo mortui sunt. Porrò prædicti parvuli in Adamo mortui sunt, alias pro illis Christus non esset mortuus, ut recte concludit Augustinus contra Julianum Libro 6. cap. 4to. sic inquiens: *Si parvuli non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro mortuis.* Qui autem pro parvulorum salute mortuus est, vult ut ipsis salutis remedium applicetur, sincere igitur vult illorum salutem. Et verò si Christus mortuus est, etiam pro sceleratis, multo magis mortuus est pro istis infantibus, qui nulla alia, quam originis labe polluti moriuntur, alioquin benevolentiorem faceremus Deum omnibus impiissimis, & scelestissimis hominibus, quam nullo actuali peccato contaminatis parvulis, quod intolerabilis esset absurditas. Cum verò Deus verè, ac sincere velit illorum omnium salutem, pro quibus Christus mortuus est, & Christus etiam pro illis infantibus mortuus est, qui infeliciter sine Baptismo ex hac vita decedunt. Ergo & illorum salutem Deus verê, ac sincere vult. Sane ut egregiè inquit Augustinus libro 4to contra Julianum cap. 8vo de istius modi loquens parvulis. *Numquid homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est. Omnes homines vult salvos fieri.*

Objicies. Deus parvulis, qui in utero materno extinguuntur, nulla confert media quibus possint salvari, ipsis siquidem absque ulla Parentum culpa, solo Deo nolente unicum salutis remedium, scilicet Baptisma applicari nequit. Insuper cum Deus naturæ cursum constituit, in quo prævidit futurum, ut multi infantes prius morerentur, quam ulla humana industria possit illis Baptismus conferri.

Ergo

Ergo Deus vere, ac sincere non vult salutem illorum parvulorum, qui infeliciter sine Baptismo ex hac vita discedunt.

Resp: Deus omnibus hominibus, ac proinde etiam parvulis qui sine Baptismo in utero materno extingvuntur, remedia ad consequendam salutem sufficientia, & inter alia saluberrima Sacramenta instituit, ac præparavit, quod autem multi, veluti etiam infantes in utero materno morientes, ex causarum secundarum influxu, actu illa non percipiant, Deus ob id culpari nequit, neque inde inferi potest Deum istiusmodi infantium nolle salutem, mors siquidem illorum præmatura non evenit ex Dei voluntate id directe intendente, sed ex Divina permifsione consequenter ad causarum secundarum influxum, & concursum, quem Deus utpote Provisor generalis impedire non tenetur. Mors itaque præmatura infantium in utero materno sine Baptismo decedentium non est ex Dei voluntate directa, sed ex causis secundis Deo id permittente. Nequé etiam Deus directa, ac exprefsa voluntate cum naturæ cursum instituit, in quo prius multi moriantur infantes, antequam Baptisari pofsint, sed minimé spectata talium infantium præmatura morte, in quo necefse est, multos infantes prius mori quam Baptisentur, illum instituit.

Quœres 10. Qualis est ista in Deo voluntas, qua omnium ac singulorum hominum vult salutem?

Resp: Voluntas Dei, qua omnium ac singulórum hominum vult salutem, est *1mo:* vera & sincera, quod ex ipsius effectibus admirandis manifestifsime apparet, quia enim Deus omnium & singulorum hominum vult salutem, patienter peccatores expectat, nolens quemquam perire, sed omnes ad pænitentiam reverti, quemadmodum docet Petrus Apostolus in 2da Epistola sua cap: 3tio: Divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis juxta Paulum ad Romanos cap: 2do in illos effundit, ut ipsos ad pænitentiam adducat, tandem remedia, ac gratias ad consequendam salutem fufficientes, quibuslibet hominibus præparat, offert, dat, confert. *2do:* est tamen nonnisi conditionata, & generalis, quia scilicet Deus voluntate generali omnium ac singulorum hominum vult salutem, nisi ipsi resistant, atqué ipsi sibi damnationem acquirant. Unde S. Augustinus Libro de Catech: rudibus Cap: 26. scripsit. *Deus vult homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui:* & S. Anselmus in Caput 6tum S. Mathæi hæc de Deo habet. *Cum vellet pravos eti-*

am

am salvare, si vellent, tamen ipsi contradicunt suis operibus huic voluntati. Tandem Ecclesia Lugdunensis, seu Remigius ipsius Episcopus Libro de tribus Epistolis Cap: 12. sic loquitur. *Ita à Sanctis Patribus intellectum invenitur; quod dictum est. Qui vult omnes homines salvos fieri, ut simpliciter accipiatur hoc de omnibus, quantum in ipso est Deum velle, eò quod omnes salvari vellit bonitate Creatoris, sed quia eos liberi arbitrij condidit, expectet, ut hoc etiam ipsi velint, & si voluerint, juste salventur, si noluerint juste puniantur.* Igitur Deus omnium & singulorum hominum voluntate generali, vera, ac sincera vult salutem si et ipsi velint, si non resistant misericordiæ Creatoris, si non contradicant suis operibus voluntati ipsius. Est ergo hæc Dei voluntas conditionata, & quia istiusmodi conditiones non à solo Deo dependent, sed & à libera hominum voluntate, non est mirum quod minime in omnibus hominibus adimpleatur.

Quæres xx. Erga salutem electorum, atque prædestinatorum quomodo se habeat Divina voluntas?

Resp: Quamquam Deus voluntate vera, ac sincera, omnium ac singulorum hominum velit salutem, & pro illis omnibus mortuus sit Christus, at tamen singulariter ac specialiter, voluntate absoluta, ac efficaci, electorum, ac prædestinatorum salutem Deus vult, eademque efficaci & absoluta voluntate pro iisdem Christus mortuus est. Enimveró absoluta, & efficax Dei voluntas semper impletur ut innumeræ testantur Scripturæ: unde Isaiæ Cap: 46. ipse Deus sic de se attestatur *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Porrò soli electi ac prædestinati reipsa salvantur. Ergo illorum tantummodo Deus singulariter voluntate absoluta & efficaci vult salutem. Quare Augustinus Libro de corrept: & gratia: cap: 14. hæc habet. *Volenti salvum facere, nullum resistit arbitrium, sic enim velle seu nolle, in volentis aut nolentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Sed & Christus disertis verbis Joan: cap: 10. pronuntiavit, se pro solis electis ac prædestinatis voluntate absoluta ac omnino efficaci mortuum esse. *Animam* inquit *meam pono pro ovibus meis*, atque statim superaddit, *ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Unde Augustinus in Psalmum 87. scribens sic de Christo loquitur. *Solis prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus, ejus bona opera profuerunt.* & S. Prosper ad 9nam objectionem respondens hæc habet de Christo. *Cum rectissime*

sime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.

Objicies. Si Deus singulariter ac specialiter electorum tantummodo ac prædestinatorum vellet salutem, & pro illis solum voluntate efficaci mortuus est Christus, non ergo omnium ac singulorum hominúm salutem vult Deus, neque pro iis omnibus mortuus est Christus. Unde in Sacris literis Christus dicitur mortuus non pro omnibus, sed tantum pro multis. Sic Math: cap: 20. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*, & cap: 26. *Hic est sanguis meus*, *qui pro multis effundetur.* Certé pro iis dumtaxat mortuus est Christus, pro quibus ín sua paſsione oravit. Porrò pro solis prædestinatis oravit Christus, quemadmodum legitur Joan: cap: 17. *Non pro mundo rogo*, *sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.*

Resp: Deus singulariter ac specialiter voluntate absoluta ac omnino efficaci vult salutem electorum tantummodo, ac prædestinatorum, atque pro iis voluntate pariter speciali ac efficaci mortuus est Christus, verum voluntate generali, vera, ac sincera, sed conditionata omnium ac singulorum hominum vult salutem, ex parte efficaci quo ad præparationem, oblationem, & collectionem mediorum ad consequendam salutem verè sufficientium ex parte inefficaci, quia scilicet obsistente humana iniquitate multi salutem re ipsa non consequntur, & tali quoquè voluntate Christus pro omnibus ac singulis hominibus mortuus est. Atque tali modo textus Sacræ Scripturæ in speciem secum pugnantes conciliat ipsa Synodus Tridentina Seſs: 6ta cap: 3. de Christo sic loquens: *Et si ille pro omnibus mortuus est*, *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, *sed ii dumtaxat quibus meritum Paſsionis ejus communicatur.* Præterea etsi in aliquibus locis Sacræ Scripturæ dicatur Christus mortuus pro multis, in aliis etiam dicitur mortuus pro omnibus & ubi dicitur pro multis, ibi per multos intelliguntur omnes, ita docet Augustinus Libro 2do Operis imperfecti cap: 175. *Non repugnare omnibus multos*, *quia ipsi omnes non pauci*, *sed multi sunt.* Et Theophilactus in Mathæum. *Pro multis dicit effundi, hoc est pro omnibus, sunt enim & omnes multi.* Et certe quamquam Christus alicubi pro solis Apostolis ac electis oraverit, alibi tamen pro omnibus oraſse describitur. Sic Joan: cap: 17. *Non pro eis autem tantum rogo, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, & ibidem orat: *ut mundus cre-*

credat, quia tu me misisti Luc: cap: 23. orat pro suis tortoribus, dubitari autem non potest, quin multi ex illis reprobi fuerint. Unde Augustinus Serm: 4. de Sanctis. *Christus* inquit: *in Cruce pendens pro omnibus oravit, & omnibus veniam postulavit.*



CAPUT QUARTUM

De Dei Providentia.

Quæres. Quid sit, & quotupliciter consideratur Divina Providentia?

Resp: Providentia est ordinatio rerum ad debitum finem per media idonea. Dupliciter autem Divina Providentia considerari potest, scilicet *in ordine naturali* quatenus res omnes creatæ juxta constitutum à Deo ordinem disponuntur, atque diriguntur ad fines naturæ convenientes: & *in ordine supernaturali*, dum creaturæ rationales per media supernaturalia ad finem supernaturalem disponuntur, atqué ordinantur.

ARTICULUS Imus.

De Providentia Divina in ordine naturali.

Quæres 1. Utrum extiterint, qui negarent Divinæ Providentia regi mundum?

Resp: Multi extiterunt qui Divinam Providentiam negarunt. Primus omnium erat Epicurus, qui hanc pulcherrimam, ac ordinatifsimam rerum universitatem ex cæco atomorum concursu coaluifse, & fortuito casu permanere insipienter effinxit. Neque paucis tanta hæc insania placuit, præsertim apud Romanos inter Christianos Dei Providentiam omnino sustulit impius Hæreticus Marcion: & Bardesanes. Sæculo veró elapso eandem insaniam apertè propugnavit Benedictus Spinosa, statuens omnia necefsitate naturæ evenire. Qui ejus vestigia secuti sunt, Deum admittere se profitentur, Providentiam veró negant, & vulgo Deistæ appellari amant. Præter memoratos Divinæ Pro-

Providentiæ osores, fuere alij qui Deum quidem res majoris momenti administrare putabant, non tamen omnia omnino.

Quæres 2. An revera Deus sua Providentia res omnes creatas administrat?

Resp: Deus summa ac infinita Providentia, sua res omnes creatas administrat, & regit. Et quidem Sacræ literæ nihil aliud sunt, nisi Divinæ Providentiæ, præcipuè erga homines ineluctabile testimonium. Psalmo 118. Deum ita alloquitur Rex David. *Ordinatione tuâ perseverat dies, & omnia serviunt tibi.* & Psal: 146. *Dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Sapient: cap: 12. *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* Tandem Math: cap: 6. dicit Christus. *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horea, & Pater cælestis pascit ea.* Et certè ipsa etiam mala ordinat Deus, quia illis in suos utitur fines, unde Genesis Cap: 50. Joseph ad fratres sic inquit: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum,* Præterea quæ maxime videntur fortuita, hæc in Scripturis ordinationi Divinæ adscribuntur, quid enim magis fortuitum, quam ipsæ sortes & tamen Proverb: cap: 16. dicitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

Verum, & rationibus naturalibus Divina Providentia invicte comprobatur. Enimverò Deus aspectabilis hujus universi conditor est, omnia igitur quæ in eo sunt bono Deo tribuenda sunt, inter præcipua autem hujus universi bona profecto memorari debet omnium rerum ad certos ac determinatos fines ordinatio, quam inficiari non potest, nisi is, qui mirabiles constantesque naturæ leges, vel ignorat pænitus vel non considerat. Igitur & hujus ordinis Deus author est, ac proinde etiam conservator, in quo Divina consistit Providentia. Certé bonus est Deus, imo nonnisi sua bonitate moveri potuit ut mundum crearet, ergo & eadem bonitate sua, moveri debet ut mundum opus manuum suarum administret, & regat. Unde S. Ambrosius Libro de Officiis cap: 13. hæc præclare scripsit· *Quis operator negligat operis sui curam! Quis deserat, aut destituat quod ipse condendum putavit? si injuria est regere, nonne major injuria est fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare, quid feceris summa inclementia.* Et S. Joannes Damascenus Libro 2. de Orthodoxa fide cap: 29. inquit. *Solus Deus est natura bonus & sapi-*

ens

ens, ut igitur bonus providet, ut autem sapiens, optimè eorum. quæ sunt, curam gerit. Præterea rerum omnium administratio, perfectio quædam est, & quidem maxima, quæ proinde Deo perfectionum omnium pelago, denegari non potest, nisi una ipse tollatur Deus. Id vidit etiam Ethnicus Philosophus, Balbus apud Ciceronem Libro 2. de natura Deorum cap: 30. qui sic ratiocinatur. *Aut negandum est Deos eſse, aut qui Deos eſse concedunt, iis fatendum est, eos aliquid agere, idque præclarum, nihil autem est præclarius mundi administratione, Deorum igitur consilio administratur.* Tandem si nulla est Providentia, omnia vel cæco casu, vel dura fatalique eveniunt necesſitate, utrumqué autem absurdum est, quomodo enim casu tam ordinata, tamque constans rerum omnium series contingere potuit, atque hucusque conservari. Eſse quoque contingentia in rebus perspicuê apparet, & nos ipsi nostræ libertatis intimè conscii sumus, quæ fatalem excludunt necesſitatem. Deus itaque summa, & infinita Providentia suâ res omnes creatas administrat & regit.

Quæres 3. Utrum æqualis sit circa omnia, Divina Providentia?

Resp: Quamquam Divina Providentia ad omnia etiam vilisſima ſese extendat, unde etiam jumentis, & pullis corvorum ipse dat escam ipsorum, atque volatilia cæli ipſe pascit, non est tamen æqualis circa omnia Divina Providentia, ſed ſpetialis est Deo cura circa res humanas, quare Christus Math: cap: 6. postquam asſeruit Patrem cælestem etiam volatilibus cæli copiose providere pascua necesſaria, statim ostendit specialem ipsi ineſse providentiam atquê curam de hominibus, sic ad Discipulos inquiens, *Nonne vos magis pluris estis illis,* proptereâ præcepit illis ne solliciti eſsent, quid manducarent, quid biberent, aut quod induerent, *scit enim pater vester quia his omnibus indigetis:* unde & capillos capitis eorum numeratos eſse affirmat, & ne unum quidem in terram cadere sinè voluntate Patris qui in cælis est, quibus luculentissime ostenditur præcipuâ ac singuluris, circa res humanas Divina Providentia. Et verò si Deus rebus humanis non præest, neque specialem hominum curam habet, actum est de Religione, ac omnibus facinoribus tota aperitur via, & id docet Augustinus Lib: de utilitate credendi cap: 16. *Si Dei providentia non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione ſatagendum.* Ut enim argumentatur Lactantius Libro de ira Dei cap: 8. *Si Deus colentium obsequio nullam*

lam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quam templa ædificare, Sacrificia facere, dona conferre. Conſecutionem hanc vidit ipſe Tulius libro 1. de Natura Deorum ubi hæc habet. *Si Dij neque poſsunt nos juvare, nec volunt, nec curant omnino, quid ullos Diis immortalibus cultus, honores, præces exhibemus.* Non igitur generalis tantummodo erga homines, resqué humanas agnoscenda est in Deo cura, ſed & specialis atque singularis ipsius adoranda providentia.

Obijcies 1. Multa sunt in hoc mundo, inutilia, noxia, quæ casu potius, ac temeritate fortunæ, quam ullâ providentia contingere videntur. Pluviam ex g: vel in mare, vel in disertas solitudines ſæpe frustra decidere videmus, dum frugiferi agri siccitate areſcunt. Immensi occeani tractus nonnisi mutis piscibus destinantur. Quot, & quanta ſunt animalia inutilia, imo noxia, serpentes, monstra. *2do* Si Deus hominibus singulariter provideret, eos deberet ab omni infortunio præservare, ut plenè felices ac beati eſsent. Porrò tot, tantæque ſunt calamitates, & miſeriæ quæ nos circumdant, ut multo plura sint mala, quibus premimur quam bona, quibus fruimur. *3tio:* Si omnia Divina providentia administantur, omnia certiſsime, ac infallibiliter eveniunt, atque hoc posito ſupervacanei ſunt nostri conatus, frustraneæ exhortationes, minæ, omnia enim evenire debent secundum ejusdem Providentiæ ordinem.

Resp ad 1mum. Hæc ex hominum ignorantia oriri, quos latent altiſsimi Divinæ providentiæ fines, multa siquidem inutilia, ac etiam noxia nobis modo apparent, talia autem proculdubiò non apparerent, si proportionem quam habent cum toto hujus universi, cognosceremus. Certè immensi marium tractus maximum afferunt commodum, ut inter regiones longiſsime diſsitas, commercium, atque communicatio civilis habeatur, quæ terrestri itinere vix, ac nevix quidem haberi poſset. Quæ verò animalcula inutilia, aut noxia videntur, hæc in aliorum animalium pastum, cedunt & ad hominum medicamenta multum, quibus nos utimur, inſerviunt.

Ad 2dum. Ex quo omnes homines in Adam primo parente peccaverunt, omnes nocentes facti, juste etiam punitioni ſubijciuntur, miſeriis proinde, calamitatibusquè promeritis premimur. Falsum autem est, in vita hominum multo majora, ac plura eſse mala quæ nos afligunt, quam bona quæ exhilarant, quod vel ex eo solo colligi potest, quod communiter homines, pauciſsimis exceptis, ſemper vivere cupiunt.

Ad

Ad 3tium. Nostri etiam conatus, exhortationesque sub Divinæ Providentiæ ordine continentur, non sunt ergo frustraneæ. Scilicet Deus nedum certos nobis fines sua providentia præstituit, sed ipsa quoque media quibus eosdem fines assequamur. Neque etiam Divina Providentia fatalis aliqua inducitur necessitas, ita enim Deus sua Providentia res omnes administrat, ut causas necessarias necessario moveat, liberas autem libere excitet.

ARTICULUS 2dus.

De Providentia Divina in ordine supernaturali.

Quæres 1. Qui sunt effectus Divinæ Providentiæ in ordine supernaturali?

Resp: Providentiæ Divinæ in ordine supernaturali præcipui effectus sunt. *1mo:* præparatio, oblatio, atque collatio mediorum ad consequendum finem supernaturalem, æternam scilicet salutem inservientium. Ab hoc nec ipsi excluduntur reprobi, quoniam & ipsis Deus præparavit, ac offert media ad consequendam salutem vere sufficientia, *2do:* prædestinatio quatenus scilicet Deus singulariter quosdam ex tota humanæ naturæ massa elegit, ac præordinavit ad cælestem gloriam consequendam, efficaciter illis providendo de elargiendis gratiis quibus illam reipsa assequantur. Hæc prædestinatio vel est gratuita, quando à solo Dei beneplacito procedit sine ullo respectu ad futura hominum merita, vel ex prævisis meritis, quando Deus aliquos propter prævisa bona illorum merita, eos ad cælestem gloriam præordinavit. Huic prædistinationi opponitur Reprobatio, qua à cælesti gloria impij reiciuntur, atque excluduntur.

Quæres 2. Utrum omnibus, ac singulis hominibus Deus præparaverit media ad consequendam salutem sufficientia?

Resp: Deus omnibus, ac singulis hominibus præparavit, offert, ac confert ad consequendam æternam salutem media, atque auxilia sufficientia. Deus siquidem vere ac sincere omnium, ac singulorum hominum vult salutem. Cum autem sterilis ac otiosa ista Divina voluntas esse nequeat, omnibus ergo ac singulis hominibus Deus ad consequendam æternam salutem non solum præparavit, sed & confert media atque auxilia sufficientia. Hinc ipse Deus ore Jsaiæ Prophetæ cap: 5. de Judeorum Syna-

goga conquerens ait. *Nunc ergo habitatores Jerusalem & viri Juda judicate inter me, & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci*, quia scilicet Deus larga manu Judæis auxilia, ac media sufficientia contulerat, adeoque eorum ingratitudinem atque pertinatiam severe increpat. Et Proverbiorum cap: 1. universos Deus arguit impios, quod mediis, atque auxiliis ad salutem consequendam sibi porrectis uti neglexerint. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* His manifestissimum efficitur, induratis etiam, ac obcecatis peccatoribus dari à Deo auxilia atque gratias sufficientes, quibus possent duritiam cordis emollire, cecitatem mentis exuere, & ad Deum converti. Quare & infidelibus omnibus à Deo conferri gratias, quibus ad fidem converti, & ad salutem pervenire possint, docent Sancti Patres, præcipue verò Augustinus in Psalmum 18. ubi hæc habet. *Non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, & ipsum enim penetravit verbi calor.* Et S. Prosper libro 2do: de vocatione Gentium cap: 5. sic loquitur. *Adhibita semper est, universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ & si parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Unde tritum illud S. Thomæ Quest: 14. de verit: Art: 12. docentis. *Si quis nutritus in Sylvis, vel inter bruta animalia ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est credendum, quod ei Deus vel per interiorem inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret.* Is ergo est certissimus Divinæ bonitatis ordo, ut unicuique hominum præparentur, offerantur, atque concedantur media, & auxilia, quibus ad agnitionem veritatis, & consecutionem æternæ salutis pervenire possit.

Quæres 3. Qualis sit prædestinatio electorum ad cœlestem gloriam?

Resp: Prædestinatio electorum ad cælestem gloriam, non est gratuita, sed ex prævisis meritis. Et id probant plures Scripturæ Sacræ textus. Math: cap: 25. juxta Christi prædestinationem in extremo judicio hæc in electos ab ipso proferetur sententia. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi, esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Et ubi regnum cæle-

ste non modo in posseſsionem tradendum aſseritur propter bona opera, & illorum merita, ſed etiam propter eâ á constitutione mundi præparatum eſse dicitur. Et quemadmodum in ſubſequenti ſententia: *Diſcedite maledicti in ignem æternum, eſurivi enim, & non dedistis mihi manducare,* cauſa cur præparata fuerit, & actu irrogetur pæna æterna, hæc aſsignatur, quia scilicet omiſsa fuerunt bona opera, & perpetrata mala, ita pariter in priori sententia: *Venite benedicti...* cauſa non modo redditæ, ſed & præparatæ gloriæ cælestis hæc ponitur, quia scilicet adimpleta ſunt bona opera. Ex prævisis igitur meritis bonorum operum fit electio, ac prædestinatio ad cælestem gloriam.

Prætereâ Epist: 2da cap: 1. S. Petrus Apostolus sic fideles adhortatur. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis, sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum:* cui conſonat istud Apocalipsis cap: 3. *Tene quod habes ut nemo accipiat coronam tuam.* Ex quibus sic recte concluditur. Per quod certa redditur vocatio, atque electio adeo ut sic abundanter ministretur nobis introitus in æternum regnum, propter id etiam decreta, atque præstituta fuit vocatio, & electio. Porrò per bona opera certa redditur vocatio, atque electio. Ergo & propter bona opera prævisa à Deo, decreta ac præstituta fuit.

Et verò incerta est salus nostra, ſemperque ſubest periculum ne à ælectis gloriæ corona excidamus, quare juxta Apostolicam doctrinam firmiter tenendum est quod à nobis acquisitum promeritumque fuit per bona opera, continuo in iis perseverando, magis ac magis certificanda est nostra vocatio, ac electio, tandem juxta monitum Pauli Apostoli ad Philip: Cap: 2. cum metu, & tremore ſalutem nostram operari neceſse est. Porrò incertitudo hæc, timor, atque periculum stant quidem, si ad cælestem gloriam nonnisi ex prævisis bonorum operum meritis prædestinati ſumus, quia scilicet ut hortatur Apostolus in Epist: 1. ad Corinth: cap: 10. qui se existimat stare, serio attendere debet ne cadat, ac proptereâ promeritam cælestem gloriam amittat. Si verò ex ſolo Dej beneplacito, & sine ullo ad futura bona merita respectu electio, atque ad cælestem gloriam prorsus gratuita prædestinatio fiat, tunc incertitudo ſalutis, periculum, timorque illius amittendæ locum habere non poſsunt. Ubi enim intervenit voluntas Dej salvandi hominem abſoluta, certa, infallibiliter,

at-

atque indeclinabiliter æternam ſalutem homini aſserens, atque illam efficienter operans, ibi nulla potest eſse incertitudo, nullum à cælesti corona excidendi periculum. Posita autem prædestinatione ad cælestem gloriam omnino gratuita, ex solo Dej beneplacito, & sine ullo ad futura hominis bona merita respectu, proveniens, adest tunc atque intervenit valuntas Dej ſalvandi hominem abſoluta, certa, infallibiliter æternam homini ſalutem aſserens, illamque efficienter operans. Jd enim gratuita prædestinatio importat, exigit, atque denotat. Jgitur frustra ſatagendum erit, ut per bona opera certam nostram vocationem, & electionem faciamus, quoniam Dei beneplacito infallibiliter, & invariabiliter ipſa certa est, non est cur timeamus ne dum in justitia stamus, illa deperdita à cælesti corona excidamus, & alius eam aſsequatur, quoniam Dei voluntate certiſsime nobis reſervata est, frustra cum metu, & tremore ſalutem nostram operari debemus, hac firma spe radicati, quod Dei beneplacito infallibiliter, & immutabiliter illam reipſa aſsequemur. Hæc autem quoniam Apostolicæ doctrinæ omnino contraria sint, non gratuita, ſed ex prævisis futuris bonorum operum meritis, tenenda, atque aſserenda est ad cælestem gloriam prædestinatio.

Tandem S. Paulus in Epist: ad Romanos cap: 8. hæc habet. *Quos Deus prœscivit, & prædistinavit conformes fieri imaginis Filij sui, ut sit ipſe promigenitus in multis fratribus. Quos autem prœdestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ex quo textu sic licet argumentari. Quos Deus præscivit, ac propterea prædestinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, hos consequenter & vocavit, justificavit, & glorificavit, ex prævisione itaque conformitatis imaginis Christi Filij Dej, ac proinde ex prævisione futurorum bonorum operum, vocatio, justificatio, & glorificatio procedunt, quare congrue prædictus locus Apostoli sic legendus est. Quos Deus præscivit, hos & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, quos autem sic prædestinavit, hos & vocavit, justificavit, glorificavit, adeo ut totius textus hic sit proprius ſenſus. Quorum Deus præscivit merita in conformitate imaginis Filij ſui, horum etiam prædestinavit præmia. Porrò sic legendum, atque intelligendum eſse hunc textum Pauli cenſuerunt plerique Sancti Patres. Theodoretus in hunc locum sic inquit. *Non simpliciter prœdestinavit, ſed cum prœsciſset, præ-*

prædestinavit. Ambrosius libro 5. de fide cap: 3. hæc habet. *Quos præscivit, hos & prædestinavit, quia non ante prædestinavit, quam præscivit, ſed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Et Hieronymus. *Quos prævidit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria:* quod & iisdem pene verbis repetit Primarius S. Augustini discipulus in hunc Apostoli locum. Sed & Sedulius Augustino ſuppar in eadem Pauli verba sic inquit. *Hos quos præscivit futuros devotos sibi, ipſos elegit ad præmia capescenda*, & paulo post hæc habet: *Aliud est præscire, aliud prædestinare. Præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit, illa prævidet merita, hæc prædestinat præmia.* Ex his ſequitur Sanctos Patres Augustino antiquiores aut etiam ſuppares plus favere prædestinationi ex prævisis bonorum operum meritis, quam gratuitæ. Verum & ipſe S. Augustinus si prædestinationem gratuitam docuit, nec ſemper illam docuit, nec docuit seu rem maximi momenti, nec proin docuit ut rem neceſsario credendam, unde & ab eius ævo ad nostra tempora, plena fuit utramlibet partem ſequendi libertas. Prætereâ multis in locis prædestinationem ex prævisis meritis non obscure tradit idem S. Doctor maximè in ipſa prædestinationis definitione, quam accuratam eſse oportet, siquidem libro de dono perſeverantiæ Cap: 14. sic loquitur. *Hæc nihil aliud est, quam præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsime liberantur, quicunque liberantur*: igitur juxta S. Augustinum prædestinatio ſupponit præscientiam, illamque consequitur, non ergo est gratuita.

Verum & firmiſsimis rationibus Theologicis gratuita ad gloriam prædestinatio impugnatur, quæ sic se habent. Est in Deo voluntas sincera omnes homines salvandi. Porrò hæc voluntas cum gratuita ad gloriam prædestinatione conciliari vix potest. Nam voluntas vi cujus ne unus quidem homo salvatur, sincera reputari nequit, in eo, qui omnia potest. Porrò admiſsa prædestinatione ad gloriam prorsus gratuita, vi illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines salvare, ne unus quidem salvatur, quoniam illi tantummodo & soli reipsa salvantur, quorum Deus speciali, absoluta ac omnino gratuita voluntate decrevit salutem. Certe posita non nullorum efficaci, & plane gratuita ad gloriam electione, ac prædestinatione, cæteri saltem negative, si non positive reijciuntur. Hæc autem à salute rejectio, cum sincera ejusdem salutis voluntate cohærere ne-

nequit. Vel enim ejusmodi negative rejectis Deus sufficientia ad salutem auxilia largitur, vel non? si largitur, adquid ista auxilia pro afsequenda salute, à qua jam exclusi sunt. si non largitur, adquid sterilis hæc, & otiosa Dei voluntas. Ut igitur voluntas vera, ac sincera salvandi omnes homines Deo inefse merito censeatur, plane gratuita ad gloriam prædestinatio, non est admittenda.

Et verò collatio gloriæ Cælestis in tempore fit propter merita, igitur etiam ejusdem gloriæ prædestinatio ex prævisis meritis fieri debet. Si enim Deus gratis intendit dare gloriam Cælestem, gratis etiam illam actu dare debet, cum igitur non gratis illam actu tribuit, sed propter merita, non gratis, sed propter prævisa merita illam præparat, & ad ipsam præordinat. Commune namque fert axioma. *Nihil est in executione, quod prius non fuerit in intentione*: tum etiam illud; *Nihil facit Deus in tempore, quod ab æterno non præordinaverit.* Ergo si in executione non gratis, sed propter merita dat cælestem gloriam, non gratis, sed propter prævisa merita illam præparavit, atque ad ipsam prædestinavit, ut scilicet executio intentioni respondeat, & intentio executioni non adversetur.

Objicies 1mo: Joan: cap: 10. hæc Christus ad Judæos locutus est. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.* Ex quo satis luculenter apparet, prædestinationem antecedere fidem, ac proinde cetera etiam merita bona, atque vi prædestinationis fideles credere ipsamque vitam æternam pofsidere, quoniam ii tantummodo crediderunt, vitamque æternam erant consecuturi, qui sunt; & plane ideo quia sunt ex ovibus Christi, hoc est è numero prædestinatorum, unde etiam Actorum cap: 13. simpliciter dicitur. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* *2do*: S. Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos cap: 9no duos geminos fratres, Jacob, & Esau tamquam figuram, exemplum, & imaginem prædestinatorum, & reproborum afferens, sic inquit. *Cum nondum nati fuifsent, aut aliquid boni egifsent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Non ergo ex prævisis meritis, sed plane gratuita est prædestinatio ad gloriam, non ex volente aut currente, sed ex sola miseratione Divina,

non ex operibus, sed ex vocante, ut secundum electionem propositum Dei maneret.

Resp: ad 1mum. Per oves de quibus in citato textu loquitur Christus, non soli intelligendi sunt ad gloriam prædestinati, sed & illi intelligi possunt, qui Christi voci humiliter obtemperant, unde ipsis dat vitam æternam, in præsenti quidem in spe, per gratiam; in futura autem reipsa per gloriam, modo in statu ovium usque in finem perseverent, vocem Christi auscultando & vestigia Ipsius sequendo, quare non peribunt in æternum, nisi ipsi gratiæ Christi defuerint, unde si tunc pereant, sua culpa & voluntate peribunt. Nihil ergo in prædicto textu pro gratuita prædestinatione, imo contra ipsam non leve ibi licet reperire argumentum. Quemadmodum enim Judæi, quos hic alloquitur Christus, reprobandi erant, ob prævisam eorum incredulitatem, sic et ii, quos oves suas ibidem Christus vocat, haud unquam perituri dicuntur, quia in bono constanter permansuri prævidentur. Tandem non crediderunt Christo Judæi, quia non erant ex ovibus ejus, alij vero crediderunt, quia erant ex ovibus illius, sed hoc quod essent ex ovibus Christi, an ex prædestinatione gratuita, an ex prævisis meritis, intactum ibi relinquitur, & secundum plus insinuatur, quam primum, quia scilicet postquam Christus ovium suarum enumeravit dotes, *vocem meam audiunt, & sequuntur me*, ad hæc consequenter subjungit suam promissionem, *& ego vitam æternam do eis.* Quare licetsi Actorum cap: 13. dicatur illos credidisse, qui erant ad vitam æternam prædestinati, sed non docetur quomodo erant ad vitam æternam præordinati, an gratuito ante prævisa merita, an etiam post prævisa merita, & hoc secundum magis supponendum est, quoniam juxta Græcum textum, sensus illorum verborum iste est, illos credidisse, quotquot ex auxilios gratiæ non invanum receptæ, bene dispositi, & affecti erant ad vitam æternam.

Ad 2dum. Citatum Pauli Apostoli textum, immo totum etiam cap: 9. Epist. ad Romanos vix intelligi posse, docent Origenes, Hieronymus, Æcumenius, & Augustinus pluribus in locis, & quod S. Petrus scripserat, in Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti depravant, in istud Epistolæ ipsius ad Romanos caput 9. cadere, quare caute prædicta Pauli verba accipienda sunt. Et certè eo textu gratuita & absoluta ad gloriam prædestinatio probari nequit, nisi simul probetur reprobationem ad inferni pænas, sine prævisis demeritis absoluta Dei voluntate con-

sti-

stitutam esse, siquidem eodem modo ibi loquitur Apostolus de dilectione & electione Jacob, ac de odio, & reprobatione Esau, æque boni cujuscunque aut mali operis, prævisionem excludens. *Cum nondum* inquit, *nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, Jacob dilexi; Esau autem odio habui*: quæ verba non minus de salute, quam de damnatione intelligenda veniunt. Porró expositionem hanc, ut Hæreticam omnes horrent Catholici; Constat igitur verba Apostoli mitiori, quam per se ferre videantur sensu intelligenda esse. Omnibus veró recte perpensis, & trutinatis videtur Apostolus Paulus toto Capite 9. Epistolæ suæ ad Romanos hoc unicum intendere, ut ostendat, atqué evincat, quemadmodum Jacob præ Esau fratre natu majore, non ex operibus suis, sed ex solo beneplacito miserentis Dei, hæreditavit promissiones Abrahæ à Deo factas, à quibus Esau exciderat, ita etiam Gentiles, postquam Judæi propter suam incredulitatem, à Regno Dei exciderant, non ex merito bonorum suorum operum, sed ex Dei beneplacito, ut ostenderet divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ ad fidem Christi vocatos esse, & per fidem justitiam consecutos fuisse. Unde concludit. *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, quæ ex fide est. Israel veró sectando legem justitiæ*, Moysaicæ scilicet, *in legem justitiæ non pervenit*, in illam videlicet quæ vera justitia est, & quæ per Christum datur. In toto igitur hoc Capite nihil habet Apostolus de prædestinatione ad gloriam, sed tantummodo fusé disserit devocatione Gentium ad fidem, atqué justitiam Christi, quæ certé gratis omnibus datur qui credant. Hoc autem non obstante, sicuti Judæi, juxta Chrysostomum Homil: 16. à fide, & justitia Christi exciderunt, quia semper Spiritui Sancto restiterunt, ita Gentiles fidem, ac justitiam Christi apprehenderunt, quia vocem ejus audientes, non obduraverunt corda sua.

Tandem si Apostolus Paulus in prædicto Capite 9no Epistolæ suæ ad Romanos de prædestinatione ad gloriam loqui omnino censendus sit, formam, & exemplum illius in Jacob ostendens, hæc juxta Sanctos Patres non gratuita, sed ex prævisis meritis ibi asseritur, quemadmodum reprobatio Esau, non sine prævisis demeritis fieri potuit. Hæc enim S. Irænæus habet Libro 4 contra Hæreses cap: 38. *Ex præscientia futurorum dictum fuisse, Jacob dilexi, Esau autem odio habui* & S. Hieronymus in Caput 1mum Malachiæ, scribens ad hæc verba. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, sic inquit: *Dilectio, & odium Dei, vel ex præ-*

præscientia nascitur futurorum, *vel ex operibus*, *alioqui novimus*, *quod omnia Deus diligat*, *nec quidquam oderit eorum quæ creavit.* Unde cum ibi dicat Apostolus *non ex operibus*, *sed ex vocante dictum est*, excludit solum opera præcedentia, quia nimirum, ut ibidem positum est Esau & Jacob, cum necdum nati eſsent, nihil etiam adhuc tum boni, aut mali egerunt, sed non excludit subsequentia & prævisa, quare cum Chrysostomo, Æcumenio, Theophylacto pro certo habemus, Jacob ad coronam à Deo prædicatum, Esau verò ab eadem fuiſse reprobatum, antequam uterqué boni quid egiſsent, aut mali, sed non antequam utriusque opera prævisa fuiſsent. Eodem siquidem modo ad gloriam electus est Jacob, quo ab eadem reprobatus est Esau, par enim Apostoli de utraque sententia. Jam verò Esau nonnisi ex demeritis prævisis reprobatus est. Ergo & Jacob nonnisi ex prævisis meritis electus est.

Dices: Deus in sua erga Jacob dilectione, voluit ostendere Divitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam, in sua verò adversus Esau adeo justitiam, in vasa iræ, apta in interitum. Porrò si electio Jacob ex prævisis meritis facta fuerit, jam in illa electione non misericordiam probavit Deus, sed justitiam. Unde cocludit Apostolus dicens: *Neque volentis*, *neque currentis sed miserentis est Dei*, quod cum prædestinatione ad gloriam ex prævisis meritis conciliari, & componi nequit.

Resp: Quamquam prædestinatio ad gloriam sit ex prævisis meritis, semper justi, & electi sunt vasa misericordiæ, quia omnia eorum bona opera ac merita sunt dona gratiæ, quæ ex Divina gratis conceditur misericordia, unde quemadmodum in illos effundit Deus divitias gratiæ suæ, sic & in illis ostendit Divitias gloriosæ misericordiæ suæ, quare etiam veré eos præparavit in gloriam suam, quia in ipsis semper bonitas, atque misericordia illius glorificatur. Sed præterea quæ Apostolus vocavit vasa misericordiæ, vocare potuit vasa justitiæ, qua merita ſupponit, & id preſse affirmat S. Fulgentius Libro 1mo. Capite 26. ubi censet quod potuerat *Apostolus*, *quos dixit vasa misericordiæ*, *vasa justitiæ nuncupare*, ideo autem non sic eos nuncupavit, *ne forsitan ex se ipsis habere justitiam putarentur.* Ac tandem sicuti vasa iræ, sua improbitate efficiuntur, sic etiam vasa misericordiæ, cum Divina gratia, sua probitate fiunt. Unde Chrysostomus inquit: *Quemadmodum Pharao vas iræ effectus est à sua iniquitate*, *ita & hi vasa misericordiæ à sua probitate.* Sem-

per

per igitur concludendum venit, & dilectionem Jacob, & reprobationem Esau, eſse ex prævisis meritis, atque demeritis, ac vasa misericordiæ semper etiam vasa justitiæ censeri debere, unde in illorum electione, & misericordiam, & justitiam suam probat ac manifestat Deus. Dum itaque concludit Apostolus dicens. *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, primas quidem sicut oportet, tribuit partes misericordiæ Divinæ, sed non excludit hominis cooperationem, quare alibi monet fideles. *Sic currite ut comprehendatis* & Augustinus Libro 1. ad Simplicianum Quæst: 2. hæc habet. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed et si voluiſset, & cucurriſset, Dei adjutorio perveniſset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

ARTICULUS 3tius

De Reprobatione.

Quæres 1. Quid, & quotuplex sit reprobatio, qui circa illam errores ac opiniones sint?

Resp: Reprobatio idem est ac rejectio: duplex verò est, negativa & positiva. *Negativa est* simplex non electio, ac veluti actus, quo quidam ex infinita hominum multitudine prætermittuntur, dum alii ad cælestem gloriam eliguntur. *Positiva est* exclusio à cælesti gloria, & destinatio ad æternam pœnam.

Circa reprobationem varii sunt errores, & diversæ opiniones. Calvinus docuit Deum sicuti gratuito suæ voluntatis beneplacito, aliquos ad gloriam cælestem prædestinaſse, ita alios sine ulla demeritorum prævisione, positivè prædestinaſse ad interitum. Ad Calvini errorem accedit Jansenius aſserens, Deum eos omnes positivè reprobare, quos ad cælestem gloriam non elegit, ita ut iis deneget gratias verè sufficientes, quarum ope à perditionis maſsa emergere poſsint. Opiniones verò Theologorum circa eandem reprobationem, quæ illesa fide teneri, aut reiici poſsunt, variæ sunt. Qui gratuitam ad cælestem gloriam prædestinationem defendunt, ex consequenti docent; Deum eos, quos non prædestinavit, à gloria cælesti tanquam à beneficio indebito reprobaſse, independenter à cujuscunque peccati prævisione, sic tamen ut eos ad pœnam æter-

nam

nam positivè non destinaverit, nisi præviso eorum peccato. Alij docent neminem à Deo etiam negativè reprobari ante originale peccatum, positivè verò propter originalem noxam, si de parvulis sermo sit, qui ante Baptiſma moriuntur, si verò de adultis Baptisatis, solum propter peccata actualia. Alij denique qui prædestinationem ad gloriam ex prævisis meritis defendunt, docent Deum nequè pænis æternis positivè quæmq am addicere, neque à gloria cælesti negativè excludere, ante prævisionem peccati, non modo originalis, sed & actualis.

Quæres 2. An Deus aliquem positivè reprobet ex solo suo beneplacito?

Resp: Deus neminem positivè ante prævisionem peccatorum ex solo suo reprobat beneplacito. Deus siquidem ipse Ezechielis Cap: 18. protestatur: quod impiorum nolit mortem, sed ut convertantur, & vivant. *Numquid voluntatis meæ est mors impii dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat:* Sapientiæ etiam Cap: 1. dicitur: quod *Deus mortem non fecerit, nec lætatur in perditione vivorum:* quare merito Oseas Propheta Cap: 13. pronuntiavit. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Tandem Epist: 2. cap: 3tio sic loquitur Petrus Apostolus de Deo. *Patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Si ergo Deus ex infinita misericordia sua, non vult mortem, interitum impiorum, sed conversionem, pænitentiam eorum desiderat ut vivant, neque letatur in perditione peccatorum, sed propterea patienter agit, ſustinens eos, undè si aliqui ob pertinacem in peccatis obdurationem pereunt, sua culpa pereunt, cum à Deo omne ad consequendam salutem habeant auxilium, quomodo igitur potest Deus quemquam non prævisis illius peccatis, ex solo suo positivè reprobare beneplacito? Hæc certè omnem superant fidem, rationemque excedunt. Unde & Sapientiæ Cap: 11. de Deo dicitur. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sed & Sancti Patres id unanimi consensu docent. S. Cyprianus Epist: 52. hæc habet. *Cum scriptum sit, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, ubique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere,* & Augustinus Libro 3. contra Julianum Cap: 18. sic inquit. *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

Et

Et certé ſummus Dei in homines amor, nullò modo patitur, ut decreto absoluto, & antecedente, ex solo suo beneplacito quemquam eorum pænis addicat æternis. Scilicet Deus diligendo omnes homines, omnium, & singulorum hominum, veré & sincere vult ſalutem, omnibus, & singulis ſufficientia ad consequendam salutem confert auxilia. Sic itaque sine prævisis demeritis ex solo suo beneplacito quemquam ad æternas destinaret pænas, id & ejus Diviniſsimo amori, quo universum genus humanum prosequitur, & sinceræ ipsius voluntati, qua omnes, & singulos homines vult salvos facere, omnino adversaretur. Sed & justitiæ Divinæ id contrarium, oppositumquè eſset, omnis siquidem pæna si justa est, peccati pæna est. Sane, si Deus homini innocenti pænas actu infligeret, injustus foret, pariter injustus eſset, si ad pænam quemquam destinaret sine culpæ prævisione.

Objicies 1. Proverbiorum cap: 16. dicitur. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Ergo impij antecedenter ad prævisa demerita ad damnationem prædestinati sunt. 2do in Epist: ad Romanos Cap: 9no ad Pharaonem dicit Deus. *In hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te virtutem meam*, unde concludit Apostolus, quasi Deus *quem vult indurat*, ergo ex suo beneplacito positivè Deus impios reprobat.

Resp: ad 1mum: Istjusmodi textus, non hunc eſse ſensum, quod Deus eo fine quemquam creaverit, ut damnaretur, ut enim S. Prosper ad 3tiam objectionem respondens dixerat. *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret*; fecit igitur Deus & impium, quamquam impium fore præviderat, in multa patientia sustinet illum in diem malum, quà adveniente morietur impius in impietate sua, Deus veró in illo puniendo ostendet potentiam, atque virtutem justitiæ suæ.

Ad 2dum: Id factum eſse à Deo ex præsupposita, ac præscita malitia Pharaonis. Primo quidem Deus sua longanimitate, variisque prodigiis conatus est, cor ejus emollire, & ad pænitentiam revocare, cum veró obstinata voluntate ſua in malo perseveraſset, inde Deus constituit in illo ostendere virtutem potentiæ, atque justitiæ suæ. Non ergo Deus Pharaoni malitiam inspiravit, ut eum perderet, sed prævisam in bonum ordinavit, in quo maxime Divina enituit omnipotentia. Cum autem ibidem dicitur Deum aliquos indurare, induratio illa non est positiva, sed nega-

tiva tantum, namque ut docet S. Augustinus *non indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam, iis scilicet, qui misericordiam ipsius contempserunt.*

Quæres 3. Quæ sit causa reprobationis negativæ?

Resp: Deus neminem à gloria cælesti etiam negativè reprobat ex ſolo ſuo beneplacito, & ante prævisa peccata. Etenim si Deus ante prævisa peccata à gloria cælesti etiam negativè reprobaret, id faceret vel actu positivo, formaliter certos homines à gloria cælesti excludendo, vel pura electionis ad gloriam omiſsione. Porrò neutrum dici potest. *Non 1mum* siquidem vult Deus sincere omnium, & singulorum hominum ſalutem, non potest autem hanc sincere velle, si actu positivo aliquos formaliter à gloria cælesti excludat, & quidem antecedenter ad prævisa peccata. Hæc siquidem actu positivo à Deo, formaliter facta aliquorum à gloria cælesti exclusio, cum voluntate sincera ſalvandi omnes componi, et coherere nullatenus potest. *Non 2dum:* siquidem & pura electionis ad gloriam omiſsio, est formallis ab illa exclusio namque dum hi eliguntur, alij omittuntur, hoc ipso illi excluduntur. Sive igitur dicatur Deum aliquos actu positivo, & formaliter à gloria cælesti excludere, sive pura omiſsione, & non electione illos negligere, ac omittere, idem omnino est. Nullo itaque modo Deus quemquam à cælesti gloria, ex ſolo ſuo beneplacito, ante prævisa demerita reprobat.

Dices. Deus gloriam cælestem nemini debet, ergo ab ea pro ſuo beneplacito excludere potest?

Resp: Deus gloriam cælestem nemini debet abſolutè, ſed illam debet ſupposita tum hominis ad vitam æternam ordinatione, tum ſanguinis Christi pro omnium redemptione effusi, acceptatione. Jgitur abſolute poterat Deus homines ad beatitudinem ſupernaturalem non ordinare, poterat & eos præviso peccato originali, in quo omnes peccaverunt, in maſsa perditionis relinquere, verum ubi semel Deus omnes homines ad cælestem gloriam ordinavit, omnibus hominibus ſub legitimi certaminis conditione, coronam in cælis spopondit, ac pro redemptione omnium ſanguinem Christi acceptavit, malè prorſus ſupponitur, Deum ex solo ſuo beneplacito, sine ullis prævisis demeritis, ab eadem corona aliquos excludere, eſset enim id, & velle omnium ſalutem, & statim hanc voluntatem retractare, quod Deo nullatenus congruit.

Quæ-

Queres 4. Utrum propter ſolum peccatum originale Deus à cœlesti reprobet gloria?

Resp: Propter ſolum peccatum originale adultos baptisatos Deus minime reprobat. Reprobatio siquidem quæ fieret propter peccatum originale, eſset actus justitiæ punitivæ. Sed in renatis nihil odit Deus, ut docet Concil: Trident: Seſs: 4. nihil in illis est damnationis, ut loquitur Apostolus Paulus, nihil ergo in illis punire potest Deus, nihil in ipsis reperire, licet propter quod à cælesti gloria, excludantur. Jgitur propter ſolum peccatum originale, adultos baptisatos, non reprobat Deus à cælesti gloria. Et veró fideles omnes hortatur S. Petrus, ut certam faciant ſuam vocationem, & electionem. Porró qui ab electione propter peccatum originale quocunque modo exclusi ſunt, electionem ſuam certam facere non poſsunt, nemo itaque ex adultis baptiſatis propter ſolum peccatum originale à cælesti gloria reprobatur.

Quœres 5. Jnfantes qui sine baptismo moriuntur, utrum propter ſolum originale peccatum reprobantur?

Resp: Jnfantes qui sine baptismo morituri prævidentur, omnimode quidem reprobantur, ſed non reprobantur præcise, quia peccatum originale contraxerunt, quandoquidem reprobationis motivum, quæ pæna est, reprobati proprium eſse debet, peccatum autem originale commune est, reprobantur igitur propter statum mortis, cum originali peccato conjunctum: hæc enim peccati originalis cum morte conjunctio hoc efficit in infantibus, quod in adultis efficit impænitentia finalis, quæ certe reprobationis etiam positivæ, cauſa est & origo.

Quœres 6. Jn adultis quœ cauſa sit reprobationis?

Resp: Jn adultis reprobationis tum positivæ tum negativæ, præviſa peccata unica est cauſa. Et id constat ex Mathæi Cap: 25. ubi adducuntur verba, quæ in extremo Judicio reprobis dicturus est Christus. *Discedite à me maledicti in ignem œternum qui paratus est diabalo & angelis ejus, esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Hic quemadmodum diabolo & Angelis ejus, ita etiam impiis hominibus propter eorum scelera, & paratus dicitur ignis æternus, & in illum reprobi detruduntur. Propter prævisa igitur scelera impiis paratus est ignis æternus, propter scelera perpetrata in illu conijcijuntur. Unica igitur in adultis positivæ & negativæ reprobationis cauſa, ſunt præviſa peccata. Quare S. Fulgentius libro 1. cap:

23.

23. sic inquit *Iniquos, quos præscivit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædestinavit supplicio interminabili puniendos*, & S. Prosper in responsione 3. ad Capitula objecta, hæc de impiis & reprobis habet. *Ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex valuntaria prævaricatione præsciti sunt.*

Dices. Constat Deum aliquibus uberiores & efficaces gratias denegare, unde in suis peccatis moriuntur & damnantur, hujus autem denegationis uberiorum ac effiatium gratiarum, non alia est causa, quam; quia ad gloriam cælestem non sunt præelecti.

Resp: Etsi uberiores ac efficaces gratias Deus nemini debeat, semper tamen eas conferre his paratus est, qui iisdem obicem non posuerunt. Ergo quod quidam efficacioribus gratiis destituuntur, non in reprobationem, sed in malam eorum voluntatem refundi debet. Unde Augustinus libro de Natura, & gratia cap: 26. sic inquit: *Deus non deserit, si non deseratur, ut pié semperque juste vivatur.*

ARTICULUS 4tus.

De prædestinationis, ac reprobationis effectibus.

Quæres 1mo: Qui sunt effectus tum prædestinationis, tum reprobationis?

Resp: Prædestinationis ad gloriam cælestem unicus est effectus, ipsa scilicet gloriæ cælestis retributio, unde vocatio, justificatio, glorificatio de quibus loquitur Apostolus Paulus in Epistola ad Romanus Cap: 8. sunt potius prædestinationis causæ, non autem ejusdem effectus.

Reprobationis pariter unicus effectus, nimirum actualis à gloria cælesti exclusio, atque repulsa, actualisque ad pænas æternas condemnatio.

Quæres 2do: An prædestinatio sit certa?


Resp: Prædestinatio in se spectata, certa atque indubitata est. Apostolus siquidem Paulus in Epist: 2. ad Timoth: Cap: 2. affirmat Deum nosse qui sunt ejus. *Cognovit Dominus qui sunt ejus,* Divina autem cognitio certa est, & infallibilis. Et veró; prædestinatio est Divina voluntas absoluta dandi gloriam propter prævisa bona merita, hæc autem ut certa sit, sufficit ut Deus certo sciat, quinam in bono perseveraturi sint usque in finem, id autem scit Deus, quoniam omnium scientiam habet.

Præ-

Prædestinatio verò quo ad nos certa non est, unde nemini citra specialem revelationem de ſua prædestinatione constare potest. Quare Eccles: Cap: 9. dicitur: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* *Unde Concil: Trid: Seſs: 6. Can: 16. Statuit: si quis magnum illud usque in finem perſeverantiæ donum se certo habiturum, abſoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Quæres 3. An major sit prædestinatorum numerus quam reproborum?

Resp: Prædestinatorum, numerus non est major numero reproborum, ſed econtra, & id constat ex Math: cap: 7. *lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Et certe ante: Christum, orbis pene totus in infidelitate, & omni scelerum colluvio positus erat, post Christum pars hominum major, in iisdem tenebris jacet, è Christianis alij hæresim, alij schisma, alij utrumque ſectantur, è fidelibus innumeri improbis moribus fidem ſuam deturpant. Si tamen parvuli, & adulti ſumantur simul, probabile est è Christianis silvari plures, quam reprobari.



TRA-

(***)

TRACTATUS
DE
PRÆCIPUIS OPERIBUS DEI.

Quæres. Quæ sint præcipua Dei opera?

Resp: Præcipua Dei opera ſunt creatio Mundi, hominum, atque Angelorum, totiusque hujus universi cura, ac conservatio.

CAPUT PRIMUM

De Creatione, de statu & conservatione, deque fine hujus Mundi.

ARTICULUS 1mus.
De Mundi creatione.

Quæres 1mo. Quid sit creatio?

Resp: Creatio propriè est productio ex nihilo. Hic vel nulli omnino, vel saltem paucis veterum Philoſophorum innotuit, quod jure mirari neceſse est, cum ipſa ratio primam rerum productionem, nonnisi per creationem fieri potuiſse ostendat. Magis tamen mirandum est, eam fuiſse ab iis etiam negatam, quibus ſupernaturale revelationis lumen affulgebat. Id de Marcione, Hermogene Hæreticis testantur Sancti Patres. Cerdoniani demum, Manichæi, alijque duorum principiorum, boni & mali asſertores, materiam ſaltem æternam, & increatam ad struebant.

Quæres 2do: Quis Mundum, ceteraque omnia, quæ in mundo ſunt creavit?

Resp: Mundus, ac omnia quæ in ipso ſunt, à Deo creata ſunt, & ex nihilo producta. Et id patet ex Sacris litteris, atque decretoria ſunt illa verba Moysis, initio libri Genesis posita. *In principio creavit Deus cœlum, & terram,* quæ etiam in aliis Sacris libris ſæpius repetuntur, ut

ut Psal: 148. de Deo dicitur, *ipse dixit, & facta ſunt, ipse mandavit, & creata ſunt.* Hebræorum quoque Cap: 3tio: *Qui autem omnia creavit, Deus est*: ac denique Apocal: Cap: 4. ad Deum sic loquitur Sacer: Scriptor. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Porró creatio, ut S. Hieronymus linguæ Hebraicæ peritisſimus obſervabat, Epist: 142. est ejus, qui prius non erat, conditionis exordium. Et hæc Scripturarum testimonia, expreſsionesque clare explicantur libro 2. Machab: Cap: 7. ubi mater ſuum filium ita adhortatur. *Peto nate, ut aſpicias ad cœlum, & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus,* Demum in plurimis Sacræ Scripturæ locis dicitur: omnia à Deo facta eſse, quare & prima rerum materia à Deo facta est.

Sed & rationibus naturalibus eadem comprobatur veritas. Quod enim improductum est, ac propterea à se ipso existens, debet eſse omnino neceſsarium, & omni perfectionum genere comulatiſsimum. Si enim contingens est, ab alia cauſa dependet, ut sit, vel non sit, & si à se ipso est, nullos habere potest perfectionis limites, quemadmodum enim à nulla cauſa pendet ut sit, ita à nulla cauſa coarctari potest ad certos, & determinatos perfectionum gradus, ut majores non habeat. Jam veró quis aſserere audeat aut mundum univerſum aut varia, quæ in eo ſunt, rerum genera, aut primam omnium materiam, eſse ita neceſsaria, ut ne fingere quidem poſsimus ea non existere, vel quis dicet, ea ita eſse perfecta, ut nulla ipsis fieri poſsit perfectionum acceſsio, cum potius contra videamus & multas in omnibus eſse imperfectiones, & illas ipſas paucas, & tenues perfectiones, quæ mundo, rebusque in eo positis conveniunt, ita convenire, ut ab eo sejungi poſsint, non igitur mundus, vel prima materia à se eſse potuerunt, ſed ab alia causa produci debuerunt, & ne procedatur in infinitum, eo tandem deveniendum erit, ut dicatur ex nihilo fuiſse extracta.

Præterea materia hujus universi, ut ut molle immanis, habet tamen ſuos magnitudinis fines, determinatam figuram, certum locum, & situm. At veró si materia eſset æterna, increata, & à se, quis illi extensionis limites posuit? quis figuram constituit? quis determinavit illi locum, & situm? cur non alia, & quidem omnia spatia poſsibilia ſua immensitate occupavit? quis demum ipsi certam motus quantitatem impreſsit? quis hunc motum certis legibus adstrinxit. Hæc, & multa plura id genus intelligi facile

cile poſsunt, poſita materiæ creatione ex nihilo, à Deo facta, intelligi autem nullo modo poſsunt, hac creatione ſublata.

Neque hæc mundi ac omnium rerum ex nihilo creatio, opinio tantummodo Theologorum, aut Philoſophorum est, sed certiſsimum Religionis nostræ dogma, quod profitemur in Symbolo Apostolico his verbis, *Credo in unum Deum creatorem Cœli & terræ*, quibus Concilium Constantinum hæc alia addidit. *Visibilium omnium & invisibilium.*

Dices: Sapientiæ Cap: 11. dicitur. *Deus creavit orbem terrarum, ex materia invisa*, seu ut habet Græcus textus *ex materia informi*, ergo materia non est creata.

Resp: Id nihil aliud significat, nisi materiam, cum primo à Deo ex nihilo fuit extracta, informem fuiſse, post autem ad pulcherimam hanc, atque ordinatiſsimam formam redactam.

At inquies: Humana ratio nullam potest sibi ideam creationis ex nihilo efformare, imo hæc è diametro pugnat cum illo principio *ex nihilo nihil fit*, quamobrem nec in mentem venit ulli ex antiquis Philoſophis, quibus plane impoſsibilis videbatur.

Resp: Testamur nullam sensibilem creationis ideam nos efformare poſse, qualem in rerum generationibus habemus, quæ ex præexistente subiecto fiunt, negamus tamen intelligi non poſse primam rerum productionem factam eſse ex nihilo, cum ipsa ratio doceat, non poſse in productionibus rerum in infinitum procedi, & tandem deveniendum eſse ad aliquam primam productionem, quæ ex nihilo facta sit. Illud autem commune principium *ex nihilo nihil fit* verum est, si recte intelligatur, nempe nihil fieri ex nihilo tanquam ex principio, vel subjecto, falsum est autem, si ea ratione intelligatur, qua Deus omnipotens efficit. ut ea, quæ antea non erant, inciperent eſse. Quod si Philoſophi Gentiles obtenebratum habentes intellectum, id non viderunt, non propterea sequitur falsum eſse, nam plura alia sunt ab ipsis ignorata, quæ ratio nostra revelationis lumine confortata, feliciter postea cognovit.

Quæres 3. Utrum mundus ab æterno à Deo creatus fuerit?

Resp: Dogma fidei est, mundum non ab æterno, sed initio temporis à Deo creatum fuiſse. Certè Moyses cum mundi creationem spatio sex dierum factam eſse dicit, manifesto innuit, eam non in æternitate, sed in tempore factam eſse. Præterea Proverb: cap: 8. ita Divina Sapientia loquitur *Dominus poſsedit me in initio viarum suarum,*

arum, antequam quidquam faceret à principio, & iterum *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ, quando præparabat cœlos aderam.* Accedunt etiam testimonia Novi Testamenti. Nam Joan: cap: 17. Christus ita Patrem orabat. *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset*, ac denique Ephes: cap: 1mo. Paulus dicit, nos electos à Deo fuisse *ante mundi constitutionem.* Minime etiam ambigendum est, materiam quoque ex qua mundus constat, fuisse initio temporis, & non ab æterno creatam. Id certè verbis Geneseos Cap: 1. clare significatur. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram, terra autem erat inanis & vacua*, id est: materia erat informis: neque apparet, cur Deus voluerit materiam ab æterno creare, ut ex ea postea initio temporis, mundum formaret. Sed & mundi novitatem illud maxime probare videtur, quod omnia Historiæ monumenta, quæcunque diligentissime colligi potuerunt, sunt temporibus Noe posteriora, si unum excipiamus librum Geneseos à Moyse conscriptum, qui mundi originem nobis exhibet circiter bis mille annis diluvio antiquiorem. Neque etiam ullus est inter eruditos, atque cordatos, qui decantatis Ægyptiorum, aut Sinensium antiquitatibus, fidem adhibeat, cum plane demonstratum sit vera Sinensium monumenta, ad Noe ætatem minime pervenire.

Quæres 4. Quis fuerit Dei scopus, in hujus mundi creatione?

Resp: Inprimis certissimum est Deum ob aliquem finem hunc mundum creasse. Namque creavit Deus hunc mundum summa libertate, libertas verò ratione impellitur, ut agat potius quam non agat, & ratio libertatem ad agendum impellens, est finis. Ergo ob aliquem finem Deus rerum istarum universitatem procreavit. Verum scopus, causaque creandi mundi non alia Deo fuit, quam bonitas ipsius, quam communicare ac manifestare voluit creaturis, unde etiam illud inteligitur, quod Proverb: cap: 16. de Deo dicitur. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* non quod istis indigeret Deus ad suam felicitatem, sed quod ex mera sua bonitate vellet creaturis suas perfectiones communicare. Cum hoc tamen non pugnat, quin etiam alios Deus fines habuerit in condendis peculiaribus creaturis, quarum aliquæ subduntur aliis, & omnes simul mira concinnitate, ac verietate dispositæ, pulcherrimam mundi faciem constituunt.

Quæres 5. Quo ordine creatus à Deo fuerit mundus?

Resp:

Resp: Postquam Moyses rerum omnium Genesim describens dixiſset, creatum fuiſse cælum & terram subdit, terram fuiſse inanem, & vacuam, ex quibus verbis communiter creditur informem materiam prius factam, ac posteà ex ipsa omnia formata fuiſse, quod ulterius & ipse Moyses insinuat, cum opera Dei distinctis sex diebus exponere, ac describere pergit, tandem addit septima die requieviſse Deum ab omni opere quod patraverat, quamobrem in Exodo hoc initio offertur, cur Sabbathum sit sanctificandum, quod nempe ea die mundanum opus Deus compleverit. Nec dubitari potest, quin sex dierum spatium ad litteram sit accipiendum, quandoquidem id demonstrant clariſsime, & historica Moysis narratio, & Sabbathi Sanctificatio non aliam ob causam instituta, & consensus omnium Scriptorum Sacrorum, atque Synagogæ & Ecclesiæ Christianæ perpetua traditio.

Dices 1mo: Primis tribus diebus sol necdum existebat, non poterant ergo tres illi primi dies eſse, nec Moyses potuit sensu litterali dicere, *factum est vespere & mane, dies primus, dies secundus, dies tertius, 2do.* in libro Ecclesiastici scriptum est. *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, non ergo sex diebus creata sunt omnia.

Resp: ad 1mum. Ante solem creatam fuiſse lucem quamdam, quæ noctes diesque dividebat. Moysim veró ut clarius intelligeretur, illa distincta temporis spatia, quibus creata sunt omnia, ab exordio statim per dies naturales, & consvetos denotaſse.

Ad 2dum: Vocabulum *simul* recte adhiberi potest ad significandam productionem rerum per aliquot continuatos dies factam. Simul itaque creata sunt omnia, quia continuis, & non interruptis diebus creata sunt.

ARTICULUS 2dus

De mundi statu, ipsiusque conservatione.

Quæres 1. Utrum mundus à Deo creatus perfectus sit?

Resp: Manichæi, & Priscillianistæ Hæretici, creaturas eſse malas, & à principio malo procreatas fuiſse blasphemabant, quorum errorem Ecclesia ſæpius proscripsit, quare mundus, omniaque in eo posita, quoniam à Deo bono, imo optimo creata fuerunt, & ipsa bona sunt, & mundus

dus perfectus est, ea scilicet bonitate ac perfectione quam Deus voluit ipsa habere. Moyses siquidem totum Mundi opificium his conclusit verbis. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona,* quam Divini opificis approbationem, etiam in singulis operibus memoraverat. Id ipsum non semel repetitur in Sacris Litteris. Sic Epist: 1. ad Timoth: Cap: 4. scriptum est. *Omnis creatura Dei bona est.* Unde Sapient: Cap: 11. Deo dicitur. *Diligis omnia quæ fecisti, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Inde tamen non sequitur, nulla in mundo eſse mala, nam *1mo.* in omnibus creaturis est malum metaphysicum, sivè imperfectio, quæ oritur ex illarum limitatione, hoc enim ipso quod ex nihilo sunt, limitatæ, & defectibiles eſse debent, & solus Deus, quia à se ipso & neceſsario existit, est infinitus, & perfectiſsimus. *2do:* sunt etiam in mundo mala Physica, & moralia. Moralia nempe mala culpæ, & hæc à libero hominis arbitrio, quod defectibile est, tamquam à prima causa oriuntur, nullatenus autem à Deo, qui causa efficiens est omnis boni, non in aliquo deficiens. Mala denique Physica, cujusmodi sunt innumeræ, quas patimur calamitates, à Deo bono simul & justo ad puniendas nostras culpas immituntur. His itaque malis non obstantibus mundus perfectus est, non ita ut mundus hic in se, & absolute optimus dici debeat, ac omnium qui poſsibiles erant perfectiſsimus, sed bonus & perfectus est ea bonitate, ac perfectione quam Deus ipsum voluit habere, quare mox memorata verba. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona,* sic intelligenda sunt, quod omnia quæ fecerat Deus erant valde bona, relativè ad scopum, ac finem, quem sibi Deus in mundi creatione proposuerat, quia scilicet erant Divinæ sapientiæ ideis, & voluntatis ejus finibus omnino consentanea.

Quæres 2. An Deus mundum hunc regit ac gubernat?

Resp: Deus mundum hunc universum regit, atquè gubernat. Enimverò mundus pulcherrimus, ordinatiſsima omnium rerum dispositio, nexus atque constans & invariabilis totius universi harmonia eſse non potuit, nisi Deo volente, perdurare etiam atque permanenter subsistere nequit, nisi ejusdem Dei potentiſsima cura, atque regimine sapientiſsimo. Certè sapientiæ Divinæ interest omnes ad suos fines dirigere, cum enim Deus singulis creaturis, singulares fines constituerit, & in omnibus creaturis aliquem sibi præfixerit scopum, ad ea omnes creaturas dirigit, ac disponit, ac proinde omnia regit, ac gubernat.

Et hujus non leve est argumentum conservatio Regnorum, Imperiorumque, atque Rerumpublicarum. Quoniam enim sine Imperio ac regimine societas humana conservari nequit, nec sine societate humanum genus, haberi etiam Imperium & regimen non potest, nisi homines ita se comparent, ut regi, ac dirigi facile patiantur, certum itaque Divini regimis opus hoc eſse videtur, quod Imperia, Regna atque Respublicæ, ubique gentium perpetuo conserventur, in tanta hominum varietate, & cogitationum diversitate. Præterea si Hebræorum historia legatur, & cum ea gentilium annales conferantur, manifestè videbitur, summas Monarchias, Regna, atqué Respublicas à Deo regi, & de gente in gentem transferri, quare Ecclesiastici cap: 10. scriptum legimus. *In manu Dei potestas terræ, & utilem rectorem suscitabit super illam*, additumque est quod ab ipso etiam *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias.*

Quæres 3. Utrum Deus res à se creatas conservat?

Resp: Deus res à se creatas conservat, & in agendo adjuvat. *Et 1mo:* quidem Deus res à se creatas conservat. Namque si Deus vel ad momentum sese à creaturis subtraheret easque vel tantillum relinqueret, omnia in nativum suum nihilum redirent, quomodo enim nonnisi Deo creante eſse ceperunt, ita etiam nonnisi Deo conservante in suo eſse perdurant, & quemadmodum sibi ipsis dare non potuerunt ut primo existerent, ita nec seipsas vel breviſsimo tempore conservare poſsunt. Igitur & creaturæ indigent ut à Deo, virtute ipsius conserventur, & cum videamus illas perdurare, recte inferimus Deum illas sua potentia sustentare. Et verò ad ornatum hujus universi Plantæ, animalia, ac præcipue homines pertinent, sine his terra vacua, & informis eſset, jam nec Plantæ, nec bruta, nec homines perpetuo vigent, vivuntque, ut ergo perpetuo sint, ac existant, perpetua instauratione indigent, & res semper ex iisdem causis, & eodem reipsa fit ordine, hinc videmus perennes, & ordinatiſsimas Plantarum, Brutorum, atque Hominum germinationes, ac generationes. Hæc autem sine Dei influxu, cura ac virtute fieri nequeunt. Omnia siquidem quæ existunt, illorumque vires sunt contingentia, neque existentia illorum nexu aliquo neceſsario cum ipsorum natura connectitur, rationem itaque horum omnium in solo Deo invenire licet. Neceſse itaque est ut Deus continuo omnia conservet ne existere desinant. Merito igitur quærit S. Gregorius Nasian: Oratione

2da

2da. *Quo nam modo universa hæc rerum moles, vel producta fuiſset, vel consisteret, nisi Deus produxiſset, ac jugiter conservaret.* Et S. Gregorius Magnus Epistolarum libro 1mo scripsit. *Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque eſsentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam Auctor omnium regiminis manu teneret* 2do: Deus res à se creatas in agendo adjuvat. Nihil siquidem est in creaturis boni, sive in ordine supernaturali, sive in ordine Physico, & naturali, quod à Deo tanquam primo auctore non oriatur. Quemadmodum igitur virtus operandi, quæ est in creaturis, omni procul dubio à Deo est, ita etiam quælibet actio in Deum tanquam primam, & universalem causam refundenda est, quatenus Deus nobiscum operatur, in agendo adjuvat. Unde docet Apostolus Paulus Actorum Cap: 17. quia in Deo *vivimus, movemur & sumus.*

ARTICULUS 3tius

De fine hujus Mundi.

Quæres 1. Utrum hic Mundus finem aliquando sit habiturus?

Resp: Mundus hic aspectabilis finem reipsa aliquando habebit. Et id apertiſsime docent Scripturæ, scilicet. Math: Cap: 24. ubi Christus finem mundi, & futurum suum ad judicandum orbem universum prædicens adventum, concludit; *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, idem repetit Lucæ Cap: 21. Sed præstat adferre verba Patri Apostoli, quia apertiſsima sunt. Hæc ille Epist: 2da Cap: 3. *Cæli autem qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*, & paulo post. *Cæli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Sed & veteres nobiliſsimi Gentilium Philosophi, clare docuerunt, Mundum hunc aspectabilem, finem aliquando habiturum eſse. Sic inter cæteros Plutarchus in libro de Iside, & Oriside, ubi vetustam Persarum, Chaldæorumque traditionem, de renovatione Mundi memorat, scribens, *instare fatale tempus, quo neceſse sit, peste & fame adducta, Arimanium*, malum scilicet Dæmonem, *omnino perdi, atquè aboleri, terraquè æquabili, & plana facta, unam vitam, unamquê civitatem beatorum hominum universorum, unaquê lingua uten-*

utentium fore. Celebre quoque fuit Stoicorum dogma, quo statuebant Mundi vicissitudines contingere, cum mundus exaquesceret, vel ignesceret. Idem omnibus fermè orientalibus nationibus persvasum fuisse, hodiequé esse, ex illis discimus, qui de earum moribus scripserunt.

Quæres 2. Qua ratione Mundus hic aspectabilis, finem accipiet?

Resp: Certum est quod per ignem, exustione, & combustione mundus hic aspectabilis finem accepturus sit. Hoc apertissime docet Petrus Apostolus in Epist: 2da cap: 3tio ubi asserit quia *Cæli qui nunc sunt, & terra--- igni reservati sunt.---- Cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Verum an hoc universum ita per ignem solvendum sit, ut totalis orbis totius dissolutio, atque extinctio subsequatur, an verò terra ista, atquè superiores Planetæ per ignem ita purgabuntur, ut substantia atque ordo illorum maneat, plane incertum est. Enimverò Christus Math: Cap: 24. prædicit, Stellas de Cælo casuras, virtutes cælorum commovendas. Petrus verò Apostolus docet; Cælos reservatos esse igni, Cælos magno impetu transituros, elementa calore solutum iri, terram & quæ in ipsa sunt, exurenda. His certe satis apertè indicatur, totalis totius orbis dissolutio, terræque exustio. Sed idem Apostolus Petrus in eadem Epistola novos Cælos, novamque terram appromittit dicens. *Novos verò Cælos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Et S. Joannes in Apocalip: Cap: 21. scripsit. *Et vidi Cælum novum, & terram novam. Primum enim Cælum, & prima terra abiit, & mare jam non est.* Quibus indicatur igne Cælum, terramque purgandos fore, & renovandos, ut novi cæli novaque terra inde nascantur, non igitur vetera in toto destruentur, aut esse desinent. Sed quidquid sit, de utraque opinione, certum & indubitatum est, Mundum hunc aspectabilem conflagratione, & exustione finem habiturum fore.

Quæres 3tio Utrum appropinquante fine Mundi, aliqua ipsius consummationem præcedent signa?

Resp: Appropinquante fine mundi, illius consummationem nonnulla præcedent signa. Primum quidem generalia quædam in aere, stellis, terra, mari, hominibusqué præ timore arescentibus. Deinde particularia, imprimis verò conversio Judæorum, de qua sic loquitur Paulus Apostolus in Epist: ad Roman: Cap: 11mo. *Nolo vos ignorare fratres, mysterium hoc, --- quia cæcitas ex parte contigit in Israel,*

donec

donec plenitudo Gentium intraret. Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem --- Jacob. Et hoc illis à me testamentum: cum abstulero peccata eorum. Ex quibus omnes Sancti Patres futuram Hebræorum conversionem deducunt. Sed maximum, omniumque memorabilissimum signum erit, adventus Antichristi, de quo præstat audire Paulum Apostolum, in Epist: 2da ad Thess: cap: 2do sic monentem. *Rogamus vos fratres --- ne terreamini--- quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur. & extollitur supra omne qud dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se: tamquam sit Deus--- Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt.* Ex his autem Pauli verbis tota vetus credidit Ecclesia, docuitque sequentia. 1. Antichristum forè unum, singularem hominem. 2. venturum, & regnaturum circa finem Mundi, post omnimodam Imperii Romani desolationem 3. Apparituros Henoch & Eliam, ut huic seductori adversentur. 4. Doctrinæ ejus hanc fore summam, quod negaturus sit Jesum esse Christum, se autem verum esse Christum, a Prophetis promissum 5. Facturum esse miracula, magnamque partem Christianorum seducturum. 6. regnaturum tres annos cum dimidio. His infinita alia adduntur, quæ partim fabulosa sunt, partim commentitia.

Dices Ex Joannis Epistola 1ma. Cap: 2do constat, Antichristum jam venisse, & multos esse Antichristos, sic enim scribit iste Apostolus. *Filioli novissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est.*

Resp: Per Antichristum plerumque in Scripturis Hæretici intelliguntur, potissimum verò illi qui negabant Christum esse Filium Dei, & tali sensu prædictos Hæreticos S. Joannes Apostolus Antichristos vocat, unde in eadem Epistola dicit. *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Jesus est Christus. Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.*

Quæres 4to: Quid hodierni Hæretici de Antichristo senserint, aut etiamnum sentiant?

Resp: Recentiores Hæretici Lutherani, Calvinistæ, &

& alii omnes in ea Sententia fuerunt, atque sunt etiam, Antichristum non forè unicam personam singularem, sed speciem quamdam personarum, ex multis individuis conflatam, omnesque Romanos Pontifices Antichristos eſse. Sed putidiſsima hæc Hæreticorum calumnia, paucis, & evidentiſsimis refellitur argumentis. 1. Quia Antichristus in Scripturis velut una describitur persona, diciturque: *homo peccati, filius perditionis.* 2 Docent Scripturæ Antichristum regnaturum tres Annos cum dimidio, seu Menses quadraginta duos, ut habetur Apocalip: Cap: 11. 3tio Antichristus dicitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui. Hæc autem & alia multa, quæ juxta sonantiam Scripturarum unanimi consensu futuro, verò Antichristo Sancti Patres tribuunt, cum nullatenus tot Romanis Pontificibus inservire, neque ullatenus adoptari poſsint, putida est Hæreticorum fabula, qua malitiosiſsime Romanos Pontifices, tamquam Antichristos traducunt, & aspernantur.

Quæres 5to. Appropinquante fine hujus mundi, quid tandem contingere debet?

Resp: Approximante fine mundi, & extincto Antichristo, erit Resurrectio omnium hominum mortuorum, ac tandem extremum judicium. Et hæc expreſsis verbis prænuntiavit Christus. Math: 24. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filij hominis in Cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum, usque ad terminos eorum.* Deinde cap: 25. totam formam tremendi illius describit Judicii, scilicet: *Cum --- venerit Filius hominis in majestate sua, --- congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos abinvicem --- Et statuet oves --- à dextris suis, hœdos autem à sinistris suis. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt. Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. --- Dicet & his, qui à sinistris erunt. discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* Quandonam verò hæc ventura sint, multam hominum excitavit curiositatem. Observare autem oportet, nullum à Christo usque ad nos præteriiſse sæculum, in quo viri religiosi, & docti, instare extremum judicium non sint opinati. Apostoli certe ita de ex-

tre-

tremo hoc judicio locuti sunt, ut proxime illud instare existimaſse videantur. Sic Jacobus Cap: 5to inquit. *Adventus Domini appropinquavit, ecce judex ante januam aſsistit.* Joannes in Epist: 1ma cap: 2do: *Filioli noviſsima hora est.* Eundem in modum loquuntur Patres tertii sæculi, & alii subsequentium sæculorum, id autem fecerant, quia totum hoc temporis intervallum, à Christo ad judicium extremum interfluens veluti diem reputarunt, certi tamen erant, cum Scriptura de hoc tempore taceret, eſset supra illam sapere, quidquam explorati de hoc pronuntiare. Quare non sine temeritate, tempus extremi judicii definiri potest, Christus enim ipse aperte monet. Marci Cap: 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

CAPUT SECUNDUM

De Creatione & lapsu Angelorum.

Quœres. Quid nomine Angeli intelligendum sit?

Resp: Angeli nomen potius officium designat, quam naturam. Angelus enim idem est, ac miſsus, unde etiam hominibus hoc nomen aliquando in scripturis tributum legimus. Quando tamen hoc nomen absolute pronuntiatur, designat substantiam per se, & complete subsistentem intellectu, & voluntate præditam, præstantiorem homine, Deo autem inferiorem.

ARTICULUS 1mus

De existentia, & tempore quo creati sunt Angeli, deque ipsorum natura.

Quœres 1. An re ipsa existunt Angeli?

Resp: Angeli reipsa existunt. Id clare patet ex Sacris Scripturis. In ipsis siquidem libris Moysis frequentiſsima est Angelorum mentio, illius qui apparuit Agar in deserto, Genes. Cap: 16. aliorum duorum, qui eripuerunt Loth ab incendio Sodomæ Genes: 19. alterius qui Abraham cohi-

cohibuit, ne Isaac immolaret Genes: 22. & infinita fere sunt loca veteris & novi Testamenti, in quibus Angeli nominantur tamquam ministri beneficiorum Dei, vel pænarum, quas hominibus impiis infligere voluit. Præterea in Epistola ad Hæbr: Cap: 1mo: Apostolus Paulus instituta comparatione inter Christum & Angelos, ejusdem Christi Divinitatem ostendit, ibique afserit ipsum non Angelicam, sed humanam voluifse induere naturam, quod utrumque ridiculum certe foret, si Angeli re ipsa non existerent. Hinc rectè concludebat S. Augustinus Serm: 1mo in Psalmum 103. *Quamvis non videamus apparitiones Angelorum, tamen efse Angelos novimus ex fide, & multis apparuifse legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.*

Sed & argumento Theologico existentia Angelorum probari potest. Dantur siquidem admirabiles ac portentosæ operationes, quæ omnem humanam vim, captumque superant, omnes corporeas excedunt vires, ipsis proindè tantummodo sublimioribus Spiritibus, id est Angelis tribui pofsunt. Pauca ex ipsis Sacris Scripturis hic afferamus. Libro 4to Regum cap: 19. Angelus à Deo mifsus sub Ezechia Rege Juda, de exercitu Sennaherib interfecit centum, octoginta quinque milia hominum. Danielis cap: 6. Propheta in lacum Leonum mifso, Angelus à Deo mifsus, ora Leonum conclusit, & non nocuerunt illi, & cap: 15to narratur quomodo Angelus Domini in Judæa, apprehenderit Habacuc Prophetam cum Prandio quod paraverat, eumque in Babylonem ad Danielem transtulerit, & cum prandium Daniel manducafset, confestim in locum suum illum restituerit. Præterea Danielis cap: 3. *Angelus Domini descendit cum Asaria, & sociis ejus in fornacem nimium accensum, & excufsit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, nec quidquam molestiæ intulit.* hæc Vetero Testamento: Ex Novo autem. Actorum cap: 5. Angelus Domini positos Apostolos in publica custodia, aperiens januam carceris, eduxit. Itemque Petrum ab Herode mifsum in carcerem, inde stupendo modo liberavit. Philippum quoque Spiritus Domini rapuit, & de Samaria transtulit in Azotum. Sed in Historiis Profanis, innumeræ sunt narrationes, ex quibus certo constat, homines à malis Angelis obsefsos, longe à se posita vidifse, secretiora aliorum facta aperuifse, multa futura præsagiendo prædixifse, adeo inexpectata, ut nullo modo ab homine previderi potuerint, linguis peregrinis, ac diversifsimis quarum

pror-

prorsus ignari erant, locutos fuiſse, motus stupendos excitaſse, atque prorsùs insolita quæ corporeæ, ac humanæ naturæ vires omnino superant, facta perfeciſse. Ex his vero manifestum efficitur, præter substantias corporeas, atque alias quæ humanis corporibus informandis destinatæ sunt, in hac rerum universitate, dari aliquas intelligentias subtiliſsimas, ac sagaciſsimas, Spiritus, humano longe majores, & potentiores, quos Angelos nominamus. Ergó reipsa existunt Angeli.

Objicies 1mo: Moyses res à Deo creatas distincte recensens, nullam creationis Angelorum mentionem fecit. 2do Angeli nomen officium potius denotat quam naturam, quare quæ in Sacris litteris de Angelis dicuntur, aut de hominibus, aut de internis divinis inspirationibus intelligenda sunt.

Resp: ad 1mum Difficile est veram afferre rationem, cur Moyses creationem Angelorum prætermiserit, sed cum tam sæpe in suis libris Angelos meminit, eos à Deo creatos fuiſse insinuat: cæterum creationis Angelorum in aliis Scripturæ locis perspicua mentio fit. Sic Danielis cap: 3. & Psalmo 102. Angeli inter opera Dei numerantur, & ad benedicend m Deum invitantur. Verum decretarius est locus Apostoli in Epist: ad Coloſs: cap: 1. ubi de verbo Divino loquens, hæc habet. *In ipso condita sunt universa in Cœlis, & in terra visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive potestates,* quibus nominibus varios Angelorum Choros distinctim enumerat.

Ad 2dum. Multa sunt in Sacris libris de Angelis Scripta, q æ nec de hominibus, nec de internis inspirationibus, ulla ratione intelligi poſsunt, ut cum David hominis excellentiam admirans, Psalmo 8vo inquit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis,* vel cum Christus Math: Cap: 22. Sadducæis respondens, homines dixit in resurractione futuros *sicut Angelos Dei* ac demum cum Math: Cap: 18. de parvulis loquens, ait. *Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei.* In his certè Scripturæ locis per Angelos, homines, aut internæ Divinæ inspiritiones, intelligi nullatenus poſsunt.

Quæres 2. Quo tempore à Deo creati Angeli fuerint?

Resp. Quamquam dubitari non potest, Angelos fuiſse à Deo creatos., siquidem libro 2. Esdræ cap: 9. dicitur. *Tu Domine fecisti Cœlum, & Cœlum Cœlorum, & omnem*

exer-

exercitum ejus, certum tamen non est, quo tempore creati fuerint. Et quidem parum consentanea Sacris litteris videtur eorum opinio, qui putant Angelos creatos fuisse ante mundi constitutionem. Sed contraria opinio, quæ Angelos, post opera sex dierum, creatos fuisse aserit, parum verisimilis est, igit r verò propius accedit, Angelos simul cum hoc universo creatos fuisse, quod etiam insinuat Concilium Lateranense 5tum dicens: *simul ab initio temporis utramque de nihilo conditam esse creaturam, Angelicam, & mundanam*, forte cum Deus Cælum creasset, una & Angelos creavit. Nihil ergo hac de re certum, nihil definitum.

Quæres 3. Quæ, & qualis sit natura Angelorum?

Resp: Certum est naturam Angelorum, humana longe esse præstantiorem, quare Psal: 8vo de homine dicitur. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Certe & vis intelligendi, & potentia agendi, longe major in ipsis reperitur. De vi intelligendi inde patet quia in Scriptura Sacra libro 2do Regum Cap: 14. intellectus perspicacissimus, cum perspicacia Angeli comparatur. Quod vero homine in agendo potentiores sint, expresse id testatur Petrus Apostolus in sua 2da Epist: cap: 2. dicens: Angelos esse *fortitudine, & virtute majores.* Quare August: Libro 11. de Civitate Dei cap: 5to ait: *Angelica natura omnia cetera quæ Deus condidit naturæ dignitate præcellit.* Et hanc vim agendi, intelligendique mali Angeli post suum lapsum non amiserant, quod manifeste constat, tum & Admirandis Energumenorum operationibus, quæ ope Dæmonum fieri certissimum est, tum Apostolus Paulus in Epist: 2. ad Corinth: cap: 11. Diabolo quæ per Serpentem Evæ locutus est, astutiam tribuit, monens fideles, ne & ipsi ab illo decipiantur. *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia, ita corrumpantur sensus vestri.* Oracula igitur Dæmones fundere possunt, quod etiam constat ex Actor: cap: 16. ubi mentio fit de ancilla Sporitum Pythonem habente, cujus Vaticinia à Diabolo profecta fuisse inde certum est, quod ejecto per Apostolum Paulum Dæmone vaticinia cessaverint.

Quæres 4. Utrum Angeli corporei, aut incorporei sunt?

Resp: Nemo ita desipuit, ut Angelorum naturam prorsus corpoream esse diceret. Sed quemadmodum homo Spiritu constat & corpore, ita plerique Angelos corpore quodam tenuissimo præditos esse contendebant. Ita non pauci

pauci veteres Patres, Platonicam Philosophiam secuti. Alij tamen bene multi, Angelos omnino incorporeos eſse statuebant. Hæc sententia modo communiſsima est, validisque ex Sacra Scriptura petitis fulcitur monentis, in ea siquidem Angeli paſsim dicuntur Spiritus. Sic Psal: 103. *Qui facis Angelos tuos Spiritus*, & Hæbr: cap: 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus*, & nusquam in Sacris litteris Angeli corporei dicuntur. Tandem Actorum cap: 23. reprehenduntur Sadducæi, qui dicebant non eſse Angelum, neque Spiritum, ubi manifeste apparet, Spiritus nomine rem incorpoream, quam Sadducæi inficiabantur, significari, prætere a, quamquam Sancti Patres aliqui Angelos corporeos eſse putarunt, alii ancipites hæserunt, longe tamen plures omnino incorporeos sine dubio affirmarunt. Ita S. Ignatius in Epist: ad Tralbianos, Gregorius Nyſsenus libro 12. adversus Eunomium. Gregorius Nanzianzenus Orat: 34. & Eusebius, qui libro 4to demonst: Evang: cap: 3tio Angelos vocat *incorporeos*, *intelligentes*, *ac Divinas virtutes*, *materia carentes*, *ac puros Spiritus*. Nimis autem longum eſset omnia Chrysostomi, Theodoreti, aliorumque testimonia afferre. Accedit postremo auctoritas Concilii Lateranensis 5ti quod definivit à Deo conditam fuiſse *utramque creaturam, Spiritualem, & corpoream, Angelicam & mundanam*. Unde hæc opinio si non ad fidem pertinet, quia illius Consilii Patres definire tantum volebant contra Manichæorum hæresim tunc graſsantem, omnia quæ sunt corporalia & Spiritualia a Deo creata fuiſse, cum tamen uno ore Angelos incorporeos, ac spirituales eſse affirmaverint, id sine temeritate negari non potest.

Objicies 1mo: Genesis cap: 6. scriptum est, *videntes filii Dei*, seu ut legunt septuaginta interprætes, Angeli, *filias hominum*, *quod pulchræ eſsent*, *acceperunt sibi uxores*, *2do:* Angeli humana specie sæpe apparuerunt, comederunt, biberunt. *3tio:* Tobiæ cap: 6to dicitur fumus piscis extirpare omne genus Dæmonum. Libro 1mo Regum cap: 16. David Citharæ sono compescuit Spiritum malum, quo Saul agitabatur. Tandem Dæmones quibusdam rebus sensibilibus oblectari, ut carminibus, adipe, non solum Ethnicorum, sed etiam veterum Ecclesiæ Patrum testimoniis probari potest.

Resp: Nomine filiorum Dei non intelliguntur Angeli, sed posteri Seth à Deo multum dilecti, sicuti per filias hominum designantur filiæ ex progenie impii Cain. Non in omnibus autem septuaginta interprætum codicibus loco

loco filiorum Dei Angelos legebatur, sed in aliquibus filij Deorum positum erat. Certè ille locus intelligi nequit neque de Angelis malis, quia illi filii Dei non sunt, neque de Angelis bonis, quia illi, ut dictum est Math: cap: 22. *Neque nubent, neque nubentur.*

Ad 2dum. Quantum ad apparitiones Angelorum, hæ fiebant aſsumptis corporibus ex subtiliori elemento formatis, in quibus & visibiles fieri potuerunt, & comedere, ac bibere, sed apparenter tantummodo. Unde etiam Angelus Tobiæ cap: 12. dicebat. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Nec tamen hæc mendacia reputari debent, cum non ad decipiendos homines hæc directa fuerint, sed ut ipsis, ex Dei mandato, officia præstarent.

Ad 3tium: Res istas corporeas egiſse Dæmones non naturali sua vi, sed potius ex voluntate Divina, & virtute supernaturali. Rebus autem sensibilibus illiciuntur Dæmones *non ut animalia cibo, sed ut Spiritus signis*, inquit S. August: libro 21. de Civit: Dei cap: 6. in quantum scilicet hæc exhibentur in signum quasi Divini honoris, cujus ipsi sunt cupidiſsimi.

Quæres 5. Quæ sint præterea dotes Angelorum?

Resp: Præcipuæ detes Angelorum sunt sequentes. *1mo:* est vis intelligendi, ac volendi. Enimverò Angeli sunt substantiæ cogitantes, intelligendi igitur ac volendi vi præditæ sunt. Quin Angelorum intelligentia si cum nostra comparetur, maxima eset, sed infinita non est. Hinc futura libera, nisi illa Deus manifestet, conijcere quidem poſsunt, confuse, & generatim, tamquam mentes sapientiſsimæ, & certò prævidere non poſsunt. Hinc Deus apud Isaiam Dæmones deridens inquit, *annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus quia Dii estis vos.* Quo ex loco deducitur futurarum, maxime quæ libera sunt, scientiam unius Dei eſse. Præterea consentiens est omnium doctrina, Angelos intimas cordis cogitationes ignorare, easque Deo tantum notas eſse. Quare in Scripturis Sacris tantummodo Deus dicitur *scrutator cordis*, atque ex hoc patet quam sint deridendi qui ope Dæmonis intima cordis humani penetralia scire satagunt. *2do:* est immortalitas. Certe Angelos eſse immortales ratio nos docet, & revelatio comprobat. Natura siquidem Angelorum simplex ac incorporea est, nullis igitur naturæ viribus perire potest, quia corrumpi aut diſsolvi cum nequeat, in nihilum nulla creata vi redigi

digi potest, est ergo immortalis. Igitur vi naturæ suæ Angeli sunt immortales. Sed etiam Dei voluntate, atque statuto, quod revelatione comprobatur. Nam Lucæ cap: 20. expresse dicit Christus illos qui futuro sæculo digni habebantur, & resurrectione ex mortuis non *ultra mori poterant*, *œquales enim Angelis sunt*, *& Filii Dei*: & quemadmodum Math. Cap: 25. prædixit Christus, in extremo judicio his qui in sinistris erunt dicet: *Discedite a me maledicti in ignem œternum*, *qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*: in illo ergo igne Diabolus cum Angelis suis in æternum duraturus est, ergo immortales sunt. Quod si in æterna damnatione malos Angelos immortales fore credendum est, magis in æterna beatitudine bonos Angelos immortales futuros certo tenendum est, quare etiam Math: cap: 18. absolute & sine ulla temporis circumscriptione dictum est à Christo, quia boni Angeli parvulorum in Cælis semper vident faciem Patris ejus. His accedit Patrum omnium totiusque Ecclesiæ consensio maxima, qua semper creditum est Angelos esse immortales.

ARTICULUS 2dus

De lapsu Angelorum.

Quœres 1. In quo statu creati fuerint Angeli?

Resp: Dubitari non potest, omnes Angelos à Deo fuisse creatos bonos, atque gratia sanctificante exornatos. Unde Augustinus libro 12. de Civit: Dei cap: 9no loquens de Angelis hæc habet. *Deus erat simul in eis condens naturam*, *& largiens gratiam*, *unde sine Dei amore nunquam Sanctos Angelos fuisse credendum est.* Communis etiam sententia est, Diabolum cum suis asseclis, non statim ab initio suæ creationis adversus Deum rebellem extitisse, atque sic à gratia excidisse, verum quantum temporis inter ejus creationem, & lapsum intercesserit, certo definiri non potest.

Quare Concilium Lateranense 4tum condemnavit Manichæos & Priscillianistas qui docuerunt. *Diabolum non fuisse prius Angelum bonum à Deo factum.*

Quœres 2. Utrum reipsa Angeli in peccatum prolapsi à gratia sanctificante exciderunt?

Resp: Certum est, Diabolum, qui Princeps malorum Angelorum & Satanas appellatur, cum magna aliorum Spiri-

Spirituum caterva, gratiam Dei sua culpa perdidiſse. Unde Lucæ cap· 10. inquit Christus: *Videbam Satanam sicut fulgur de Cælo cadentem*, quia scilicet ut idem ait Christus Joannis cap: 8vo *ab initio in veritate non stetit* & Joannes Apostolus Epist: 1ma cap: 3. docet Diabolum ab initio peccare. *Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* Petrus quoque Apostolus Epist: 2da. Cap: 2. plures cum Diabolo peccaſse aſserit inquiens. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Sanctus etiam Judas Apostolus in sua Epist: inquit· *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Neque parvus erat numerus Angelorum peccantium, siquidem ingens illorum multitudo in Apocalipsi cap: 3. per tertiam partem stellarum denotatur, quæ cum Dracone de Cælo projecta fuit, neque locus ipsorum amplius inventus est in Cælo.

Quæres 3. Quod erat peccatum Angelorum peccantium?

Resp: Quamquam Scriptura Sacra perspicue non exponit, quale fuerit Angelorum primum peccatum, merito tamen censetur fuiſse peccatum superbiæ, quod scilicet voluerint eſse similes Deo Creatori suo. Hoc enim insinuat etiam Isaias Propheta cap: 14. ubi ex persona Diaboli dicit. *Ascendam in Cælum, & ero similis Altiſsimo.* Ex peccato autem superbiæ fluxit peccatum invidiæ, prout dicitur Sapientiæ cap· 2. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*, unde præclare S. Gregorius Papa in Pastorali cap: 21. de Diabolo scripserat. *De illo sic scriptum est. Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum, quia enim ipse malignus Spiritus Cælum perdidit, condito ad hoc homini invidit, & damnationem suam perditus adhuc alios perdendo, cumulavit.*

Quæres 4. Quid factum sit cum Angelis peccantibus?

Resp: Quemadmodum boni Angeli, in accepta justitia Divinæ gratiæ ope perseverantes, æternæ felicitatis præmium consecuti sunt, ita mali qui ab eadem justitia proprij arbitrij perversitate desciverunt, æternis suppliciis justo Dei judicio condemnati sunt, & quomodo boni in justitia atque gratia confirmati, peccare amplius non poſsunt, ita mali omnino obdurati, peccato obstinate adhærent.

Ex hoc itaque quorundam Angelorum lapsu, orta est distinctio Angelorum in bonos & malos. Angeli mali com-

communiter Dæmones appellantur, & hoc nomen in Sacris litteris nonnisi malis Angelis tribuitur. Eædem quoque Sacræ paginæ nobis exhibent aliquem malorum Angelorum quasi Principem, quem Christus Dominus Math: cap: 25. appellat Diabolum, alibi autem dicitur Princeps hujus mundi, Princeps tenebrarum, Princeps potestatis aeris hujus, Lucifer, Belial, Beelzebub, Satanas, Serpens Draco, quibus vocabulis ipsius potius malitia, quam natura significatur, natura siquidem quæ ab initio fuit, etiam post lapsum permansit. Hinc communiter credunt Theologi, Dæmones non minus, ac Angelos bonos incorporeos eſse, quamvis nonnulli ex veteribus opinati sunt, Angelis malis in pænam rebellionis suæ, fuiſse corpora aærea tributa, quo poſsent inferni flammis cruciari. Sed hic error ab omnibus modo reijcitur.

Sed ex parte etiam bonorum Angelorum, Michael Princeps magnus eorum in Sacra Scripturæ Daniel: cap: 20. nominatur, unde etiam in Apocalipsi Capite 12. bellum ipsius cum Dracone collutam describitur. *Factum est prœlium magnum in cœlo. Michael & Angeli ejus prœliabantur cum Dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Verum & multi alij primi Angelorum Principes dicuntur Danielis cap: 10. *Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium mihi.*

Quœres 5. Peccatum malorum Angelorum, quæ conſecuta est pœna?

Resp: Peccatum malorum Angelorum non una conſecuta est pena. Nam *1mo:* gratia sanctificante, quâ omnes ab initio creationis ſuæ exornati fuerunt illico privati ſunt, *2do:* privati etiam ſunt Cælesti illa beatitudine, ad quam omnes ordinati erant, & quam Angeli boni poſſederunt, visione scilicet beatifica, cujus privatio pæna est omnium maxima, *3tio:* quamquam eorum facultates naturales integræ permanserunt quantum ad ſubstantiam, fuerunt tamen aliqua ratione diminutæ, obscurato scilicet eorum intellectu in verò, cognitione, & voluntate, in malo obdurata. *Postrema* demum malorum Angelorum pæna est damnatio ad ignem inferni, quam jam actu tulerunt, atque sustinent. Ut enim S. Petrus Apostolus ſentit Epistola 2da cap: 4to: statim post lapſum malorum Angelorum, Deus illis non pepercit, ſed detractos in tartarum tradidit cruciandos. Neque etiam videtur diversa eſse ratio dæmonum, ac hominum, quorum tamen animas, si in

mor-

mortali peccato decedant, continuo gehennalibus flammis cruciari certissimum est.

Quæres 6. Quomodo Spiritus incorporei, corporeis ipsis flammis torqueri possunt?

Resp: Jllud est difficile explicatu S. Augustinus Libr: 21. de Civit: Dej cap: 10. id fieri dicit *miris sed veris modis*: ad id autem necesse non est, eos omnes esse in ipso infernali carcere inclusos, certum enim videtur, non exiguam eorum partem, etiam super terram versari, cum in Libro Job Cap: 1. & 2. dicat Satanas ad Deum. *Circuivi terram, & perambulavi eam*, & in variis Scripturæ Sacræ locis diabolus vocatur Princeps hujus mundi. Princeps potestatis aeris hujus. His accedit veneranda Sanctorum Patrum auctoritas, quorum omnium instar erit S. Hieronymus in Epistolam ad Ephes: scribens, ubi dæmones esse in hac aeris atmosphæra pro certo habet & subdit. *Hæc omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum & terram dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.*

ARTICULUS 3tius.

De artibus atque insidiis dæmonum.

Quæres 1. An dæmones hominibus insidiantur?

Resp: Dæmones ex invidia & malevolentia ipsis post peccatum insita, animabus, corporibusque nostris, Deo id permittente, insidiari, ex Scripturis, & Traditione certissimum est. Jnter mille autem nocendi artes, potissima, ac frequentissima est eorum tentatio tam externa, quam interna. Atque externæ quidem primum funestissimum exemplum exhibet Eva in ipso primæ innocentiæ suæ statu. Aliud exemplum suppeditat Jobi historia, & tertium denique in ipso Jesu Salvatore nostro habemus. Tentationis autem internæ documentum nobis suppetit in mortalium omnium infelicissimo Juda proditore, de quo ait Joannes Cap: 13. *Cum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Jscariotæ.* Hinc sunt etiam illæ tam frequentes in Scripturis exhortationes, ut vigilemus, & oremus, *quia adversarius noster diabolus tamquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.*

Dices. Joannis cap: 12. Christus promisit Principem hujus

hujus mundi eijciendum foras, & Apocalipsis Cap: 20. diabolus vinctus dicitur ut non seducat amplius gentes.

Resp: Hæc & hujus generis alia, non significant omnem ademptam esse diabolo potestatem insidiandi, atque nocendi nobis, sed tantum illam diminutam esse, & fractam, nobisque per mortem Christi ea esse arma spiritualia suppeditata, *quibus possimus stare adversus insidias diaboli*, ut loquitur Apostolus ad Epheseos cap: 6to.

Quæres 2. Utrum Dæmones quandoque hominum corpora obsident?

Resp: Si quid est in Religione nostra perniciosius, abusibus magis obnoxium, certe doctrina de Dæmonibus corpora hominum obsidentibus; plurimorum enim ignorantia, superstitione, ac malitia persæpe fit, ut obsessorum à Dæmone numerus temere, & falso augeatur, multique pro Dæmoniosis ex levibus rationibus imperite habeantur, unde plurima exoriuntur mala. Non ideo tamen neganda est veritas, quam Sacræ Litteræ, Sanctorumque Patrum traditio aperte nobis commendant, imo id eo magis hoc nostro ævo necessarium est, quo increduli his veritatibus labefactatis, ad ipsa Religionis fundamenta convellenda viam sibi sternere studiosius adnituntur. Quare necessarium esse censemus, ut ostendamus corpora hominum aliquando à Dæmonibus, Deo permittente possideri. Et certé attenta Dæmonum natura, hominibus longé superiore, nullo pacto impossibile est, illos nostra corpora sic intime pervadere, eorumque organa agitare, & movere, ut variæ inde prodeant actiones, animæ nostræ imperio quasi suspenso, & impedito. Atque id reipsa factum esse multa in Sacris litteris luculentissima exempla demonstrant. Et imprimis de Saulo constat 1. Regum cap: 16. quia illum *Spiritus malus exagitabat*: de Sara etiam Raguelis Filia, Raphael Angelus Dæmonium ejecit, quemadmodum Scriptum est Tobiæ cap: 8vo. Non paucos etiam Energumenos à Christo liberatos nobis Evangelica exhibet historia. Et inter alia quæ Christus Discipulis suis, imo & ceteris fidelibus promiserat dona, hoc etiam Marci cap: 16. posuit. *In nomine meo Dæmonia ejicient.* Quare similes liberationes Dæmoniacorum ab Apostolis quoque factas Scriptura recenset. Sic Actorum: cap: 5to Petrus dicitur curasse vexatos à Spiritibus immundis, & Pauli sudaria, atque semicinctia spiritus nequam expellebant, ut scribitur Actorum cap: 19. ubi etiam narratur: id tentatum fuisse à quibusdam Judæis Exorcistis, & quidem in nomi-

ne Jesu, quem Paulus prædicabat. Eandem quoque auctoritatem expellendi à corporibus hominum Dæmones, & postea in Ecclesia viguiſse testis est Tertullianus, qui in Apologetico cap: 23. ita fidenter Ethnicos provocabat. *Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet, juſsus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tum se Dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso*, unde etiam concludebat Divinitates Gentilium subjectas eſse Christianis. Nimis autem longum eſset, per omnia posteriora sæcula percurrendo, ostendere, hanc gratiam liberandi Energumenos, nunquam in Ecclesia disiiſse. Et quamquam omnia, quæ in hac materia narrantur probare non poſsumus, illud tamen certiſsimum est, constantem ac universalem SS. Patrum, atque etiam fidelium persvasionem fuiſse, & Dæmones Deo permittente corpora hominum obsidere, & eſse in Ecclesia potestatem, eosdem à corporibus expellendi. Atque huc spectant exorcismi, quibus à primis sæculis ad abigandos Dæmones Ecclesia semper usa est. Imo ab ipso Ecclesiæ initio Exorcistæ nomen, & ministerium fuiſse, aſserit Concil: Trident. Seſs: 23. cap: 2do.

Objicies 1mo: Christi miracula in liberandis Energumenis ostensa mystice interpretari debere, & de curatione morborum, non autem de expulsione Dæmonum intelligenda sunt. *2do.* Dificile admodum est veros dæmoniacos à fictis, falsisque discernere. *3tio:* Dei bonitati repugnat permitterre Dæmoni, ut corpus humanum poſsideat.

Resp: ad 1mum. Scriptura quæ Energumenos per Christum liberatos enumerat nimis aperte loquitur adeo, ut hæc miracula de curatione morborum intelligi nequeant. Sic Marci cap: 9. Christus præcepit spiritui immundo ut exiret, & in aliis innumeris locis. Hinc etiam est illa iniqua, simul & insulsa Pharisæorum calumnia, quod Jesus in Beelzebub Principe Dæmoniorum Dæmonia ejecerit, quæ licet inepta, certo tamen supponit Christum reipsa Dæmonia ejeciſse. Insuper Christus hanc Pharisæorum calumniam à se repellens, ex hac ipsa potestate ejiciendi Dæmonia Divinam suam miſsionem invicte ostendebat Judæis, dicens: *Si Ego in Spiritu Dei ejicio Dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Math: cap: 12. Tandem ipsi Dæmones, quos è corporibus humanis Christus ejiciebat, conquerebantur, quod illos torqueret, atque

que confitebantur quis eſset. Hæc autem quomodo de morbis intelligi poſsunt?

Ad 2dum: Talia sæpius ab obseſsis fieri, quæ nonnisi à Dæmonis virtute proficisci poſsunt, ut cum variis ac ignotis loquuntur lingvis, vel ea norunt, ac sciunt, quæ ab homine naturali vi sciri nequeunt. His, & aliis modis vere à Dæmone obseſsi à falsis fictisque discerni poſsunt.

Ad 3tium: Quod actu toties Deus permisit, id permittere ipsius non repugnat bonitati. Et quamquam omnia Dei consilia nobis perscrutari non licet, dicere tamen tuto poſsumus, peccatoribus id accidere in pænam, justis ad certamen, & coronam, ac semper ad Dei gloriam manifestandam.

Quæres 3. Quid de artibus magicis, atque cum Dæmone commerciis sentiendum sit?

Resp: Optime de Religione, atque hominum societate merentur illi, qui pervulgatam illam, de maleficorum multitudine opinionem impugnare student. Plus quam certum namque est, non paucos homines, aut plane innocentes, aut saltem nullius capitalis criminis reos fuiſse infeliciter rogo damnatos. Sed nonnulli ita contra hujusmodi abusus invecti sunt, ut in oppositum extremum delaberentur, & spreta communi SS. Patrum opinione omnem prorsus artem magicam inficiati sunt. Sed magiam & antiquitus extitiſse, & nunc extare indubitatum est. Siquidem & Divinis, & humanis legibus non frustra, nec inaniter semper prohibita fuit. Sic Levit: cap: 19. *Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini*, atque omnem cum Dæmone societatem, quæ certe magis, ac maleficis communis est, Apostolus in Epist: 1. ad Corinth: cap: 10. detestatur. Apud ipsos etiam Romanos, aliosque cultiores populos, licet idololatras, hoc cum Dæmonibus commercium vetitum fuiſse S. Augustinus ostendit Libro 8vo de Civita. Dei cap. 19. Tandem plurimas contra magiam, atque maleficos leges ab Ecclesia, & Principibus sæcularibus latas exploratum est.

ARTICULUS 4tus

De Angelis bonis.

Quæres 1. Quot sunt Chori Angelorum?

Resp: Maximam eſse Angelorum multitudinem diſcimus ex Daniele cap: 7. ubi se vidiſse aſserit millia millium Angelorum miniſtrantium Deo. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſsiſtebant ei.* Hanc autem cælestium spirituum multitudinem, in quosdam ordines, seu claſses diſtributam eſse magno consensu veteres Ecclesiæ Patres docuerunt. Primus autem, ut creditur, Dyonisius vulgo Areopogita, novem eſse hujusmodi ordines conſtituit in libro de Cælesti hierarchia, quem secutus S. Gregorius Magnus hos novem Angelorum ordines ex diversis Scripturæ locis colligit, nempe Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, ac Seraphim. Et quidem hanc cælestium Spirituum diſtinctionem non difficile eſt ex variis Scripturarum locis, atque ex antiqua SS. Patrum traditione oſtendere, hæc enim sæpe invenitur apud Originem, Cyrillum Hirosolimitanum, & Alexandrinum, Basilium, Epiphanium, quamquam non omnes novem Choros semper accurate recenseant, prout etiam Ecclesia facit, quæ in suis Hymnis, & canticis modo plures memorat, modo pauciores. Imo hæc diſtinctio Angelorum, neque Hebræis ignota fuiſse videtur, & si neque in numero ordinum, neque in nominibus semper nobiscum conveniunt.

Quæres 2. Utrum hi Angelorum ordines tantummodo nominibus diſtingvuntur?

Resp: Angelorum ordines non solis nominibus diſtingvuntur, sed & officiis, atque dignitate & excellentia naturæ. Sic docet S. Ignatius in Epiſt: 2. ad Tralhanos, ubi expreſse memorat. *Angelicos ordines, virtutum, ac Dominationum diſcrimina, Thronorumque ac poteſtatum varietates, Cherubim, ac Seraphim excellentias.* Sanctus autem Athanasius in Epiſt: ad Serapionem postquam dixiſset, omnia à Deo facta suis nominibus propriis nuncupari, ut Cælum, terram, homines, subdit: *Et ante hæc omnia Angelos, Archangelos, Cherubim, Seraphim, Virtutes, Principatus, Poteſtates, Dominationes*, ex mente itaque hujus Sancti Doctoris, quemadmodum res à Deo creatæ, atque propriis juxta suam naturam nominibus insignitæ, non solum nominibus, sed & natura discrepant, sic & varii Angelorum Ordines propriis nominibus designati & nominibus & natura inter se differunt. Verum in quo præcisè sita sit hæc illorum diſtinctio, atque discrimen prorsus ignoratur. Unde Augustinus in libro ad Orosium cap:

10. scripsit. *Esse Sedes, & Dominationes, Principatus, & potestates in Cœlestibus apparatibus firmissime credo, & differre aliquid indubitata fide teneo, sed quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio.* Id ipsum fassus est etiam S. Dyonisius in libro de cælesti hierarchia cap: 6to qui tamen diligentissime de his Angelorum Choris disseruit.

Quæres 3. Quando facta est hæc Angelorum distinctio?

Resp: Distinctio, atque discrimen in malis quoque Angelis, seu Dæmonibus reperitur, quia Lucæ cap: 11. Beelzebub vocatur Princeps Dæmoniorum, & Math: cap: 25. sermo est de Diabolo, & Angelis ejus. Certum igitur esse videtur hanc ordinum distinctionem in Angelis factam fuisse ante lapsum Dæmonum, & communiter exploditur opinio Origenis, qui putavit, omnes Angelos à Deo æquales fuisse creatos, eam verò quæ modò est in Angelis differentiam ex variis eorum meritis ortam esse, sin itaque minus undequaque certum est, saltem admodum probabile est distinctionem Angelorum quantum ad naturæ & gratiæ dona. in ipsa eorum creatione factam fuisse.

Quæres 4. Quæ sint bonorum Angelorum munia?

Resp: Præcipua bonorum Angelorum munia duo sunt: 1mo: Perpetuo assistere ante Thronum Dei, ejusque laudes decantare. Et id multis scripturarum locis edocemur. Danielis cap: 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Et Isaiæ cap: 6. de Seraphim dicitur. *Et clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* Hoc tamen non impedit, quin etiam ad aliqua officia peragenda mittantur in terras, unde 2do. illorum quoque munus est cura, atque custodia hominum. Id testatur Apostolus Epist: ad Hebr: cap: 1. dicens de Angelis bonis. *Omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Certe inter alia Angelorum ministeria, nihil magis in Sacris litteris, & SS. Patrum scriptis repetitum reperire licet, quam hominum curam ac custodiam.

Quæres 5. Qualis sit istiusmodi erga homines Angelorum cura ac custodia?

Resp: Generaliter hominum curam ac custodiam esse Angelis demandatam liquet ex capite 5to. libri Josue, ubi Angelus dicit se esse Principem exercitus Domini ad eum missum, idem constat ex capite 10. Danielis atque

ex

ex Apocalipsi pluribus in locis. Illud etiam apertissimum est, quod Psalmo 90. scriptum reperitur. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Id ipsum variis exemplis in utroque testamento declaratur. Hinc etiam Angeli à SS. Patribus passim vocantur, vitæ nostræ spectatores, generis humani curatores, Ecclesiæ inspectores, hominum præsides, custodes, pædagogi, ac morum gubernatores. Et hæc certa sunt apud omnes.

Verum dubitatum tantummodo ab aliquibus fuit, an singulis hominibus, singuli Angeli ad custodiam deputati sint. Sed hæc peculiaris Angelorum destinatio singulis hominibus, præcipue autem fidelibus & electis, tot tantisque Scripturarum oraculis, Sanctorumque Patrum testimoniis confirmatur, ut plane sine temeritatis nota negari non posse videatur. Namque multa hujusmodi exempla suppeditat Scriptura Sacra, veluti Angeli illius, qui Genesis cap: 16. curam Agar gerens, salutare ei consilium præbuit; ut Saræ Dominæ suæ subijceretur, illius pariter qui Jacob custodiebat, ut habetur Genesis cap: 31. Judith pariter Angelum se custodientem memorat capite 13tio. Tandem insignis est locus Math: Cap: 18. ubi de parvulis Christus dicit. *Angeli eorum in Cœlis semper vident faciem Patris mei.* Ex quibus verbis ita colligebat S. Joan: Chrysost: *Hinc manifestum est, quia omnes Sancti Angelos habent*, & sine ulla restrictione S. Hieronymus inquit. *Magna dignitas est animarum; ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Origenes quoque Homil 20. in librum numerorum hæc habet. *Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet.* Tandem S. Basilius libro 2do contra Eunomium sic inquit. *Quod unicuique fidelium adsit Angelus, tamquam pædagogus aliquis, & pastor, vitam gubernans, nemo contradicit.*


Hæc cum ita sint dubitari minime potest; unicuique hominum saltem fidelium, semper præsto esse Angelum custodem. De infidelibus autem non adeo concors est veterum Patrum opinio, quemadmodum unanimis est de fidelibus, & electis. Communiter tamen nunc censetur, nemini hominum hoc Angelicæ custodiæ beneficium deesse.

Dices: Si Angeli curam gerunt hominum, illosque custodiunt, inferiores erunt hominibus quibus ministrant.

Et

Et hæc Angelorum custodia supervacanea est, quia Deus omnem custodit hominem.

Resp: Ex hoc quod Angeli homines custodiunt, illisque ministrant, non sequitur illos hominibus esse inferiores, non enim in hujus ministerio proprie serviunt hominibus, sed Deo, sicuti Pastor, non ovibus servire dicitur, quas custodit, sed Domino ad quem oves pertinent. Præterea, ut egregie inquit S. Bernardus Serm: II. super Psalmum 90. *in hoc unigeniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare* Deus quoque quamquam omnes homines, & præcipue electos, providentia sua custodit, nihil tamen abest, quin ministerio Angelorum ad hoc ipsum etiam utatur. Et licetsi Angeli nativa sua virtute internas hominum cogitationes, quæ soli Deo patent certo cognoscere nequeunt, possunt tamen naturali sua perspicacia, ex actionibus externis plerosque animorum nostrorum sensus perscrutari. Nequé insuper dubitandum est, quin Deus illis revelet quæcunque sunt ad nostram custodiam necessaria.



CAPUT TERTIUM

De Creatione Hominis.

Quæres. A quo, & quando creatus est homo?

Resp: Nobilissimum opus Dei est homo, à quo creatus, atque conditus est. Hanc autem hominis præstantiam indicare voluit Moyses in ipsa illius formatione. Cum enim solo verbo, Fiat, Deus alia creasset, quando ad hominem ventum est, quasi consilio inter tres Divinas Personas inito, inquit Deus: *Faciamus hominem.* Præterea summam ejus dignitatem iis verbis expressit. *Ut præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis, universæque terræ*, unde etiam in Psal: 8vo de homine dicitur. *Et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Verum excellentia hominis in eo maxime elucet, quod dicatur factus *ad imaginem, & similitudinem Dei.*

Post alia autem omnia, die sexta Deus hominem creavit, & quamquam Moyses cap: 1mo: Genesis virum, & muli-

mulierem simul conditos fuiſse insinuare videtur, capite tamen 2do rem distinctius exponens dicit, Deum immiſso sopore in Adam, tuliſse unam de costis ejus, atque ex illa ædificaſse Mulierem. Et id perspicuè declarat Apostolus Epist: 1. Timoth: cap: 2. dicens: *Adam primus formatus est, deinde Eva.*

ARTICULUS 1mus

De primævo statu hominis creati.

Quæres 1. Utrum omnium hominum primus creatus fuerit Adam?

Resp: Post Jsaacum Peyrerium sæculo 17. quidam Præadamitarum errorem tutati sunt, contendentes duplex distingvendum eſse genus humanum, quasi primum indicatum eſset a Moyse Genesis cap: 1. alterum verò cap: 2do, atque hic Adami Creatiónem describi, in priori autem creationem alterius hominis, quæ multis antea annis, imo & sæculis â Deo facta fuerat, ac demum ex ista gentiles originem ducere, Adami autem posteros eſse Judæos.

Verum hunc errorem, atque delirans somnium facile est refellere. Moyses siquidem luculenter innuit, se de eodem omnino homine lapso tam in 1mo, quam in 2do Geneseos capite agere. Deinde capite 5to ea repetens, quæ in capite 1mo dixerat, aperte declarat, primum hominem â Deo conditum fuiſse Adam, sic enim inquit: *Hic est liber generationis Adam, in die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum, Masculum, & Feminam fecit eos, & benedixit illis.* Accedit quod capite 2do â Moyse dicitur. *Et homo non erat, qui operaretur terram*, quod falsum omnino eſset in Præ-Adamitarum Hypothesi. Demum capite 3tio. Eva dicitur *Mater cunctorum viventium*, ab illa ergo omnes procedunt viventes.

Sed Præ-Adamitarum fabula, aliis etiam Scripturarum testimoniis exploditur. Nam Sapienti: cap: 10. Adam dicitur *primus formatus à Deo, & Pater orbis terrarum*, item Actor cap: 17. dicebat Paulus de Deo. *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.*

Præterea argumentum contra Præ-Adamitas gravisſimum petitur ex peccato originali, quod ab Adamo in omnes homines propagatum eſse fides docet, hoc autem Religio-

ligionis nostræ dogma corrueret, si alii eſsent homines, alia stirpe procreati. Nneque enim extrinseca solum imputatione Adæ peccatum in homines propagatur, sed verè & proprié ab unoquoque contrahitur, & omnes nascimur peccatores, ac filii iræ, quia omnes in Adam peccavimus. Atque his argumentis, aliud adjungimus non leve ex traditione desumptum, quæ apud ipsos Ethnicos semper viguit, & adhuc viget de uno videlicet omnium hominum Parente.

Objicies 1mo. Genesis cap: 4. Cain hoc modo alloquitur Deum. *Omnis, qui invenerit me. occidet me*, cui periculo occurendo, *posuit Dominus in Cain signum ut non interficeret eum omnis, qui inveniſset eum*, ex quo sequitur jam tunc hominibus repletam fuiſse terram, qui certe ab uno Adam prognati eſse non poterant. *2do:* Dantur Antipodes, cum verò intelligi non poſsit, quomodo ante inventam acum magnaticam, quæ non pridem inventa est, homines illuc commigrare potuerint, neceſse est, aliud ibi eſse genus hominum. *3tio.* Non eandem eſse omnium hominum ab Adamo originem, manifeste constat ex diversitate Nationum, maxime Æthiopum, & Africæ, qui nigrum habent colorem.

Resp: Ad 1mum. Cainum potuiſse timere fratres, ac nepotes suos, qui jam cæperant multiplicari. Occisio namque Abelis contigiſse creditur anno mundi centesimo, trigesimo, quod non obscure indicat Scriptura Genesis cap. 4. dicens: Abele occiso, Adamum cognoviſse uxorem suam, quæ peperit ei Seth loco Abelis occisi, at verò cap: 5. dicitur. *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium, vocavitque nomen ejus Seth.* Porrò centum triginta annorum spatio, potuerunt homines ad multa millia crescere, nam spatio ducentorum, quindecim annorum, quibus filii Isráël in Ægypto commorati sunt, scimus eos ex septuaginta animabus ad sexcenta & amplius milla auctos fuiſse. Jllos itaque homines Cain timere potuit.

Ad 2dum. Quamvis ignotæ sint viæ, quibus homines ad oppositas nobis mundi partes antequam acus magnetica inveniretur penetrarunt, inde tamen colligere non licet, eos ab Adam originem non trahere, quod certiſsimis constat argumentis, cum infinita propemodum similia habeantur, quorum modus nos prorsus latet, nec certum, ac notum, tollitur per incertum, & ignotum.

Ad 3tium. Æthiopum color ex variis causis oriri potuit

tuit, atque imprimis ex calore in illis regionibus intensissimo, accedentibus insuper terræ exhalationibus, quo factum fuisse creditur, ut primi illarum Regionum incolæ sensim, ac paulatim colorem mutaverint, ut primo fusci, & subnigri, postea verò omnino nigri evaserint Unde etiam quo magis receditur à centro Æthiopiæ, eo magis nigredo minuitur, & Lusitani, qui illuc commigrarunt, post multos demum annos, eodem demum colore tincti apparent.

Demum omnes nationes, Antipodes, Æthiopes, Africanos, ceterarumque Regionum homines ab uno, eodemque stipite esse prognatos, plane ostendit eadem prorsus cum nobis natura in iis, quæ ad essentiam pertinent, cum tota diversitas sit in quibusdam solum accidentibus, nempe colore, pilis, & faciei lineamentis, aut etiam ingenii, animique affectibus, quod etiam inter nostrarum regionum homines facile reperire licet, multi siquidem sunt minore quam alii ingenii acumine donati, alii plane stupidi, & non pauci omnino amentes, qui tamen & iisdem parentibus nati sunt, nihil ergo evincit, nihil probat, quod integræ etiam ac populosæ nationes omnis fere ingenii expertes sint, si enim ex aeris crassioris influxu, ex educationis diversitate, sive ex aliis causis provenire potest, non ex naturæ, aut stirpis diversitate.

Quæres 2do. Qua ratione dicatur homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus?

Resp; Hæc imago, & similitudo Dei, non tam in corpore, quam in anima hominis expressa est; tres porro SS. Patres asserunt rationes propter quas homo imago, ac similitudo Dei appellatur. *1mo.* Propter vim intelligendi, qua Deum, ceteraque percipit, & cognoscit, in quo etiam ceteras omnes creaturas longe præcellit. *2do.* Propter libertatem arbitrii, quâ Deum à se cognitum potest amare, illique filiali affectu inservire. *3tio.* Propter dominium, quo rebus omnibus, quæ super faciem terræ sunt, præest, & illis pro sua utitur voluntate. His merito addi potest immortalitas, qua perenniter cum Deo vivere, ipsique congaudere potest.

Quæres 3tio. In quo statu creatus est primus homo?

Resp: Primus homo Adam, quantum ad animam gratia sanctificante exornatus fuit, qua justus, sanctus, Deique amicus effectus est. Et id Synodus Trident: Sess: 5ta Can: 1mo expresse definivit. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso*

diso fuiſset transgreſsus, statim ſanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisiſse, anathema sit, atque hoc verbis Ecclesiastæ Cap. 7mo omnino consentaneum est, affirmat siquidem expreſse *quod fecerit Deus hominem rectum.* Hæc autem rectitudo in hoc maxime sita erat, ut anima in omnibus ſubderetur Deo, non ſecundum naturam tantum, ſed maxime ſecundum ſupernaturale donum gratiæ. Et ex hoc ſupernaturalis gratiæ dono, aliæ status illius feliciſsimi profluxerant dotes, nempe quod rationi ſubderentur vires inferiores, & animæ, plene ſubigeretur corpus. Unde Augustinus Libro 2do de peccat: & merit: cap: 22. de Protoparentibus nostris ſcripsit: *Placebant Deo & placebat illis Deus, & quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum ſe moveri ſentiebant.*

Neque ſolum ex dono illius gratiæ ſupernaturalis homo innocens consecutus fuerat, ut caro ſubiiceretur ſpiritui, & appetitus rationi, verum etiam id obtinuit ut corpus eſset immortale. Certum est enim, mortem per primum Adami peccatum intraſse in mundum, ut testatur Apostolus ad Roman: cap: 5to & Sapientiæ cap: 2do aperte dicitur: *Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Hinc Pelagiani qui dicebant Adam sive peccaſset, sive non peccaſset, fuiſse moriturum, à S. Augustino invicte confutati ſunt, atque in variis Conciliis condemnati, potiſsimum autem in illo pl[illegible]ario totius Africæ anno 418. in quo ita definitum fuit: *Quicunque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita, ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſsitate naturæ, anathema sit.* Quare immortalitas hæc, non erat conditio, ſeu proprietas naturalis, ſed divinitus conceſsum beneficium gratiæ.

Quæ autem hic de Adam primo homine dicta ſunt de Eva ejus adjutrice inteligenda ſunt. Par siquidem utriusque conditio, æquales ſortes fuerunt. Unde etiam de utroque Protoparente nostro ſcriptum legimus libro Eccl: cap: 17. *Disciplina intellectus replevit illos, creavit illis ſcientiam Spiritus, ſensu implevit cor illorum.*

Quæres 4to. Qualis fuerat primigenius Protoparentum nostrorum status?

Resp: Primigenius Protoparentum nostrorum status, fuit status innocentiæ. Quoniam gratiâ ſanctificante exornati, ambo justi ante Deum atque ſancti erant, præterea

gra-

gratiis actualibus à Deo donabantur, & rebellione concupiscentiæ, ceterisque inordinatis animi affectibus immunes erant. Insuper immortalitate corporis gaudebant, à quibusvis etiam miseriis, morbis, gravitatibusque alieni, in amenissimo Paradisi loco positi, tandem ad finem supernaturalem, celestem scilicet beatitudinem possidendam à Deo præordinati, felicissimam ducebant vitam.

Quæres 5to. Utrum status innocentiæ fuerit Protoparentibus debitus?

Resp: Status innocentiæ non fuit Protoparentibus debitus. Enimvero justitia originalis Protoparentibus collata, vere fuit gratia, quemadmodum docent S. Cyprianus libro de bono patientiæ, & Augustinus libro de corrept: & gratia cap. 11mo. Porro gratia proprie dicta, non modo excludit debitum personæ, quod ex actionum merito provenit, sed etiam debitum naturæ, quod ex conditione, & exigentia naturali promanat. Unde S. Thomas inquit: *Dona naturalia carent debito personæ, non autem carent debito naturæ, sed dona supernaturalia utroque debito carent, & ideo specialius sibi nomen gratiæ vindicant.* Sed & cetera animi corporisque dona Protoparentibus nostris concessa veluti immortalitas, immunitas sive à concupiscentiæ illecebris, sive à corporis malis, prorsus erant ipsis indebita, proinde dona Dei supernaturalia atque gratuita. Et id expresse docet S. Augustinus sic libro de Genesi ad litteram cap. 25. de Adam hoc inquit: *Mortalis erat corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris* & libro 4to contra Julianum cap. ultimo hæc habet: *Gratia magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat.*

Et vero ex constanti omnium Sanctorum Patrum, Conciliorum, Theologorumque doctrina, Protoparentes nostri per peccatum dona Dei gratuita amiserant, deperdiderant autem per peccatum primo justitiam originalem, dein immortalitatem, à morbis, miseriis, atque concupiscetiæ illecebris immunitatem. Non ergo hæc illis erant debita, aut connaturalia, sed supernaturalia, ac prorsus gratuita. Unde etiam à summis Pontificibus Pio 5to, Gregorio 13tio damnatæ fuerant sequentes Baji propositiones: *Integritas primæ creationis, non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio,* & ista alia. *Immortalitas primi hominis, non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.* Ex quibus palam conficitur justitiam originalem ceteraque animi, & corporis dona, quæ

in

in statu innocentiæ Protoparentibus nostris à Deo conceſsa fuerant, ſupernaturalia, gratuita, ac prorsus indebita fuiſse.

Quæres 6to. Potuitne homo creari à Deo in puris naturalibus?

Resp: In pure naturalibus creatus à Deo fuiſset homo, si illum creaſset absque ullis ſupernaturalibus donis, ac propterea sine præordinatione ad finem ſupernaturalem, cum omnibus tantummodo dotibus, atque imperfectionibus, quæ naturam ipsam humanam consequuntur, obnoxium proinde ignorantiæ, concupiscentiæ, morbis, aliisque hujus vitæ ærumnis, ac ipsi tandem morti. Status ipsiusmodi, si in illo Deus hominem creaſset, dicitur status naturæ puræ. Alii illum poſsibilem eſse docent, alii vero putant bonitati, ac justitiæ divinæ inconveniens eſse, ut Deus hominem in tali statu crearet. Sed rebus, ut par est perpensis, status naturæ puræ & in ſe poſsibilis est, & minime divinæ justitiæ, aut bonitati inconveniens, ut in eo reipsa homo crearetur. Enimvero potuit homo creari sine justitia originali, ceterisque ſupernaturalibus gratiæ donis, hæc enim omnino gratuita ſunt, naturæ humanæ prorsus indebita, alioquin; ut docet Apostolus ad Romanos cap. 11mo: *gratia jam non eſset gratia.* Creari quoque homo potuit obnoxius concupiscentiæ, morbis, & ipsi tandem morti. Ista siquidem ſunt appendices naturæ humanæ, ut docet Augustinus, atque in ipsa hominis constitutione fundantur. Sic concupiscentia provenit ex conjunctione corporis cum anima, quo fit, ut anima de corpore ſollicita, bona ſensibilia prosequatur tamquam corpori convenientia. Pariter morbi, dolores, aliæque miseriæ ex influxu causarum ſecundarum profluerent, quæ quia hominem etiam in statu naturæ puræ circumdarent, hujusmodi ærumnae quadam neceſsitate naturali homini contingerent. Ipsa denique mortalitas fundatur in compositione ex quatuor elementis, quæ mutua ſecum in corpore humano pugna mortem generant. Absolute igitur poſsibile fuit ut in statu naturæ puræ homo à Deo crearetur. Neque id foret divinæ bonitati ac justitiæ inconveniens. Nihil siquidem Deus homini debet, cum & ipsa illius creatio bonitatis divinæ sit donum, non justitiæ debitum. Et si quid tandem posita creatione Deus homini debeat, nihil certe plus quam naturalis ejus postulat, atque exigit conditio. Præterea in statu quoquæ naturæ puræ innumera à Deo dona consequeretur homo, propter quæ munifi-

cen-

centiſsimum Creatorem ſuum collaudare, eique gratias rependere teneretur.

ARTICULUS 2dus

De lapsu Protoparentum nostrorum.

Quæres 1mo. An diu perduraverit status innocentiæ?

Resp: Quamdiu status innocentiæ perduraverit, plane incertum est, communis opinio fert hanc feliciſsimam Protoparentum nostrorum conditionem non diu perduraſse, siquidem brevi post ſuam creationem tempore, in peccatum misere prolapsi, illam infeliciſsimo casu perdiderunt.

Quæres 2do. Quomodo contigit istiusmodi Protoparentum nostrorum lapsus?

Resp: Lugubrem Protoparentum nostrorum lapsus historiam, illiusque causam describit Moyses in libro Genesis cap. 2do & 3tio. Scilicet postquam posuit Deus Protoparentes nostros in Paradiso voluptatis, præcepit Adam dicens: *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed infelix Adam ſeduci ſe paſsus est, & nulla habita ratione præcepti à Creatore ſuo sibi dati, comedit de fructu vetito, & hoc graviſsimo inobedientiæ peccato, non ſolum sibi, ſed toti ſuæ posteritati incredibilem attulit pernitiem. Hujus autem lapsus causa fuit tentatio Evæ à dæmone facta, qui instrumento ſerpentis utens promisit illi ſcientiam boni & mali. Atque hujus infeliciſsimi lapsus initium ſuperbia fuit, ut testatur Ecclesiasticus cap. 10. *Initium omnis peccati ſuperbia est.* Et rem ita ſe habere, omnes hujus Protoparentum nostrorum peccati circumstantiæ evincunt. *Primo* enim tentationi ceſserant, ut ſupra conditionem ſuæ naturæ extollerentur, similesque Deo fierent, ſcientes bonum, & malum, post autem, ut inquit Augustinus, peior, damnabiliorque eorum ſuperbia ſe ostendit, ubi in manifesto peccato, non veniam petierunt, aut medicinam implorarunt, ſed ſolam excusationem quæsierunt, & Adam quidem culpam retulit in mulierem, mulier autem in ſerpentem. *Serpens decepit me, & comedi.* Hæc brevis est historia, & causa illius primi peccati, & lapsus Protoparentum nostrorum, quod certe omnium graviſsimum fuit, tum

atten

attenta illorum integritate, qua facillimum ipsis erat tentationi resistere, tum attento ipso præcepto, quod ſervare difficile non erat, denique attenta terribilis pænæ comminatione, quæ ipsos à peccato absterrere debuit. Unde Augustinus libro 14 de Civit: Dei cap. 12. inquit: *Quis nam ſatis explicat, quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio.* Sed ut óbservat idem S. Doctor in eodem libro cap. 13tio Adam & Eva in occulto prius mali eſse ceperant, antequam in apertam inobedientiam, atque divini præcepti transgreſsionem laberentur:

Quæres 3tio. Historia lapsus Protoparentum à Moyse descripta, utrum allegoricé non sit intelligenda?

Resp: Historia lapsus Protoparentum, quam Moyses descripsit non allegorice, ſed litteraliter est intelligenda. Moyses siquidem eodem plane stylo describit historiam creationis, & lapsus primorum hominum, non Poetam, ſed historicum agit, vocabulis omnibus proprium tribuens significatum. Præterea totius ſermonis ſeries ostendit hanc narrationem historicam eſse, ac proinde non allegorice, ſed litteraliter eſse ſumendam. Quæcunque enim ante, & post lapsum Protoparentum describit Moyses, historiam ſapiunt, non figuras. Ergo sicuti cetera, ita & hæc lapsus narratio, proprie & litteraliter, quemadmodum vera historia, intelligenda ſunt. Unde etiam omnes Scriptores Sacri Moyse posteriores hujus narrationis mentionem facientes, & illam repetentes, & ſensu litterali eam accipiunt, & ut veram historiam commemorant.

Objicies 1mo. Colloquium Evæ cum ſerpente fabulam Æsopi redolere videtur. Neque etiam intelligi potest, quomodo Eva fraudes ſerpentis non cognoverit. *2do.* pæna inflicta ſerpenti, ut ſupra pectus ſuum gradiatur, ridicula est, cum id ſemper ſerpenti fuerit connaturale, imo & injusta, cum ſerpens non deliquerit. *3tio.* tandem inepte vocatur ſerpens callidior cunctis animalibus, absurde etiam videtur fructui alicuius arboris ſcientiam boni, & mali alligare.

Resp: ad 1mum. Non ſerpens, ſed dæmon ſerpentis organo locutus est cum Eva, hoc igitur Evæ cum ſerpente colloquium impoſsibile censeri nequit, quia indubitatum est dæmones per animalia, aut muta etiam simulacra loqui poſse, & hujus innumera in veriſsimis historiis extant exempla. Quod vero Eva nihil hac in re doli ſuspicata fuerit, mirabile quidem est, nec facile explica-

ri

ri potest, non tamen ut impoſsibile reijci debet, præcipue cum peccato ſuperbiæ mens ipsius fuerit attenebrata.

Ad 2dum. Pæna inflicta ſerpenti fuit, ut homines idvidentes, culpæ primorum Parentum recordarentur, unde etiam ſerpens maxime exosus, & horribilis hominibus factus est. Neque hæc pæna ſerpentis injusta fuit, quia ad majorem criminis detestationem inflicta fuit.

Ad 3tium: Cum ſerpens appellatur callidior cunctis animantibus, id duplici ſensu intelligi potest. *1mo.* propter singularem ipsius calliditatem, quæ naturæ illius inest, de qua multa referuntur in variis Auctoribus, unde etiam Christus dicebat discipulis ſuis Math: cap: 10. *Estote prudentes, sicut ſerpentes, 2do.* propter diabolum in eo latitantem, unde etiam astutia hæc ſerpentis, qua Evam ſeduxit, à Paulo Apostolo Epist: 2da ad Corinth: cap: 11. diabolo adscribitur, quam ut fideles caveant, eos admonet, ne & ipsorum ſensus illa corrumpantur.

Quod demum attinet arborem ſcientiæ boni, & mali, dupliciter intelligi potest, vel quia in fructu illius Protoparentes nostri experimentum facientes, promiſsionis sibi à ſerpente factæ, illiusque aſserti, *in quocunque die comederitis ex eo, operientur oculi vestri, & eritis sicut dij ſcientes bonum & malum*, postquam ex eo comederunt, illico aperti ſunt occuli eorum, & in ſe ipsis experti ſunt quid sit bonum, quid malum, quare etiam Deus deridens Adam, postquam vetitum comederat fructum, dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, ſciens bonum, & malum,* vel etiam quia illa arbor singulari Dei privilegio, virtutem in ſe continebat illustrandi intellectum, in perfectiori cognitione boni & mali, eo ſcilicet modo, quo lignum vitæ, virtutem habeat præservandi hominem à morte, in vita ſemper vegetum illum conservando.

Quæres 4to- Quas pænas inflixit Deus Protoparentibu nostris propter illorum lapsum?

Resp: Quænam Protoparentibus nostris post commiſsum peccatum inflictæ à Deo fuerint pænæ, exponit ſacra ſcriptura Genesis cap: 3tio & ſequenti. Scilicet mulieri dixit Deus, *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & ſub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit, quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, in ſudore*

dore vultus tui veſceris pane; donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Et poſtea *emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram de qua ſumptus eſt:* Et quidem Scriptura hoc loco nonniſi corporales pænas aperte declarat, ſed certum eſt, alias, & multo graviores in animabus Protoparentum noſtrorum ſubſecutas fuiſse plagas. Primo enim privati ſunt juſtitia originali, & gratia ſanctificante, in qua conſtituti fuerant, atque graviſsimo commaculati peccato, æternæ damnationis rei facti ſunt, deinde privati etiam fuerant omnibus aliis donis, quæ hanc juſtitiam originalem comitabantur, ex hac autem privatione dimanavit interna illa rebellio, ſeu concupiſcentia qua caro adverſus ſpiritum inſurgit, quemadmodum enim homo violando præceptum, adverſus Deum rebellis factus eſt, ita pars hominis inferior, ſuperioris partis imperio renuerat obedire. Tandem etiam pæna, & conſectarium peccati fuerunt, ignorantia, & tenebræ in intellectu ad cognoſcendum verum, atque in voluntate, ceteriſque potentiis debilitas ad operandum bonum, ita ut quemadmodum docet Concil: Trident: Seſs: 5ta Can: 1mo. *totus Adam per illam prævaricationis offenſam, ſecundum corpus, & animam in deterius commutatus fuerit.*

Quæres 5to. Utrum peccatum Protoparentum noſtrorum, in omnes qui ab illis deſcendunt, poſteros propagatur?

Reſp: Peccatum Protoparentum noſtrorum, in omnes, qui ab illis deſcendunt poſteros, reipſa propagatur. Et id luculentiſsime evincitur ex Sacris Scripturis utriusque Teſtamenti. Et quidem *1mo.* ex Veteri inſignis eſt locus in Pſalmo 50. ubi David quamquam ex legitimo connubio, piiſque parentibus ortus, de ſe ipſo inquit: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*, & quamquam in numero plurali hic Pſalmiſta loquitur, nihil propterea detrahitur vi argumenti, quod inde pro transfuſione peccati originalis in Adæ poſteros deſumitur, quia ſcilicet Sacra Scriptura ſepius numerum pluralem pro ſingulari adhibet, & in textu originario hebraico, numerus ſingularis ponitur, *in iniquitate, & peccato* & tandem in peccató originali multiplex fuit peccatum, ſuperbiæ, inobedientiæ, incontinentiæ, appetitum ſibi vetiti non refrenando. Huic Pſalmiſtæ dicto ſimile eſt Jobi pronuntiatum cap: 14to. *Quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine, nonne tu qui ſolus es?* qui textus juxta

ta versionem ſeptuaginta Interpretum sic habet: *Nemo mundus à ſorde nec infans cujus est unius diei vita ſuper terram.* Unde sic ratiocinari licet: Immunditia de qua hic loquitur Job, ſordesque, non est materialis corporis, ſed ſpiritualis animæ, ſordes ſcilicet, & immunditia labesqué peccati, quia ab hoc ſecundum dictum Jobi nemo hominem mundare potest, nisi ſolus Deus. Porro hæc immunditia inest homini ab ipsa ejus conceptione, ab istiusmodi ſordibus non est immunis, nec infans cujus est unius diei vita ſuper terram. Est ergo in nobis hæc immunditia, ſordesque peccati originalis, in quibus omnes nascimur.

2do. Ex novo Testamento, unum, alterumqué apertiſsimum Pauli Apostoli adferre testimonium, omnino ſufficiet. Et quidem in Epistola ad Romanos cap: 5to hæc habet Apostolus: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt*, & infra docet, unius delicto, ſcilicet Adæ mortuos eſse multos, ex uno judicium in condemnationem, per unius delictum in omnes homines condemnationem profluxiſse, per inobedientiam unius hominis peccatores constitutos eſse multos. Hic itaque Apostolus adstruit peccatum quod omnes homines infecerat, omnes morti obnoxios, & condemnationi ſubjectos reddidit. Hoc autem peccatum aliud non est nisi originale. Preterea 1ma ad Corinth: cap: 15. docet Paulus: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Et 2da ad Corinth: cap: 5to. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus est Chrisus.* Demum ad Eph: cap: 2do ſcribit: *Nos omnes eramus natura filii iræ, sicut & ceteri.* Ex quibus manifestum efficitur per unum hominem, ſcilicet Adamum omnes homines venumdatos eſse peccato, factos eſse filios iræ, ac perditionis, per unum quoqué hominem Jesum Christum à peccato ſolutos, à morte redemptos, Deo reconciliatos, vitæ restitutos fuiſse.

Dices. Apostolus ſcribit unius delicto ſcilicet Adæ, multos mortuos eſse non omnes, & gratiam unius idest Christi in plures abundaſse. Ex quo ſequitur Apostolum non de peccato originali loqui, quod omnes contrahant, ſed de peccatis actualibus, in quibus multi Adamum peccantem imitantur. Et certe ex Adami peccato nihil aliud in poste-

steros dimanavit quam mors, ceteræque miseriæ quibus obnoxii ſumus.

Resp: Multos in ſensu Apostoli Pauli idem eſse ac omnes, quia reipsa omnes multi ſunt, unde etiam ibidem dixerat mortem pertransiſse in omnes homines, & omnes peccaſse. Unde ex Adami peccato in ejus posteros non ſolum mors, & hujus vitæ miseriæ dimanarunt, ſed & ipsum peccatum in illos generatione transfusum est, quaré Paulus docet in Adam omnes peccaſse, omnes peccatores constitutos fuiſse, & filios iræ nasci.

Quæres 6to. Præter allegata Sacræ Scripturæ testimonia, nonne etiam aliis argumentis potest transfusio originalis peccati probari?

Resp: Potest. Et quidem veteri Ecclesiæ traditione. Certé antiquam fuiſse in Ecclesia, communemqué persvasionem, omnes homines nasci peccato originali maculatos, vel ex eo ſolo abunde liquet, quod statim ac prodiit Pelagij ac Cælestij hæretica doctrina, qua peccatum Adami in posteros ipsius transfundi negarunt, tamquam nova, inaudita, atque hæretica, ab omnibus explosa, & damnata fuit. Eam damnavit Synodus Carthaginensis anno 412. Diospolitana anno 415. Deinde Pellagij circa peccatum originale errores, aliosque multos, anno 416 de eo Concilia Africana, Carthaginense, & Milevitanum proscripserant, quorum ſententia ab Innocentio 1mo Romano Pontifice confirmata fuit. Biennio post plenaria totius Africæ Synodus, Pelagij hæresim distinctis Canonibus omni ex parte confixit. At tandem Zosimus Romanus Pontifex, celebrem contra Pelagianos Epistolam edidit, cui omnes Episcopi magno consensu ſubscripserant. Eadem quoqué peccati originalis Catholica veritas fuit etiam in pluribus Conciliis orientalibus, ac præcipué in Ephesino generali confirmata. Ultimo peccati originalis fides in Concilio Tridentino Seſs: 5ta Can: 2do stabilita fuit: *Si quis Adæ prævaricationem sibi ſoli & non ejus propagini aſserit nocuiſse, vel Adamum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſse, non autem & peccatum, quod mors est animœ, anathema sit.* Ex quibus omnibus, quænam fuerit omnium Patrum, atque Ecclesiarum circa existentiam peccati originalis opinio, fides, atque traditio abundantiſsime liquet, ut enim observabat S. Augustinus libro 1mo contra Julianum Pelagianum cap: 7mo. *isti quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt, quod didicerant, docuerunt, quod à Patribus acceperant, hoc filiis tra-*

 dide-

diderunt. Traditioni fuffragantur argumenta Theologica ex praxi Ecclesiæ desumpta, illamque magis corroborant. Namque baptismus omnibus etiam parvulis necefsarius est ad optinendam falutem, quia fecundum edictum Christi Joan: cap: 6to. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei.* Datur etiam baptismus omnibus in remifsionem peccatorum quemadmodum in Symbolo confitemur. Id femper credidit Ecclesia & baptismo confirmandi praxis continua erat, cum igitur à regno cælorum atque à consequenda falute æterna parvulos folum pofsit arcere peccatum originale illudque folum in illis dellere ac remittere pofsit, quia ante usum rationis actualium peccatorum capaces non funt. Igitur in parvulis ac in omnibus hominibus est peccatum originale ex Protoparentibus transfusum. Præterea ab Apostolorum ævo exorcismis consvevit Ecclesia ab infantibus ceterisque cathechumenis dum baptisantur Spiritus immundos expellere. Nulla autem alia de causa id fieri potest nisi quia propter peccatum originale fub Dæmonis potestate nascuntur atque existunt.

Quæres 7mo. Utrum etiam ratione naturali existentia peccati originalis probari pofsit?

Resp: Quamquam veritates fidei nostræ rationibus ex lumine naturali depromptis probari non pofsunt, multa tamen funt in homine, quæ sine peccati originalis existentia, ipsiusque in nos transfusione explicari nequeunt. Enimvero quilibet probé fentit in feipso illam pugnam quæ inter partem fuperiorem & inferiorem animæ nostræ perpetuo excitatur. Effrenis concupiscentia, qua caro adversus fpiritum concupiscit in omnibus etiam Sanctis, & justis fentitur, atque illa omnes misere excruciamur. Unde in homine contrarietas, atque corruptio. Facile autem intelligitur hominem sic constitutum è manu Creatoris fui Dei prodire non potuifse, Deus siquidem contrarietatis disordinationis, pugnæ, atque conflictus, qualis in nobis reperitur auctor efse nequit. Aliunde ergo horum quærenda est causa, & alia nec afsignari, nec efse potest, quam peccatum originale. Præterea homo nascitur morbis, variis miseriis, ac ipsi morti obnoxius, atque illud est, quemadmodum dicitur Ecclesiastici cap: 11mo: *jugum grave fuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem fepulturæ.* Densa autem hæc miseriarum communium nubes, quibus etiam infantes innocentes obnoxii funt, communem culpam innuit & fupponit. Deus enim

ab

ab initio creavit hominem & rectum, & inexterminabilem ut testatur Sacra Scriptura, ergo nisi peccaſset hisce non ſubjacuiſset miseriis, à Deo enim justo, sine culpa nullæ infligi poſsunt pænæ, est igitur in omnibus aliquod peccatum propter quod juste à Deo omnes punimur. In omnibus vero non adsunt peccata actualia, à quibus infantes alieni, ac liberi ſunt. Ergo ſolum peccatum originale horum omnium malorum causa & origo est.

Dices. Concupiscentia rebellis, morbi, hujus vitæ miseriæ, ac ipsa mors ſunt homini connaturales, quare homini ineſsent, illique adhererent etiamsi illum Deus in puris creaſset naturalibus.

Resp: Si homo absolute ſpectetur, concupiscentia, morbi, miseriæ, ac ipsa mors, ſunt homini connaturales. Unde ineſsent homini, illique adhærerent si in puris naturalibus à Deo creatus fuiſset. Quamquam etiam in eo statu, nec tam effrenis foret concupiscentia, qualem nunc ſentimus, nec tantæ miseriæ, non tot morbi, neque tam acerba mors quemadmodum in præsenti statu, quia nunc ſunt pænæ, atque infelices peccati effectus, in puris vero naturalibus tantummodo naturæ forent consectaria. Verum attento præsenti hominis statu, concupiscéntia, vitæ hujus miseriæ, morbi, ac mors ipsa ſunt pænæ, atque mali effectus peccati originalis. Cum enim certiſsimum, atque indubitatum sit, hominem ab initio à Deo fuiſse creatum rectum, ac inexterminabilem, justitia, ceterisque ſupernaturalibus donis exornatum, nonnisi propter ipsius graviſsimam culpam his privatus extitit, atque in deterius commutatus, justitiæ siquidem ac bonitati divinæ inconveniens erat, ſemel conceſsis donis sine demerito, ac culpa hominem privare, atque pænales illi miserias infligere, quare tota ſacra Scriptura, universa Ecclesiæ traditio testatur, effrænem concupiscentiam atque inde ſummam ad malum provenientem proclivitatem, hujus vitæ miserias universas, morbos, ipsamque mortem pænas eſse peccati, non alterius certe quam originalis: legitime igitur ex his evincitur peccati originalis existentia.

Quæres 8vo, Quomodo peccatum originale Protoparentum nostrorum in nos transfunditur?

Resp: Melius, ac tutius est hac in re cum Sancto ac humili Augustino ignorantiam ſuam profiteri, quam multa congerere, quæ potius originalis peccati fidem labefactant, quam adstruunt. Unde hac de re quærenti Juliano Pelagiano sic respondit Augustinus libro 3tio contra

ipsum

ipsum conscripto cap: 24. *Rimam quæris qua potuerit introire peccatum, cum tibi ostendat Apostolus non rimam, ſed apertiſsimam januam dicens. Per unum hominem peccatum intravit in mundum.* Qua de causa, ne litibus novis, rem per se difficilem involvamus, non poſsumus approbare varias hypotheses, quas tum antiquiores, tum recentiores ad explicandum modum propagationis peccati originalis excogitarunt, melius, ac tutius est hac de re fateri ignorantiam.

CAPUT QUARTUM

De statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ.

Quæres. Quis sit status naturæ lapsæ, ac per Christum reparatæ?

Resp: Status naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, est status præsens in quo omnes modo nascimur post Adami lapsum, peccato originali infecti, & per mortem ac Paſsionem Christi à potestate Dæmonis, æternaque damnatione redempti, atque per merita ipsius gratia reparati.

ARTICULUS 1mus.

De iis quæ concernunt statum naturæ lapsæ.

Quæres 1. Utrum ab omnibus qui modo nascuntur hominibus peccatum originale contrahatur?

Resp: Ab omnibus, qui modo nascuntur, hominibus peccatum originale contrahitur. Enimverò juxta doctrinam Pauli Apostoli variis in locis traditam, propter peccatum Adæ in omnes homines mors pertransiit, in Adam omnes peccaverunt, propter Adæ delictum in omnes homines condemnatio venit, in Adam omnes moriuntur, tandem omnes qui nascuntur, natura filii iræ nascuntur. Ergo ab omnibus qui modo post lapsum Adæ nascuntur hominibus, peccatum originale contrahitur. His consonant Sancti Patres S. Athanasius Tomo I. pag. 108. sic inquit. *Omnes qui*

qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur. S. Gregorius Nazianzenus in Orat: 2. ad Basilium. *Omnes ex eadem terra, & maſsa coagmentati sumus, & ejusdem ligni iniquitatem gustavimus.* Porrò indubitatum est omnes homines ex Adam oriri, ex eadem terra & maſsa coagmentari, ex qua formatus est Adam. Ergo omnes qui modo nascuntur homines, ipsius contrahunt peccatum.

Dices. Nullum peccatum intelligi potest sine libero voluntatis consensu, jam vero nullo modo explicari potest, quomodo Adami inobedientia à nobis libere fuerit volita, ut poſsimus ejusdem culpæ obnoxii eſse.

Resp: Veriſsimum est, nullum peccatum intelligi poſse sine libero voluntatis consensu, si intelligatur de peccato actuali, & personali, non autem si intelligatur de culpa originali, quæ est culpa, & infectio naturæ, ad quam proinde contrahendam sufficit naturam habere humanam, unde Ambrosius: *fuit Adam, & in illo fuimus omnes, periit Adam, & in illo perierunt omnes.*

Quæres 2. Utrum etiam Filii Fidelium contrahunt peccatum originale?

Resp: Etiam filii Fidelium contrahunt peccatum originale. Namque ii omnes peccatum originale contrahunt, qui ex Adamo propagantur, atqué ex ipsius semine generantur. Porrò filii etiam Fidelium ex Adam propagantur, ex semine ipsius nascuntur. Igitur peccatum illius contrahunt. Et id authoritate Patrum facile est comprobare. Origines Homil: 8va in Leviticum hæc habet, *quæcunqué anima in carne nascitur, iniquitatis, & peccati sorde polluitur*, & S. Augustinus libro 1. contra Julianum Pelagianum cap: 7. sequentia S. Hieronymi laudat & approbat verba. *Etiam parvuli peccato offendentis Adam tenentur obstricti.* Præterea omnes fideles maximam adhibent sollicitudinem, qua filiis suis periclitantibus Baptismum procurare satagunt: Ecclesia quoqué summa festinatione illis cum Baptismo succurrit, atqué cum multis exorcismis, cæremoniis ipsos Baptisat, ex his autem omnibus manifestum efficitur, semper in Ecclesia creditum fuiſse filios Fidelium, nisi ex Baptismali aqua renascerentur, propter peccatum originale à regno Cælorum excludi. unde S. Hilarius in Mathæi cap: 10. scribens, hæc habet. *Cum renovamur Baptismi lavacro, per verbi virtutem ab originis nostræ peccatis separamur.*

Dices. S. Paulus Apostolus Epist: 1. ad Corinth: cap: 7. filios Fidelium vocat sanctos, non autem immundos.

Præ-

Præterea Parentes fideles peccatum originale non habent, quoniam baptismate ab illo mundati sunt; non posſunt ergo illud filiis suis communicare.

Resp: Filii fidelium vocantur à Paulo, Sancti, non præcise rationæ suæ nativitatis, atque Sanctitate interna, loquitur enim ibi Apostolus de filiis procreatis ex Parentibus, quorum alter fidelis alter infidelis erat, non poterant ergo præcise ratione nativitatis suæ dici sancti, ac mundi vocari, sanctitate scilicet ac munditia vera, atque interna: Dicitur itaque ab Apostolo quod istiusmodi filii non sint immundi; hoc est non sunt spurii, neque adulterini; quia etsi unus Parentum eſset infidelis, alter solum fidelis, attamen connubium illorum erat legitimum. Vocantur etiam istiusmodi Filii Sancti, eo scilicet modo, quo ibidem docet Apostolus, virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem & mulierem infidelem sanctificari per virum fidelem; externe scilicet & denominative non realiter; atque inde infert Apostolus, Filios illorum non eſse immundos sed sanctos, denominatione videlicet, ac reputatione externa.

Et Parentes fideles non habent quidem actu & in se peccatum originale, sed habent carnem, originem, propaginem ex Adam originali peccato infecto, atque contaminato; & ratione hujus originis, ac carnis, ex qua & filii eorum propagantur, ac procedunt, ipsi etiam originale contrahunt peccatum. Unde Augustinus Serm: 14. de verbis Apostoli sic inquit: *Ideo de Baptisato non justus nascitur, quia non eum generat, unde regeneratus, sed unde generatus est. Quod nascitur de carne, caro est.*

Quæres 3. Quibus post mortem subjacent miseriis Parvuli in peccato originali ex hac vita decedentes?

Resp: Certum imprimis, ac de fide est, Parvulos sine Baptismo ex hac vita decedentes privari vita æterna, atque à Regno Cælorum excludi. Clariſsime siquidem Christus edixit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, unde Synodus Florentina Seſs: ultima definiendo statuerat, *illorum animas, qui cum actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quare Parvuli sine Baptismo ex hac vita decedentes, pænam damni sustinebunt, quia scilicet à Regno Cælorum excludentur, nec vitam æternam poſsidebunt. Utrum verò subjaceant pænæ sensuum, ac proinde in inferno excrucientur, id planè incertum est. Nihil siqui-

siquidem hac de re certi quidquam vel in Scriptura vel in traditione habemus. Christus namque dum duas tantummodo in Judicio futuras designat claſses, de adultis solum loquitur, qui nimirum bona vel mala perpetrarunt. Sancti Patres inter se omnino divisi sunt, ac discrepantes: Alii cum sancto Augustino aperte docent quemadmodum inquit S. Fulgentius libro de fide ad Petrum cap: 27. Parvulos, *qui sine Sacramento Sancti Baptismatis de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Alii verò magni etiam nominis contrarium tenent cum S. Gregorio Nazianzeno, qui Orat: 40: in Baptisma hæc habet. *Existimo futurum, ut non Cœlesti gloria, nec suppliciis à justo judice afficiantur, utpote qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant.* Utramque igitur opinionem sequi ac tenere liberum est.

Quæres 4. An non saltem aliqui ex hominibus à peccato originali immunes fuerant?

Resp: Certum & indubitatum est Christum, etsi verus fuerit homo, sine peccato originali conceptum, atque natum fuiſse, quia scilicet non ex voluntate neque ex semine viri, sed de Spiritu Sancto conceptus fuit, atque ex Maria Virgine natus est.

De Beata Virgine Maria, pia & communis est opinio; illam ab originali labe omnino mundam fuiſse. Siquidem textus Canticorum Cap: 4to, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* literaliter de B. V. Maria intelligitur, illi namque ab universa Ecclesia, ab innumeris Theologis applicatur. Porro ille textus, omnem à B. V. Maria removet maculam, ac proinde non solum maculam peccati actualis, sed & originalis. Et quamquam hæc opinio, pia tantummodo opinio sit, & non Articulus fidei, quia ab Ecclesia nullibi definitus fuit, attamen à sexcentis annis, ex quo ista quæstio diligentius examinari cepit, in istam sententiam, qua B. V. Maria sine originali labe concepta, & nata eſse aſseritur, universus populus Christianus, Theologi, Academiæ, universitatesque insigniores, Episcopi, Romani Pontifices, propensos se eſse semper ostenderant, & rem quasi conclusam ostendit Festum Conceptionis immaculatæ Virginis Mariæ, quod ubique gentium tanta cum solemnitate celebratur, neque unquam solemniter celebraretur, nisi sine originali macula concepta fuiſset, ac tandem quemadmodum solemne festum Nativitatis B. V Mariæ ab Ecclesia institutum certum; & indubitatum facit sine peccato originali ipsam

natam

natam fuisse, ita etiam festum Conceptionis illius ab Ecclesia pariter institutum, certum & indubitatum reddit ipsam sine originali macula conceptam fuisse.

Quæres 5. Quos præcipuos peccatum originale peperit effectus?

Resp: Peccatum originale hos precipue peperit effectus, quia nimirum, juxta effatum Venerabilis Bedæ; per peccatum originale *homo spoliatus est gratuitis, & vulneratus in naturalibus.* Communis siquidem post Sanctos Patres loquendi obtinuit usus, genus humanum Adami peccato fuisse sauciatum, vulneratum, atque infirmatum. Et id probat vel sola illa celebris parabola hominis, qui descendens ab Jerusalem in Jericho *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Lucæ cap: 10. Siquidem Sancti Patres magno consensu in homine isto intelligunt genus humanum peccato Adami non expoliatum solum, sed insuper vulneratum, ac semivivum relictum, nec aliter à vulneribus quam per Christi redemptionem, ipsiusque gratiam sanatum fuisse. Unde Augustinus sermone 132. hæc habet. *Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes inopi sauciæque naturæ. Verum est, magnas liberi arbitrij vires homo cum conderetur, accepit, sed peccando amisit, in mortem lapsus est, infirmus factus est, à latronibus semivivus in via relictus est*: & tandem pergit idem S. Pater ostendere, quomodo etiamsi Baptismi gratia vulnera nostra curata sunt, langvor tamen in nobis remaneat, ut nemo de perfecta sanitate gloriari posit. Eandem ipsam veritatem satis erit duorum Conciliorum definitionibus comprobare Arausicani, & Tridentini: Primum, quod Æcumenici auctoritate pollet, statuit Canone 1mo: *Per offensam prævaricationis Adæ totum hominem, id est secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse*, & Canone 13tio. *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum*, ac deniqué 25. definit. *Liberum arbitrium, inclinatum & attenuatum.* Synodus autem Tridentina Sess: 5ta Can: 1mo decernit. *Si quis non confitetur primum hominem, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim Sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, totumqué Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuise, Anathema sit.* & Sess: 6ta: Cap: 1mo. declarat peccato originali liberum arbitrium fuisse *viribus attenuatum, & inclinatum.* Hæc certé Conciliorum statuta plus innuunt quam so-

solam supernaturalium donorum privationem. Quamobrem etiam Gelasius Papa in Epist: sua ad Episcopos per Picenum scripta, docet, peccto originali *ipsam humanam substantiam depravatam esse.* Præterea per peccatum originale, quemadmodum docet Concil: Trid· Sess: 6ta cap: 2do. homines constitutos esse, *servos peccati, & sub potestate diaboli, ac mortis.* Hæc verò captivitas qua detinemur, virium nostrarum debilitatem manifeste indicat, & quamvis gratia baptismatis simus per Jesum Christum ab hac dæmonis captivitate liberati, remanet tamen in nobis concupiscentia rationi rebellis, quæ etsi peccatum non sit, *ex peccato tamen est, & ad peccatum inclinat*, ut loquitur idem Concilium Sess: 5ta Can: 5to.

ARTICULUS 2dus

De lapsæ naturæ reparatione.

Quæres 1. Post infelicem Protoparentum nostrorum lapsum, inflictasque à Deo pœnas, quid tandem contigit?

Resp: Deus ex ineffabili bonitate sua illico Protoparentibus nostris appromisit futurum liberatorem, ac reparatorem status ipsorum. Alloquens siquidem serpentem Deus, sic concludit. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum.* Quibus verbis manifestissime Deus promittit Protoparentibus nostris futurum liberatorem qui caput serpentis seu dæmonis conterere debebat, genus humanum à captivitate ipsius liberare, atque depravatam naturam gratia sua reparare. Quocunqué enim modo prædictus legatur textus, sivé quemadmodum in nostra vulgata habemus, *ipsa*, quod referri potest ad Evam, aut ad Mariam Virginem: sivé *ipse* aut *ipsum*, scilicet semen Mulieris, prout multi in multis Codicibus legerunt, atqué hucusqué legunt, semper ille manifestissime futuri liberatoris continet à Deo factam promissionem. *Ipsa* siquidem sive Eva, sive Maria Virgo per Christum conterere debuerat caput Serpentis, quia de utraqué originem trahit Christus. *Qui* ut ait Apostolus ad Coloss: cap: 1mo. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filij dilectionis suæ, ipse*; ille videlicet qui de Eva, & Maria Virgine, nasciturus erat. Tandem *ipsum* seu Evæ semen, se-

men

men namque promiſsum, est Christus quemadmodum docet Apostolus ad Galatas cap: 3tio.

Quæres 2. Utrum hæc futuri Liberatoris Protoparentibus nostris facta promiſsio, posteris ipsorum innotuerit?

Resp: Prima Divini Liberatoris Protoparentibus nostris facta promiſsio, ab ipsis in filios, ac nepotes propagata fuit, sicuti enim ipsi primi erant omnium parentes, ita primi eſse debuerunt omnium magistri, præcipue in iis quæ ad Dei cultum, atque ad æternam salutem consequendam spectabant. Porrò variis modis hæc venturi Liberatoris fides in Populo conservabatur, ac inter alia media quibus futura Christi Divini Liberatoris Paſsio, ac nostra redemptio, restauratioque significabantur, locum potiſsimum obtinebant Sacrificia, quæ in ipso statim mundi exordio oblata Deo fuiſse, ostendit Historia Cain, & Abel fratrum. Et quamquam Sacrificia etiam ad protestationem debitæ Deo subjectionis instituta fuerunt, certum est tamen in iis fidem futuri Liberatoris contentam fuiſse, quem omnes suo modo in illis victimis, atque Sacrificiis agnoscebant, unde inquit Augustinus in Psal: 39. *in victimis pecorum, quas offerebant Deo, Prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit.* Atque hæc futuri Liberatoris promiſsio, atque expectatio, inter barbaras etiam gentes propagata, semper retenta fuit, quod vel ex ipsa historia Job luculenter apparet, qui coævus Moysi aut fortaſse illo prior in Idumæa regnans omnem spem suam in venturo Redemptore collocavit. Singulari attamen modo hæc spes futuri Liberatoris in populo Dei, qui à Seth incipiendo per Sem, & Japhet, deinde per Abraham, Isaac, & Jacob propagatus semper stetit, conservata fuit. Abrahæ siquidem primeva illa Liberatoris promiſsio à Deo facta, renovata fuit. Sic enim inquit Deus ad Abraham Genesis cap: 17mo. *In te benedicentur universæ cognationes terræ* & Genes: cap: 22. *benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Ad Isaac quoque Genes. cap: 26. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Tandem ad Jacob Genes. cap: 28. sic ait Deus. *Ego Dominus Deus Abraham, Patris tui, & Deus Isaac, benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Et ab his Divinis promiſsionibus, atque fide & spe ex illis promanantibus, in illisque fundatis ceteræ Gentes non excludebantur, imo participes horum erant, unde docet Paulus Apostolus ad Roman: cap: 4to scribens, Abraham fuiſse Patrem *non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei in*

præ-

præputio. Sed lex Moysis, totaque Religio per ipsum à Deo constituta futurum Liberatorem, atque naturæ nostræ Reparatorem præsignabant, subsequentes Prophetæ prædicabant, quorum Sacri libri etiam manibus Gentilium terebantur, ac propterea nec ipsos futuri Liberatoris à Deo factæ latebant promifsiones.

Quæres 3. Cur non statim post factam à Deo promifsionem Divinus venerat Liberator?

Resp: Quamquam altifsima Divinæ providentiæ consilia hominibus impervia sunt, ex iis tamen quæ nobis revelare Deo placuit, varias, ac multiplices Sancti Patres collegerunt rationes, cur non nisi post quatuor circiter annorum millia Deus Liberatorem humani generis Jesum Christum mittere voluerit *Prima est* ut homines propriam infirmitatem agnoscerent, atque ideo ardentius Medicum & Reparatorem desiderarent & quærerent. Unde frequentes illæ veterum justorum ad Deum præces. *Domine mitte, quem mifsurus es.* Exodi cap: 4to. *Emitte agnum dominatorem terræ* Isaiæ cap: 16to. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis* Psal: 84 *Secunda est* ut Christi Divini Liberatoris characteres, miracula, doctrina, pafsio, mors, & refsurrectio, multo antea tempore à variis Prophetis prænuntiarentur. Unde Augustinus Tractatu 10. in Joannem sic inquit. *Quanto major judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debuerat.*

Quæres 4. Antequam Divinus Liberator venifset; quid interea factu opus erat hominibus, ut æternam salutem consequerentur?

Resp: Antequam Divinus advenifset Liberator Christus Jesus, omnibus & omni tempore ad consequendam æternam salutem fides in illum omnino necefsaria fuit. Certe de Judæis id aperte docet Paulus in Epist: ad Galatas cap: 2do. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi*, & in Epist: 1. ad Timoth: cap: 2do omnium prorsus hominum unum mediatorem efse docet Christum Jesum. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Quare S. Augustinus in Epist: 102. sic inquit. *Quicunque ab exordio generis humani in Christum crediderunt, eumque utcunque intellexerunt, pie, & juste vixerunt, quandolibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt.* Omni autem tempore tam in gente Judaica, quam in aliis nationibus semper fuerunt, qui in Christum venturum credebant, velatam saltem de illo haben-

bentes notitiam. Qui igitur cum fide in futurum Liberatorem, legem naturalem observabant, ac etiam præscripta Moysis, quemadmodum Judæi tenebant, salutem æternam consequebantur. Certe præter Patriarchas ante, & post diluvianos quos longa serie enumerat Paulus Apostolus, præter Prophetas, ceterosqué Sanctissimos viros, qui sub lege Moysis vixerunt, quiqué omnes per fidem in venturum Liberatorem salvi facti sunt; etiam in Nationibus justi, ac pij numerantur, Job, Melchisedech, ac tandem illos salutem consecutos fuisse Apostolus Petrus affirmat cap: 3tio Primæ suæ Epistolæ, *qui increduli fuerunt aliquando cum fabricaretur Arca*, quibus etiam ipse Christus post suam mortem prædicavit faustissimum Evangelium.



CAPUT QUINTUM

De futura hominis vita.

Quæres. In quo status futuræ vitæ consistit?

Resp: Status futuræ vitæ in eo consistit, quod & anima perenniter vivat, & corpus emortuum aliquando reviviscat, deinceps amplius non moriturum. Homo siquidem anima & corpore constat, atque ex unione horum duorum totalis exurgit homo, futura igitur hominis vita corpus & animam respicere, & afficere debet, quare quoniam futuram vitam confitemur, & corpus, quod modo morti, ac corruptioni subjectum cernimus, resurrecturum speramus, & animam semper vivere credimus.

ARTICULUS Imus.

De futuræ vitæ existentia.

Quæres 1. Utrum post mortem hominis, altera detur vita?

Resp: Post mortem hominis reipsa altera datur vita, & id fide Christiana certissimum est, expresse namque in Symbolo confitemur *vitam venturi sæculi.* Et certe hominem per mortem non interire clarissima Scripturæ Sa-

cræ

ræ testantur oracula. Sic Math: cap: 12. docet Christus quod qui verbum dixerit contra Spiritum, *non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, & cap: 22. redarguens Saducæos, qui dicebant resurrectionem non eſse, attestatur, *quia in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cœlo*, ac tandem ex eo quod Deus dicatur Deus Abraham, Isaac, & Jacob, concludit illos vivere, quia scilicet, *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Sed plura congerere non est neceſse, quia tota Novi Testamenti Scriptura futuram deprædicat vitam. Verum etiam in Veteri Testamento, imo etiam ante diluvium, & post illud, antequam lex per Moysen data fuiſset, semper viguit fides ac spes futuræ vitæ. *In hac enim fide*, quæ secundum Apostolum ad Hebræos cap: 11. est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, *testimonium consecuti sunt senes* scilicet Abel, Henoch, Noe, quos ibidem enumerat Paulus, Abraham juxta eundem Apostolum *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor est Deus.* Ex Abraham nati, & tamquam sidera Cæli, & sicut arena maris multiplicati, confitebantur *quia Peregrini, & hospites sunt super terram*, atque hoc pacto significabant *se patriam inquirere meliorem, id est cœlestem*, quibus etiam ipse Deus *paravit Civitatem*, Moyses etiam *majores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum, inproperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem.* Præterea Gedeon, Barac, Samson, Jephe, David, Samuel, & Prophetæ *per fidem operati sunt justitiam, adêpti sunt repromiſsiones*, multa paſsi, *ut meliorem invenirent resurrectionem.* In his certe justis, quos tantopere collaudat Apostolus Paulus, firma semper fides, ac spes futuræ vitæ vigebat. Tandem fide ac spe in futura vita renumerationis plenus erat vir Sanctus Tobias, qui capite 4to sic allocutus est filium suum. *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum.* Indubitatum quoqué est, temporibus Machabeorum in tota gente Judæorum, fidem ac spem futuræ vitæ vulgatiſsimam eſse, quod vel ex ipsa historia Eleazari senis, ac septem fratrum facile est ostendere, & facto suo Judas Machabeus comprobat, qui ut habetur libro 2do cap: 12mo bene, & religiose de resurrectione cogitans, & quoniam confidebat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, ideo duodecim millia dra-

chmas

chmas argenti misit Jerosolimam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.

Verum & in nationibus hanc futuræ vitæ opinionem ac spem semper perdurafse, liber Job attestatur, sic enim patientifsimus iste vir loquitur cap: 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novifsimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Sane hac confefsione nihil clarius afferri potest, qua & futura hominis vita, & carnis resurrectio exprimitur evidentifsime. Præterea falsæ Gentilium persvasiones, ac fabulosa commenta metempsychosis, tartari, stygis, elisiorum pratorum aliaque id genus, quæ apud antiquifsimos Poætas, Philosophos, Historicosque facile est reperire, evidentifsime ostendunt universalem omnium Nationum fuifse persvasionem, & animas hominum post mortem vivere, & futuram dari vitam, in qua & boni retributionem suam accipiunt, et mali condignis plectuntur pænis.

His accedit argumentum Theologicum ex verbis Apostoli deductum. Postquam enim in Epistola 1ma ad Corinthios cap: 15. resurrectionem Christi probafset, inde intulit omnes resurrecturos fore, ac proinde præter hanc vitam adeo miserabilem dari aliam feliciorem in qua justi retribuentur, atque rem totam sic tandem concludit. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Si ad bestias pugnavi quid mihi prodest, si mortui non resurgunt. Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Certe experientia quotidiana nos docet, sæpius contingere ut in hac mortali vita nec boni suarum virtutum digna recipiant præmia, nec mali juste pro demeritis suis puniantur, imo frequenter contigit justos in multo pejori versari statu quam impios, improbi bonis affluunt, probi vitam in luctu ac inedia ducunt miserrimam. Nihil ergo magis rationi conformæ, justitiæ ac bonitati Divinæ magis consentaneum, quam alteram expectare vitam, in qua bene bonis, male malis sit, alias cum impiis omnino concludendum erit: Manducemus bibamus, cras enim moriemur, recte facta, virtutes, si non est altera vita, nihil nobis proderunt.

ARTICULUS 2dus

De statu humanarum animarum in futura vita.

Quæres 1. Utrum post mortem hominis anima maneat superstes? *Resp:*

Resp: Post mortem hominis, animæ humanæ manent superstites. Hoc maximè ex Sacra Scriptura novi Testamenti comprobatur. Math: cap: 10. Christus sic admonet discipulos suos, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſsunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in Gehennam.* Hic & anima á corpore secernitur, & illius vita, à vita corporis manifesté distingvitur, atquè expreſsé aſserit Christus: extinctis corporibus animas humanas manere superstites, Joannis quoquè capite 12mo. dicit Christus. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Certé si rationabiliter animam odiendo, inordinatis scilicet ejus cupiditatibus obsistendo, in vitam æternam illam custodimus, perenniter igitur ipsa victura est. Sed & huic veritati confirmandæ apprimè inservit historia sivé parabola de Divite epulone, & Lasaro, à Christo prolata, in qua post mortem & Abraham, in superioribus positus, & Dives in inferno sepultus, & Lasarus in sinu Abrahæ requiescens, vivi loquentes inducuntur. Verum omnia quæ in Sacris litteris de futura vita, dequé extremo judicio, bonorum, ac malorum retributione, pænisqué scripta sunt, luculentiſsime evincunt animas humanas post mortalem hanc vitam, superstites manere. Prætereá quæcunqué sivé in veteri Testamento, sivé in novo narrantur mortuorum apparitiones, illorum resuscitationes & hæc singula, animas post mortem hominis superstites eſse, ac vivere probant. Sic narratur in Libro 2do Machab: cap: 15. Oniæ Sacerdotis, & Jeremiæ Prophetæ apparitio, Eliæ & Moysis cum Christo collocutio Math: cap: 17mo resuscitationes quoqué mortuorum non in novo solum Testamento, sed in veteri quam plurimæ leguntur. Certé Jacob Patriarcha Joseph filium suum, quem à fera peſsima devoratum eſse putabat, post mortem vivere credebat, cum dicebat. *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* Genesis cap: 37. & Saul Samuelem post mortem vivere putabat, quem à Pythoniſsa suscitari exoptabat. Quare & in veteri Testamento immortalitatis animæ non mediocra sunt vestigia, & in novo apertiſsime traditur, atqué docetur. Imò si consulantur recentiores veteris Testamenti libri, veluti Sapientiæ, Tobiæ, Machabæorum, manifestiſsimum efficitur communem, ac constantem fuiſse omnium Judæorum persvasionem, animas post mortem hominis superstites manere. Quod & de Christianis magis perspicuum est, siquidem à temporibus Apostolorum, usqué ad nostram

stram ætatem, hoc fundamentale Religionis nostræ dogma adeò creditum est, ut inter innumerabiles feré Hæreticos, nullus extiterit, qui illud negaverit, eiquè contradixerit. His adjungendus est unanimis ceterarum Nationum sensus unde recté scripsit Cicero Libro 1. Tuscul. Quæst. *Maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animarum tacitam judicare. Nescio, quomodo inhæret in mentibus quasi sæculorum quodam augurium futurorum, idquè in maximis ingeniis, altissimisquè animis, & existit maxime, & apparet facillime permanere animas arbitramur consensu nationum omnium*, & Plutarchus in orat: Consul. ad Apollonium adeo antiquam hanc omnium de immortalitate animarum persvasionem esse docebat, *ut quo tempore, & quo auctore cœperit, plané ignoretur.* Quaré recté concluditur illam à primis Parentibus nostris in omnes gentes dimanasse. Omnium autem Gentium unanimis, constans, atquè immutabilis consensus, certissimum est veritatis argumentum. Indubitata igitur est veritas, post mortem hominum animas manere superstites.

Quæres 2. Unde habent Animæ humanæ, ut post mortem hominis superstites maneant?

Resp. Id habent partim ex natura sua, partim ex Dei voluntate illas perenniter conservantis. Enimveró si animam humanam consideramus incorpoream scilicet, & inextensam, partibusqué omnibus carentem, quis statim non videt, illi immortalitatem naturæ suæ deberi. Nequé enim perire potest propter corporis dissolutionem, quia illi non inhæret tamquam accidens subjecto, sed potius illud conservat, vivificat, tamquam illius forma per se subsistens. Nequé etiam interire potest ex partium suarum disso lutione, quomodo omnia corpora interire videmus, nam substantia est omnino simplex. Non itaqué alia ratione interire animæ humanæ possunt quam annihilatione, cum veró nullum agens creatum, res in nihilum redigere potest, sed solus Deus, ipse igitur illas, quas sua virtute è nihilo extraxit, sua etiam potentia in nihilum redigere potest. Jam veró & revelatione, & ratione naturali evidentissime constat, Deum velle animas humanas post mortem hominis perenniter conservare; & nolle illas in nihilum redigere. Igitur & natura sua sunt immortales, & Dei voluntate perenniter conservantur.

Et quidem tum Dei voluntatem ex ipsius revelatione compertissimam habemus. Namqué Christus Math: cap. 25. extremum prædicens judicium, futuram omnium hominum

minum bonorum, ac malorum resurrectionem ipsorumqué scribit judicium, quo peracto, omnium hic erit finis, *& ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Unde Paulus Apostolus Epistola 2da ad Corinth: cap: 5to. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gesſit, sive bonum, sive malum.* Sed et ratio naturalis convincit, Deum velle animas humanas post mortem hominis superstites perenniter conservare. Quid enim profuiſset animam humanam à Deo creari & simplicem, & eſsentialiter intelligentem, ac viventem, æterni cupidam, atqué aliquid sempiternum sperantem, cum tamen tota vita ipsius, non solum brevi aliquot annorum, sed plerumqué unius diei ambitu contineretur, Artifices machinarum, quas construunt, naturam, ei tempori aptare solent, cui illas destinarunt, ita ut ex illis facilé intelligere poſsumus, an illarum auctores perpetuas eſse voluerunt, an menstruas, annuas; Et nemo ignorat Ægyptios Pyramides suas æternitati ædificare voluiſse, cum tantas moles molibus aggregarunt. Idem ex Dei operibus conjicere poſsumus, & debemus, præsertim cum ipsi nec efficiendi scientia, nec potentia desit, cuiqué res subiectæ non resistunt, quemadmodum homini, sed omnino obtemperant. Cum itaqué Deus animas humanas ita creaverit, ut natura sua & perenniter durare poſsint, & æternitatem percupiant, ipsamquè spectare omnino censeantur, indé consecutione neceſsaria inferendum est, Deum re ipsa velle ipſas perenniter conservare. Et veró quædam mentis humanæ facultates, propensiones, suapté natura in infinitum tempus feruntur, qualis est intelligentia, voluntas, providentia, quæ in iis animantibus quorum tota vita hic absolvitur, nec minimum quidem habetur vestigium. Quid autem dicemus, quas afferemus causas, quod ex omnibus animantibus solus homo curam ac providentiam suam ultra præsentem porrigat vitam, & quidem quam longiſsime. Hæc certé nos monent, ad æternitatem à Deo creatos, atqué præordinatos eſse.

Objicies 1mo. Eccles. cap: 3. hæc habemus. *Unus interritus est hominis & jumentorum, & æqua utriusqué conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur,* quemadmodum igitur animæ Brutorum in morte pereunt, sic & animæ hominum. *2do.* longé plures antiqui Philosophi; sed & Ecclesiæ Patres animas humanas censuerunt eſse corporeas, non ergo crediderunt illas eſse immortales.

 Resp:

Resp: ad 1mum: Quo ad corpus, vitamqué exteriorem unus est hominum & brutorum finis ad oculorum apparentiam, eadem conditio, quia scilicet, innumeris etiam homines subjiciuntur miserjis, doloribus, atqué eodem modo moriuntur, quamvis si fides consulatur, corpora hominum resurrectura speramus, non item brutorum. Quantum verò ad animas. quemadmodum in hac temporali vita longè diversa est conditio animarum humanarum, ac belluinarum, ita & in futurum finis eorum longé diversissimus, animæ belluarum in morte pereunt, animæ hominum manent superstites, ut à Deo & judicentur, & boni remunerentur, mali puniantur, hac fide, ac spe, plenus erat Ecclesiastes, quare ibidem confessus est, *quod non esset melius, nisi .... facere bene in vita sua*, unde concludit. *Justum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.*

Ad 2dum. Quamquam multi ex antiquis Philosophis, & nonnulli ex Sanctis Patribus animas humanas non omnino incorporeas esse putabant, immortales attamen illas esse censebant, quia etsi corporeas, à corpore tamen hoc visibili ac palpabili eas distinguebant, ipsasqué & corpus humanum vivificare, & corpore dissoluto perenniter superesse credebant.

Quæres 3. Utrum in futura vita dantur pœnæ ac præmia, bonis malisqué præparata?

Resp: In futura vita dantur pænæ, ac præmia, bonis, malisqué præparata. Et hanc fuisse, hodiequé esse opinionem, certissimamqué persvasionem omnium Nationum. quæ barbariæ prorsus efferatæ non sunt, certissimum est. Et primó quidem loco, memorandi veniunt Græci, atque Romani. Nihil apud hos communius futura post mortem bonorum felicitate, malorum miseria. Poetæ, & Philosophi, Græci & Latini, justitiæ rigorositatem, judicium strictissimum, pænas deniqué alterius vitæ, ita prædicabant, ut nobis omnino consentiunt. Namqué quosdam ardentis virtutis meritó, in Cælum evectos fuisse passim docent, veluti Pollucem, Herculem, Eneam, Romulum, alios inferioris dignitatis, ac meriti, in Luna collocabant, ceteris loca inferna assignabant. Et quidem bonis, quorum anima ter probata fuerit, sedem ad terræ fines dabant, quem locum fortunatas Insulas appellabant, & Elysium campum, & aereos campos. Nefarios verò detrudebant in horribile barathrum, in quo fluvjus igneus, & ministræ furiæ & Civitas ignis, & vastus horror tenebrarum, spes quoqué præcisa melioris sortis. Atqué hæc non modo Poetæ,

tæ, sed gravissimi Philosophorum, imprimis Plato docuerant. Græcis consonant Romani, Clemens vero Alexandrinus in Theologia Ethnicorum versatissimus Str: 5tò. testatur, Græcos à Barbaris hæc accepisse. Prætereà omnes narrant non modo veteres Ægyptios, Chaldeos, Indas, Scithas, sed & novos Turcas, Persas, Tartaros, Sinenses, Japonenses, Americanos, in ceteris quidem valde inter se & à nobis dissentientes, in hoc mirificé convenire scilicet post hanc vitam superesse præmia & pænas.

Et verò Divina Sapientia ac Providentia, æquitas, pariter, ac ineffabilis bonitas id exigunt, atqué postulant, ut suæ virtuti merces, sua etiam vitio pæna post hujus vitæ exitum supersit, nam Dei sapientissima Providentia, justitia ac bonitas exigit, ut Deus legum à se institutarum observationem promoveat, cum enim leges instituendo, illarum observationem præprimis intenderit, hanc etiam serió & efficaciter procurare debet. Id autem Deus non efficiet, nisi & virtuti præmia, & vitiis pænas decernat, alias Deus infractorem, pari loco habebit cum observatore, atqué hoc pacto efficiet ut prior magis, ac magis recedat à lege quæ dificile impletur, & impunè negligitur, posterior verò pænalem simul & infructuosam disciplinam abjiciat, & sic legis observationem potius imminuet, nedum promoveat. Porrò constat plerumqué in hac vita fieri, ut qui legis præcepta majori studio adimplent, nulla interim exteriori mercede donantur, quin & intus anxietatibus, angustiis, exterius veró hominum nequitia & oppugnatione adeo discrucientur, ut eos vivere tædeat, illos verò quibus id unum curæ est, ut per fas & nefas genio ac voluptatibus vacent, bonis omnibus affluant. Ergo ut sua Divinæ æquitati, sapientiæ, ac providentiæ jura asserantur, necesse est, ut qui in hac vita passi sunt justi, reficiantur in altera, contra verò qui in eadem vita bonis abundarunt, deliciis affluxerunt, in futuro plectantur sæculo. Unde ipsam naturæ vocem exhibent, hæc ad divitem æpulonem Abrahæ verba Lucæ cap: 16. posita: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lasarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

Præterea posita qualem nunc omnes experimur in malum propensione, vix fieri potest ut homo seclusa boni spe, virtutem pænalis & ardui plerumqué exercitij opus, seduló prosequatur, & à vitio, voluptatis plerumquè, & opus, feraci constanter abstineat. Igitur nisi supremam boni, & æqui legem tolli, & pessum ire voluerit Deus, necesse fuit,

ut

ut post hominis mortem, sua virtuti præmia, & suas vitio pænas decerneret. Certé recté pronuntiavit Lactantius Libro 7mo Instit. *Si nihil post mortem sumus, quid potest eſse tam supervacaneum, tam inane, tam vanum, quam humana res est, quam mundus ipse.* Nulla siquidem est in terris creatura homine nobilior, nulla quæ imaginem Dei splendidius præferat, nulla cujus in gratiam orbis universus magis destinatè conditus fuerit, nulla quæ æqué toto mundo fruatur, ad oculum siquidem patet, oves, boves, pecora, campos, pisces maris, terræ metalla, ceteraqué naturæ miracula homini subjecta fuiſse. Attamen summa hæc hominis nobilitas, præstantia, dominatus, in aures evanescit, si homo brevi vivens tempore, multis repletur miseriis, post hanc vitam in nihilum decidat.

Dices: Sublatis alterius vitæ præmio, & pænis, sua adhuc erit virtuti merces, bonæ scilicet conscientiæ testimonium, erit & suum vitio supplicium, vividi nempé, & acres conscientiæ remorsus.

Resp: Remorsus conscientiæ frænum eſse levius quam ut ab implendis sceleribus deterreat. Unde sublato justi malorum vindicis timore, id unum in corde, & in ore habebunt impii. *Manducemus & bibamus, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ. Sit fortitudo nostra lex justitiæ, cras moriemur.* Sapient: cap: 2. & verò quis nesciat impios, eo tandem geminatis sceleribus per venire, ut péné extincta conscientia iniquitatem velut aquam bibant. Quod verò dicitur virtutem sibimetipsi satis eſse, id siquidem, in imaginaria quadam societate locum habere poſse, permittamus, certè valere nequit, in humana qualis nunc est Republica, hic enim altis adeó & crebris difficultatibus obnoxia est, justitiæ, temperantiæ, continentiæ, ceterarumqué virtutum exercitatio, ut certò conijcere poſsimus, eam ubiquè neglectum iri, si omnis dematur spei, timorisqué causa.

Quæres 4. Istius modi pœnæ ac prœmia, quæ in futura vita bonis atque malis præparata sunt, eruntne æternæ?

Resp: Pænæ ac præmia quæ bonis ac malis in futura vita præparata sunt, æternæ erunt, & id apertiſsimè docet Scriptura novi Testamenti. Animæ siquidem impiorum à Dei conspectu, & à fruitione gloriæ cælestis rejiciendæ sunt in æternum exitium: ut testatur Paulus Apostolus Epist: 2da ad Theſs: cap: 1mo. *Pænas dabunt in interi-*

tu

tu æternas à facie Domini, *& à gloria virtutis ejus*, illisqué in extremo judicio dicet Christus, quemadmodum ipse Math: cap: 25. prædixit. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* His *procella tenebrarum servata est in æternum*, ut docet Judas Apostolus in sua Epist. ver: 13tio. atqué ibi *cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*, quemadmodum dicitur Apocalipsis cap: 20. Ex his manifestum efficitur, pænas in futura vita impiis præparatas fore æternas. Idipsum ex Scripturis constat de præmiis quæ justi à Deo largiſsimo bonorum operum renumeratore obtinebunt, ut enim appromisit Christus Math: cap: 19. *Omnis qui reliquerit Domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit*, & tunc *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, nequé luctus, nequé clamor, nequé dolor erit ultra.*

Dogma autem de æternitate pænarum præmiorumqué tale est, ut semper præcipuum apud Christianos reputatum fuerit. Hinc S. Ireneus Libro 1mo cap: 2do hoc scripsit: *Inter ea quæ Ecclesia per orbem universum usqué ad fines terræ diſseminata credit, refert Christum ad judicium rediturum, ut spiritualia nequitia, & Angelos transgreſsos, atque apostatas factos, & impios, & injustos, & iniquos, ac blasphemos homines, in æternum ignem mittat.* His similia habent & alii Sancti Patres.

Sed & pænarum æternitas rationi naturali maximé congruit. Nimirum æterna à Deo, atqué ordine ab ipso constituto, aversio, pæna æterna plecti & potest, & debet. Porrò in impio moriente æterna est à Deo, atqué ab ordine ab illo constituto aversio: Siquidem impius volens illum statum eligit, in quo aversum à Deo illiusqué ordine spiritum perpetuò gereret, namqué vel scivit, vel scire potuit morientis voluntatem, nunquam retractari. Undé præclaré S. Gregorius Magnus in Libro Moral: 34. in Job cap: 19. sic discurrit. *Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, voluiſsent quippé sine fine vivere, ut sine fine potuiſsent in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita, nunquam voluit carere peccato, & nulus detur iniquo terminus ultionis, quia quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis.*

Objicies 1mo: Pænarum æternitas Divinæ repugnat boni-

bonitati, quia Pater amantifsimus, qualis est Deus corripit filium ut emendat; non verò ut omnem ei salutis aditum præcludat. *2do:* nulla est inter momentaneum scelus, & pænam æternam proportio.

Resp: ad 1mum. Etsi attributa Dei generatim spectata cognoscimus, eorum tamen gradum, & sphæram nullatenus afsequimur. Igitur tutó, & certò afserere non pofsumus, æternitatem pænarum Divinæ repugnare bonitati. Certè boni sunt etiam Magistratus Civiles, attamen quantum est in ipsis pæna plectunt æterna. Si enim homo in exilium amandatus perpetuó viveret, semper exul maneret. Dum etiam aliquis morte plectitur, æterna pæna mulctatur, quia in sempiternum de societate viventium aufertur. Hæc non obstant quin Magistratus boni, ac justi censeantur, nequé etiam Divinæ bonitati aut justitiæ repugnare censendum est, dum Deus impios, improbosqué æternis damnat pænis.

Ad 2dum. Inter criminis tempus, & pænæ moram, æqua non potest statui proportio, hoc enim si exigeretur, id plenum efset absurditatis, ut enim inquit August: libro 21. de Civitate Dei cap: 11. *nullius id unquam justitia legis attendit, ut tanta mora temporis quisqué puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit. Quodlibet scelus, non temporis longitudine, sed impietatis magnitudine metiendum est.*

ARTICULUS 3tius.

De conditione corporum humanorum in futura vita.

Quæres 1. Utrum pofsibile sit, ut mortua hominum corpora resurgant?

Resp: Omnino pofsibile est, ut mortua hominum corpora resurgant. Enimverò nemo diffitetur nullam materiæ partem naturalibus corruptionibus in nihilum abire, ut igitur corpora humana difsoluta ad priorem statum redeant, sufficit ut Deus & tanta polleat scientia, qua cujuslibet corporis humani partes, omnes probé pofsit distinguere, atqué ab aliis secernere, & tali præditus sit potentia, qua ex iisdem corporis humani difsolutis partibus, idem enascatur corpus humanum. Cum autem utrumqué id Deo insit, quandoquidem & omniscius, & omnipotens est, sequitur fieri pofse, ut mortua hominum corpora resurgant.

Præ-

Præterea à facto ad poſse valet consequentia, & magis adhuc ex factis plurimis, ad poſsibilitatem rei argumentatio solidiſsima est. Porrò ex Scripturis tum Divinis, tum profanis certiſsime constat, plurimos resuscitatos fuiſse. Sic Elias Filium viduæ in Sarephta resuscitavit. Eliseus Sunamitidis filium à mortuis revocavit. Mortuus quoqué quidam, in sepulchrum ejusdem Elisei projectus, cum cadaver ipsius *tetigiſset oſsa Prophetæ, revixit homo, & stetit super pedes suos*, prout narratur Libro 4to Regum cap: 13. Sic Christus Lazarum, aliosqué mortuos resuscitavit, ipse tertia die post suam mortem resurrecit, multaqué corpora Sanctorum, qui dormierant, tunc surrexerunt. Christi etiam Apostoli, ac ceteri illius discipuli multos resuscitarunt. Sed ex profanis etiam historiis, Scriptoribusqué Gentilium, poſsibilis eſse resurrectio ostenditur, quia & communior hac de re erat ipsorum persvasio, & multa resurrectionis facta describuntur, atqué narrantur. Sic futuram corporum resurrectionem credebant Ægyptij, Stoicorum eadem fuit sententia. Eadem est hodie persvasio Mahometanorum, Indarum, Tartarorum, Sinensium, aliarumque Nationum. Nec ea vulgi tantum fuît persvasio, viri enim ipsi sapientes eam amplexati sunt, illiqué adhæserunt, cum narrabant quosdam reipsa resurrexiſse, celleberima est historia Eri Pamphili Armeni, qui surrexiſse dicitur post decimum diem, quod narrant Plato, Valerius Maximus, Clemens Alexandrinus, Plutarhus, Eusebius, & alii. Idem eveniſse cuidam mulieri post septem dies, tradit Heraclides Ponticus Idipsum de Aristæo scribit Herodatus, & Plinius, de Tespesio Plutarchus. Hæc autem sivé vera, sivé falsa sint, certè ostendunt eruditos, ac Sapientes Gentilium non abhoruiſse ab opinione, qua statuitur poſsibilis hominum mortuorum resurrectio.

Dices Corpora humana continuó mutantur, evacuationibus, respirationibus, unde non idem corpus hominis hodie est, quod heri fuit. In quo ergo statu corpora humana resurgunt. Præterea quædam corpora humana in alimentum aliorum animantium ceſserunt, & hinc in alimentum hominum, cujus tandem corporis erunt partes istæ.

Resp: Hæc poſsibilitatem resurrectionis corporum humanorum minimé evertunt, nam quid demum humanis corporibus contingat, aut eveniat mutationis, alterationis, conversionis, corruptionisqué, semper Deo inest & scientia & potentia, quibus valeat cujuslibet corporis humani

mani partes & discernere, & eas iterum compaginare, & hæc duo sufficiunt, ut corporum humanorum resurrectio, posſibilis esse dicatur.

Quæres 2. Utrum aliquando futura sit mortuorum hominum resurrectio?

Resp: Hominum mortuorum resurrectio certò aliquando futura est. Et id ea novo & veteri Testamento comprobatur. In libro Job cap: 19. hæc ipse loquitur. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſsimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Id quoqué apertiſsime confirmat Daniel Propheta cap: 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper.* His consonant quæ scripta sunt de Juda Machabæo Libro 2. cap: 12. *Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti, misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bené, & religiosé de resurrectione cogitans.* Quo in loco de resurrectione mortuorum, tamquam de Dogmate apud Hebræos & antiquo, & publico clariſsima fit mentio. Jam veró loca omnia novi Testamenti in quibus resurrectio mortuorum memoratur, colligere nimis operosum eſset, unum, alterumqué allegare textum sufficiet. Joan: cap: 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* & cap: 6. atque 11. eadem mortuorum aſseritur resurrectio. Actorum quoqué cap: 4. & 17. Tandem in toto capite 15. Epistolæ suæ 1mæ ad Corinth: Paulus Apostolus, de futura mortuorum resurrectione discurrit, tandem concludit. Mysterium vobis dico. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu occuli mortui resurgent incorrupti.*

Quæres 3. An reipsa omnes omnino homines resurgent?

Resp: Quamquam etiam initio Ecclesiæ fuerint aliqui, qui dicebant justos tantummodó resurrecturos foré, quem errorem Sociniani adoptarunt dicentes: impios non resurrecturos, nequè ullam aliam pænam habituros, præterquam, quod in toto annihilarentur, attamen dogma Christianæ Religionis universaliſsimum est, omnes quotquot unquam homines fuerunt, sunt, aut erunt, sivè justos, sivè impios, reipsa resurrecturos foré. Et quidem ex Math: cap: 25. luculentiſsime apparet tum justos, tum impios resurrecturos, ad extremum judicium congregandos.

dos, in illo judicandos, justos collaudandos, impios redarguendos, ac tandem post latum in utrosque decretum, ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. Unde Apostolus 2da ad Corinth: cap: 5to scripsit. *Omnes nos oportet manifestari ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gefsit, sivè bonum, sivè malum*, quare Actorum cap: 17. affirmat, constitutum à Deo efse diem, *in quo judicaturus est orbem, in æquitate*, omnes proindé homines qui replent orbem, proindequé & in Apocalipsi cap: 20. dicitur. *Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Tandem idem Apostolus Paulus Actor: cap: 24. dicit: se spem habere in Deum resurrectionem foré justorum, & iniquorum. *Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum & iniquorum.* Omnes itaqué homines sivé justi, sivé impii reipsa resurgent.

Dices Jam diu vulgatum est homines in valle Josaphat post resurrectionem congregandos foré. Tantus veró numerus est hominum, qui ab Adam usqué ad extremum Judicium orbem incoluerunt, aut incolent adhuc, ut vix tota terra eos capere pofsit.

Resp: Quod in valle Josaphat judicandi sint à Christo homines, pia est quædam opinio, non dogma Ecclesiæ. Sed etsi diceretur in valle Josaphat congregandos, & judicandos homines, non ita istud intelligendum est, quasi sola ea vallis homines excipere deberet, sed tantum, quod efset quasi centrum immensæ illius hominum multitudinis, in quo centro Judicium sit peragendum. Prætereà Paulus Apostolus in Epist: ad Thefs: cap: 4. dicit: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aerà, & sic semper cum Domino erimus*, justi itaque in aerà locabuntur, impii veró humi stabunt. Ita omnibus erit locus, & illi hos, hi illos, facillimè intueri poterunt.

Quæres 4. An cum iisdem corporibus homines resurgent, in quibus vixerunt?

Resp: Cum iisdem corporibus omnes homines resurgent, in quibus vixerunt. Et id fide certum est. In Symbolo namqué confitemur *carnis resurrectionem*, certè non alterius. nisi quam in vita gestamus ac portamus; quod etiam in Concilio Lateranensi 3tio Can: 1mo definitum est. *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant.* Id veró ex Scripturis probatur: Job cap: 19. dicit. *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne*

ne mea videbo Deum meum, Apostolus quoque in Epist: 1. ad Corinth: cap: 15. dicit. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Quodsi resurgentium corpora, non eadem eſsent, quæ in vita fuerunt, corruptibile & mortale hoc, non indueret incorruptionem, neque immortalitatem. Igitur cum iisdem corporibus omnes resurgemus in quibus vivimus. Quare Eutichius Patriarcha Constantinopolitanus, qui corpora nostra instar aëris, & venti futura eſse contendebat, â S. Gregorio Magno, tunc nonnisi Diacono convictus, pellem manus suæ ægrotus tenebat dicens. *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus*; ut ipse refert summus iste Pontifex libro 14. Moralium cap: 32.

Quæres 5. Nonne saltem aliqua erit differentia, atqué discrepantia inter corpora, cum quibus resurgemus, ac illa quæ modo portamus?

Resp: Certum est, quia cum iisdem corporibus, in quibus modo vivimus, resurgemus, attamen corpora justorum singularibus dotibus â Deo exornabuntur, scilicet impaſsibilitate, subtilitate, agilitate, & claritate, & hæc deducuntur ex verbis Pauli Apostoli Epist: 1. ad Corinth: cap: 15. ubi hæc habet. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Et quidem 1mo corpora Beatorum erunt incorruptibilia, & impaſsibilia. Namqué ut dicitur Apocalip: cap. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab occulis eorum, & mors ultra non erit, nequé luctus, nequé dolor erit ultra.* 2do fulgentia erunt claritate maxima, quia ut promiserat Christus Math: cap: 13. *Justi fulgebunt sicut sol in conspectu Dei.* 3tio summa eorum erit agilitas, adeó, ut ad animæ nutum, ab uno loco ad alium imperceptibili temporis momento transire poſsint, siné labore, molestia atqué laſsitudine. 4to: tandem mira erit subtilitas, adeó; ut etiam alia corpora penetrare poſsint.

Corpora verò impiorum cum suis deformitatibus resurgent, paſsibilia erunt, attamen incorruptibilia illa scilicet incorruptibilitate, quæ mortem impediat, quia ut loquitur Scriptura Apocal: cap: 9no *quærent mortem & non invenient eam*, nulla etiam claritate gaudebunt, quia per totam æternitatem manebunt in terra tenebrarum, & umbra mortis, nequé agilia erunt, quia ligatis manibus, & pedibus projicientur in tenebras exteriores.

CA-

CAPUT SEXTUM

De Hominis beatitudine.

Quæres 1mo. Quid sit Beatitudo?

Resp: Beatitudo definitur à S. Augustino libro 5to de Civit: Dei cap: 1mo. *rerum optandarum cumulata plenitudo*, à Boetio libro 3tio de Consil: Philos: *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, & à S. Thoma: *bonum perfectum, quot totaliter quietat hominis appetitum.*

Quæres 2do. Quotuplex considerari posſit hominis beatitudo?

Resp: Duplex *temporalis*, quæ dicitur beatitudo viæ, & quæ in hac vita percipitur, & *æterna* quæ in futura, gratis reservatur, & vocatur beatitudo Patriæ.

ARTICULUS 1mus

De temporali hominis beatitudine.

Quæres 1mo. Beatitudo temporalis quotuplex censeri posſit?

Resp: Beatitudo hæc duplex censeri potest. Alia *naturalis*, quæ naturæ rationali ſecundum ſe ſumptæ convenit, & quam creatura ſolis naturæ viribus aſsequi potest, estque status bonorum naturalium aggregatione perfectus. Alia *ſupernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, & ſolis gratiæ auxiliis comparari potest.

Quæres 2do. Utrum aliquod bonum creatum posſit plené hominem ſatiare?

Resp: Nullum bonum creatum potest plené hominem ſatiare, ac proindé in nullo bono creato potest ipsius consistere beatitudo. Enimveró duo bonorum creatorum genera, poſsumus distingvere, alia enim ſunt quæ ad corpus pertinent, ut divitiæ, honores, voluptates, alia veró quæ animum exornant, qualia ſunt ſcientiæ, & virtutes morales. Porró nihil horum potest plenè hominem ſatiare, nequé beatum efficere. Namqué 1mo. divitiæ, voluptates quó plus habentur, eò plus, & magis exoptantur, ac desiderantur, timorequè omittendi continuó hominem torquent,

quent, & ut verè dixerat S. Bernardus Epist: 105. *possessa onerant, amata inquirant, amissa cruciant.* Honores quoqué alieni nihil sunt, nisi vapor ad modicum parens, & quasi umbra transiens. Quare sapientissimus hominum Salomon, non solum superno lumine illustratus, sed etiam proprio experimento edoctus, de cunctis creatis, quæ bona esse reputantur, graviter pronuntiavit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Non satiatur occulus visu, nec auris auditu impletur. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus.* Hæc igitur omnia cum nequeant hominem plenè satiare, in illis non potest ipsius constitui vera beatitudo.

2do. Sed nequé illa, quæ animum exornant, scientiæ videlicet, & virtutes, esse possunt hominis beatitudo. Vera namqué beatitudo, est bonum perfectum, & undéquaqué sufficiens, ac propterea omne malum excludit, & omne explet desiderium. Porrò nequé scientiæ, nequé virtutes sunt bonum undequaqué sufficiens, omne hominis desiderium explere, nequé etiam omne malum ab illo avertere valent. Siquidem scientias, virtutesqué possidentibus multa etiam maxime necessaria sæpissime desunt, multa proinde ab ipsis & meritò quidem ac graté desiderantur, atqué exoptantur, multis tandem exercentur, & affliguntur malis, beati igitur esse & dici nequeunt. Virtutes itaqué atqué scientiæ hominem beatum cum nequeant efficere, in illis vera hominis beatitudo constitui nequit.

Quæres 3tio. In quo ergo constituenda est vera hominis beatitudo?

Resp: Solus Deus est vera hominis beatitudo, & in illo solo veré beati, ac felices esse possumus. Deus namqué est summum, ac infinitum bonum, totam proinde desideriorum nostrorum amplitudinem explere. cumulatissime exæquare potest, atque infinité etiam excedit, quamobrem Propheta David dicebat Psal: 72. *Quid mihi est in cœlo, & â te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, unde Augustinus sic Deum alloquebatur libro 1mo Confess: cap: 1mo. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Quare possessio summi, perfectissimi, ac infiniti boni, quale solus Deus est, vera est hominis beatitudo, plené exsaciens omne humanum desiderium, propterea dixerat Rex & Propheta David Psal: 16to: *Saciabor cum apparuerit gloria tua.*

Quæres

Quæres 4to. Utrum aliqua sit præsentis vitæ beatitudo?

Resp: Perfecta, & completa beatitudo, præsenti vitæ non competit, quia ut ait S. Job cap: 7mo. *Militia est vita hominis ſuper terram*, & hæc militia tam acris est, tamqué perpetua, ut vix liceat respirare. Non est nobis pax ab insidiis diaboli, qui continuó circuit, quærens quem devoret, non à concupiscentia quæ est in membris nostris, non à tentationibus, quæ quó dulciores ſunt, eò periculusiores insidias sternant, non à conscientia, quæ purgit, & remordet, non à metu divini judicij, qui continuó angit, non à morbis, afflictionibus, quæ nos deprimunt, atque excruciant. Cum igitur præsens vita nihil pacis habeat, ergo vera in decursu ipsius felicitas eſse nequit.

Verum tamen in præsenti statu agnosci debet aliqua beatitudo. Scriptura namqué Sacra quosdam in hoc etiam tempore beatos eſse prædicat Psal: 111mo. *Beatus vir qui timet Dominum*, & Psal: 118vo. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Math; cap: 5to. *Beati pauperes ſpiritu. Beati mittes. Beati pacifici.* Et verò beatitudo consistit, in ſummi boni poſseſsione. Porrò homo in hac etiam vita, licet imperfecté ſummum bonum poſsidere potest, juxta id Christi Joan: cap. 14to. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, & 1ma Joan: cap: 4to. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Hinc Apostolus Paulus ad Philipenses ſcribens cap: 4to gaudium juge & ſanctum fidelibus præcipit & commendat: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.*

Quæres 5to. In quo consistit præsentis vitæ beatitudo?

Resp: Præsentis vitæ beatitudo, consistit in sinceræ charitatis Dei actibus, & ſancta quæ iisdem ſemper inhæret animi lætitia. Beatitudo siquidem consistit in delectabili poſseſsione ſummi boni. Porrò per sinceram erga Deum charitatem, ſummum bonum ab homine pro conditione hujus vitæ poſsidetur, & poſsidetur delectabiliter cum gaudio, ſcilicet: pace, ac lætitia ſpirituali, ut enim docet Apostolus ad Galatas cap: 5to. Fructus Spiritûs, qui per charitatem cordibus nostris dominatur, est gaudium, & pax. Quare Augustinus in Psalmum 76. ſcribens inquit: *Charitas sine gaudio eſse non potest.*

AR-

ARTICULUS 2dus

De æterna hominis beatitudine, quæ in futura percipitur vita.

Quæres 1mo. In quo consistit futuræ vitæ beatitudo?

Resp: Futuræ vitæ hominis beatitudo consistit in visione Dei intuitiva, ejusqué contemplatione. Enim verò Scriptura Sacra paſsim visionem Dei, ut ſummum, ac perfectiſsimum præmium, totamqué mercedem nobis proponit. Psalmo 15to inquit David, Deum alloquens: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* 1ma Joan: cap: 3tio. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Math: cap: 5to. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* & cap: 18vo de Parvulis loquens Christus, inquit: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei.* Undé recté S. Ambrosius concludit libro 2do de Officiís cap: 2do. *Scriptura divina, vitam beatam in cognitione posuit divinitatis.* Id ipsum velut uno ore affirmant Sancti Patres, S. Basilius in Constit: Monach: cap: 19no. *Contemplatio ſummi boni est thesaurus Angelorum.* S. Hieronymus in caput 66tum Isaiæ scribens sic inquit: *Deum videre vera lætitia est, Dei visio perfectum est gaudium.* Apud S. Augustinum, nihil frequentius, quam visionem Dei eſse totam laborum nostrorum mercedem, quarê libro 1mo de Trinitate cap: 13tio hæc habet: *Ipsa est visio facie ad faciem, quæ ſummum præmium promittitur justis.* Scriptura itaqué ac Sancti Patres, quando de æterna Sanctorum felicitate loquuntur, ſemper illam in Dei visione, atqué ipsius contemplatione reponunt, in illa ergo futuræ vitæ nostra consistit beatitudo.

Quæres 2do. Quid sit illa visio Dei intuitiva, in qua tota futuræ vitæ reponitur beatitudo?

Resp: Duplici modo Deum ab homine videri poſse docet Apostolus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 13tio dicens: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Prior visio Dei per ſpeculum & in ænigmate *abstractiva* dicitur, qua objectum absens per ideam tantum repræsentatur, & contemplatur. Posterior facie ad faciem *intuitiva* nominatur, quia objectum præsens, ut est in ſe conspicitur. Verum in quo consistat hæc visio Dei intuitiva ex qua Beatorum ſelicitas unicé manat, & qua

ratione Deus à Beatis videatur, res explicatu est difficillima. Equidem Theologi docent mentem Beatorum ad videndum Deum lumine gloriæ adjuvari, ſed quid sit illud lumen gloriæ, intelligi nequit. Prætermiſsis itaqué iis quæ planè dubia ſunt, illa hic ponimus ac statuimus quæ nobis certa, atqué explorata eſse videntur.

Primum: Hæc visio Dei intuitiva nihil habet simile visioni quæ nostris occulis fit. Nam cum Deus omnis materiæ, ac concretionis expers sit, non potest occulis corporeis videri, nec tali visione cerni, quæ occulorum nostrorum intuitioni aliquò modò similis sit.

Secundum: Hæc visio non est compræhensio divinæ eſsentiæ, hæc enim creatis mentibus repugnat. Deus siquidem est undequaqué infinité perfectus, ac proinde capacitatem mentis creatæ infinitò ſuperat intervallò, quare mens creata, qualis est in Beatis, quocunqué lumine illustretur, cum infinité capacitatis evadere nequeat, objectum infinité perfectum, qualis Deus est adæquatè percipere nequit.

Quæres 3tio. In futura beatitudine, eruntnê aliquæ visioni intuitivæ ſuperaddita?

Resp: In futura beatitudine, visioni Dei intuitivæ affluentia omnium bonorum Beatis ſuperaddetur. Siquidem Apostolus Paulus Epistola 1ma ad Corinth: cap: 29. affirmat: *Quod occulus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Hinc exurget perfecta, ac ſemper duratura voluptas, de qua loquitur Psalmista: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Prætereà illis Beatis, qui propter aliquam excellentem virtutem insignes fuerant, & à reliquis quasi distincti sunt, peculiaris aureòla, ſeu præmium quoddam singulare conceditur.

Quæres 4to. Quid sit ista aureòla, quæ quibusdam Beatis conceditur?

Resp: Aureola, est præmium quoddam singulare, quod propter aliquam excellentem virtutem, quibusdam Beatis à Deo conceditur, qui propterea inter alios insignes, ac quasi ab illis distincti reputati ſunt. Porrò triplex est istiusmodi aureòla, nempé Virginum, Martyrum, & Doctorum. Prima designatur Apocalipsis cap: 14to. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt.* Altera habetur expreſsa in eodem libro cap: 7mo. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas ſuas,*

as, & dealbaverunt eas in ſangvine agni. Doctorum demúm aureòlam nobis repræsentat Daniel cap: 12mo dicens: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi ſplendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Quæres 5to. Utrum Sanctorum beatitudo in futura vita æqualis omnium erit?

Resp: Sanctorum in futura vita beatitudo non erit omnium æqualis. Namqué Joan: cap: 14to inquit Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ ſunt.* Et Paulus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 3tio inquit: *Unusquisqué propriam mercedem accipiet, ſecundum laborem ſuum.* Capite verò 15to. *Alia est*, inquit, *claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, sic & resurrectio mortuorum.* Jam verò ubi variæ & diversæ ſunt mansiones, ubi merces làbori respondet, ubi major & minor est claritas, ibi omninô inæqualis est beatitudo, modô major, modò minor adeô, ut ſecundum Apostolum Paulum 2da ad Corinth: cap: 9no. *Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Undè S. Polycarpus Judicem ſupplicia intentantem alloquens dicebat: *Merita mea doloris æstimatione pensabo. Quantò graviora pertulero, tantò præmia majora percipiam.*

Et verò quis sibi persvadeat, Mariam Virginem Dei Matrem, Patriarchas, & Prophetas, Apostolos, invictosqué Christi Martyres, æqualem cum omnibus aliis, etiam cum infantibus, in quibus nulla fuerunt charitatis, ac pietatis opera, felicitatis perfectionem habituros. Præcipuê cum ex Sacris litte is quadam prærogativa distingvendos forè discimus Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Matthei siquidem cap: 8vo sic loquitur Christus: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaäc, & Jacob in regno cælorum:* & ſuis Apostolis Math: cap: 19. hæc appromisit Salvator: *Cum ſederit filius hominis in ſede Majestatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duòdecim, judicantes duòdecim tribus Israel.* Hoc autem intelligi non potest, nisi gradibus Beati distingvantur.

Dices. Operarii de quibus loquitur Christus Mathei cap: 20. non eodem modo laboraverunt, ſed alii aliis tardius, omnes tamen eodem modô remunerati ſunt, eundem omnes denarium acceperant. Æqualis est ergó remuneratio, æqualis beatitudo.

Resp: Operarii illi non quidem per eandem tempo-

ris

ris moram laboraverunt, parem tamen mercedem reportarunt, quia quod deerat in labore tempori, fervore compensarunt, qui ergô ad laborem tardius venerunt, non minus quam alii laboraverunt. Prætereà omnes quidem illi operarii eodem modô quô ad ſubstantiam remunerati ſunt, quia singuli unum denarium acceperunt, quare & omnes Sancti eandem quô ad ſubstantiam cælestem beatitudinem consequentur, quæ in visione Dei intuitiva tota posita est, ſed non eandem quô ad gradum, perfectionem, potest enim Deus ſe beatis communicare pro mensura meritorum, quæ illi in vita posuerunt, magis ſcilicet illis, qui plus laboraverunt, minus iis qui minus, ex quo consequitur beatitudinem cælestem eſse proportionatam cujusquê meritis, ac proindé inqualem.

Quæres 6to. Quando nam hœc cœlestis beatitudo in futura vita justis confertur?

Resp: Animabus justis, quibus nihil luendum ſuperest, siné ulla dilatione beatitudo cælestis conceditur. Et id ex Sacris Scripturis manifestiſsimé evincitur. Namqué Paulus Apostolus Epist: 2da ad Corinth: cap: 5to sic inquit: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis diſsolvatur, œdificationem in Deo habemus domum non manufactam, œternam in cœlis.* Certus itaqué erat Apostolus ſe, & alios ejusdem meriti justos, statim ac per mortem diſsoluta fuerit terrestris eorum habitatio, domum non manufactam, & æternam in cælis obtenturos in qua verè beati vivant, atquè id percupiens, ſuperaddit. *Et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quœ de cœlo est ſuperindui cupientes.* Et ulterius sic prosequitur Paulus: *Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & prœsentes eſse ad Dominum.* Cupit ergò Apostolus peregrinari à corpore, diſsolvi à corpore, ut præsens sit ad Dominum, & cum Christo maneat, quemadmodum in Epistola ad Philippenses cap: 1mo loquitur: *Coarctor, deſiderium habens diſsolvi, & eſse cum Christo.* Porrò præsentem eſse ad Dominum, est beatifica illius frui visione, ipsumquê facie ad faciem intueri. Eſse cum Christo, est cælestis ipsius gloriæ participem fieri, ubi ille ſedet ad dexteram Patris. Undé Gregorius magnus libro 4to Dialog: cap: 25. inquit: *Qui Christum in cœlo eſse non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſse negat.* Prætereà Apocalipsis cap: 7mo hæc inquit Joannes Apostolus: *vidi turbam ma-*

magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & lingvis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Jam ergó tunc turba innumerabilis justorum ex omnibus gentibus, tribubus, populis, & lingvis, stantes ante thronum Agni, cælesti gloria circumvestiti, æterna perfruebantur beatitudine, undé fidenter fidelibus ſcripſerat Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos cap: 12mo. *Accesſistis ad montem Sion, & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti ſunt in cælis.* Justi itaquè quibus nihil lugendum ſuperest in cælis jam conscripti ſunt, in monte Sion, & in Civitate Dei viventis positi Ecclesiam constituunt primitivorum, cui & nos in terris adhuc degentes conjungimur, cum ſpe ad illorum Societatem expurgatis peccatorum nostrorum ſordibus feliciter perveniendi.

Eandem veritatem docent, & unanimi consensu deprædicant Sancti Patres, Clemens Romanus, Ignatius Martyr. Basilius Magnus, Gregorius Nyſsenus, Ephrem Syrus, Gregorius Nansiansenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus, Leo Papa Magnus, Joannes Chrysostomus, Augustinus, ceteriqué omnes, celeberrimi Scriptores. Quaré in Concilio Florentino, magna totius Ecclesiæ consensione, hæc veritas veluti fidei Catholicæ dogma, stabili decretò, Græcis etiam consentientibus formata fuit his verbis: *Credimus illorum animas, qui post Baptisma ſusceptum, nullam omninó peccati maculam incurrerant, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel ſuis corporibus, vel exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri claré ipsum Deum Trinum, & unum ſicuti est, pro meritorum tamen diverſitate, alius alió perfectius.*

Id ipsum ex publicis Ecclesiæ præcibus & hymnis confirmatur, quibus Sanctos tamquam cælesti jam beatitudine donatos, & Deo proximé aſsistentes invocamus, ipsisqué de adepta jam æterna felicitate gratulamur.

Ratio tandem theologica ex Sacris Scripturis deprompta huic ſuffragatur dogmati. Scilicet in pluribus locis Sacra Scriptura testatur impios post mortem æternis illicó ſupplicíis addici, sic in libro Job. cap: 21. dicitur: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt,* & Lucæ cap: 16to. *Mortuus est dives, & ſepultus in inferno,* ac ipse faſsus est dicens: *Crucior in hac flamma.*

Cum

Cum autem Deus non minus bonorum remunerator sit, quam malorum punitor, etiam justis plenè purgatis æternam mercedem illicò rependit, undé & Lazaro dixit Christus Lucæ cap: 23. *Hodie mecum eris in paradiso*, & S. Stephanus morti proximus, vidit cælos jam sibi apertos quaré exclamavit Actor: cap: 7mo. *Video cœlos apertos.* Ecclesia veró addit, *vidit & introivit.*

Dices. Antè Christi Ascensionem malis illicó pæna rependebatur, non autem justis beatitudo cælestis concedebatur. Ergó adducta ratio theologica ruit.

Resp: Quod anté Christi Ascensionem malis illicò pæna rependeretur, non autem justis merces, tunc justa hujus discriminis aderat causa, nempè propter peccatum originale cælestis Hierusalem portæ clausæ erant, nunc veró per Christi mortem reseratæ ſunt, & ipse ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, ſcilicet ſecum duxit in cælum Patriarchas, Prophetas, aliosquè Sanctos, qui veluti captivi prius in Limbo detinebantur. Nihil autem modó impedit, ut quemadmodum impiis æternum ſupplicium, ita Sanctis æterna gloria statim post obitum retribuatur.

Obijcies 1mo. Scriptura Sacra tam bonorum præmia, quam malorum pænam ad extremum judicij diem refert, & nonnisi tum dicetur justis: *Venite benedicti, poſsidete regnum*, impiis veró: *Discedite maledicti in ignem æternum. 2do.* Ecclesia tam Latina, quam Græca in ſuis Præcibus, ac Liturgiis pro omnibus Sanctis, pro ipsa etiam Virgine Maria orare consvevit, ipsis requiem & gloriam depræcans, censet ergó eorum animas nondum cælesti beatitudine perfrui.

Resp: ad 1mum. Post universalem omnium mortuorum resurrectionem, extremumquè judicium, tunc & justi completam quô ad animam & corpus ex quibus integer coalescit homo, recipient mercedem, atquè perfectam consequentur beatitudinem, & impii pænis addicentur, quibus in anima & corpore excruciabuntur, sicquè tunc integra bonis & malis dabitur retributio ſecundum ea, quæ illi bona vel mala in corpore & anima operati ſunt: Hanc itaqué completam beatitudinem justis concedendam atqué integram pænarum, & impiis infligendam cûm omni apparatu in conspectu totius mundi denuntiandam castigationem Scriptura Sacra ad extremum refert judicium. Verûm antequam illud advenerit, & quilibet statim post mortem in particulari à Deo judicabitur, & proût bona vel

mala

mala operatus est præmium vel condignam recipiet pœnam. Undé Apostolus Paulus in Epist: ad Hebr: cap: 9no scribit: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.*

Ad 2dum. In Liturgiis & communibus Ecclesiæ præcibus sæpius confunduntur omnes fideles, & promiscuè simul sumuntur tum ij, qui jam perfecté purgati sunt, tum ij, quibus adhuc aliquid superest luendum, non idem tamen pro omnibus exorat Ecclesia, sed ejus præces debent accommodâ quadam accipi distributione. Itaqué Ecclesia iis, quibus adhuc quædam lugenda, expiandaqué supersunt, peccatorum veniam præcatur, & cælestis beatitudinis gloriam, aliis verò jam plené purgatis, Sanctisqué jam in cælo regnantibus gloriam quandam exoptat accidentalem, ut nimirum cultus eorum augeatur, atquè inter homines propagetur. Prætereâ non oportet omnia, quæ in Liturgiis reperiuntur, ad litteram accipere, nonnulla siquidem minus accuratè posita sunt, quæ posteâ, correcta, & immutata fuerunt. Sic teste Innocentio 3tio Epist: 121. cum in Missa S. Leonis, in oratione Secreta prius legeretur: *Anuue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, facta mutatione sic déinceps legebatur: *Annué nobis Domine quæsumus, ut intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio.*

Quæres 7mo. Quid sit illud millenarium Regnum, quod quidem post universalem mortuorum resurrectionem futurum effinxerunt?

Resp: A primis Ecclesiæ sæculis extiterant non pauci, qui docebant post universalem omnium mortuorum resurrectionem, justos per mille annos in terris cum Christo regnaturos, ac demum hoc tempore elapsô, judicioqué generali peractô, omnes Electos unâ cum Christo, cælum ingressuros esse, ibiqué perpetuò in cælesti beatitudine victuros.

Qui hoc mille annorum regnum sperabant, atqué defendebant, millenarii dicti sunt, & in duas classes dividebantur. Quidam cum Corintho hæretico primo hujus fabulæ inventore, regnum hoc mille annorum sibi effingebant carnalibus deliciis affluens. Alij verò quorum dux fuit Papias Hieropolitanus Episcopus nonnisi puras, spiritualesqué vitæ jucunditates in eo regno futuras sperabant.

Quæres 8vo. Quid sentiendum sit de hoc mille annorum regno?

Resp: Mille annorum regnum, quô Beati post car-

nis

nis resurrectionem fruituri cum Christo dicuntur, inter fabulas amandandum est. Millenarium siquidem regnum, non modô nullum habet in Scripturis fundamentum, sed etiam iis directé opponitur. Namqué Math: cap: 24. & 25to, mortuorum resurrectio, universale omnium judicium, ac tandem retributio Christi de cælo in terram adventûs, mercedis, ac pœnæ æternæ inflictio inseperabiliter ponuntur, & simul conjunguntur. *Primó* quidem *parebit signum filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, & mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos ejus á quatuór ventis. Secundó* veró *cum venerit Filius hominis in majestate sua, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentés, & separabit eos ab invicem. Tertió* subsequitur Decretum. *Tunc dicet his, qui á dextris ejus erunt. Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum. Dicet & his qui á sinistris erunt: Discedite maledicti in ignem æternum. Quartó* tandem finis & conclusio horum omnium, *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Nullum itaqué esse potest tempus regno illi mille annorum, quô post mortuorum resurrectionem, anté universale judicium justi cum Christo in terris regnaturi effinguntur. His consonant apertissima verba Pauli Apostoli, qui in Epist: 1ma ad Thess: cap: 4to hæc habet: *Hoc vobis dicimus, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non prævenienius eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deindé nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra. & sic semper cum Domino erimus.* Ex quibus manifestissima hæc sunt, scilicet, post Christi è cælo in tuba Dei descensum illicó mortuos resurrecturos, ac tunc justi qui adhuc residui erunt cum illis, qui in Christo sunt, & qui resurgent primi rapientur ipsi obviam in aéra, & cum Domino semper sint, non per mille tantummodó annos, sed in sæcula sæculorum in cælis regnaturi.

Sed & communi Sanctorum Patrum consensu regnum millenarium tanquam fabula, ac inane commentum exploditur. Originis Prologô in Cantica millenariorum opinionem amandat *ad ineptas fabulas, & inania figmenta.* S. Basilius Epist: 74. ad occidentales doctrinam de futuro in terris Christi regno, fabulosam, ac judaicam appellat.

S.

S. Gregorius Nasian: Orat: 52. insaniam ac deliram opinionem eſse dicit. S. Epiphanius Hæresi 77ma omnibus Scripturæ ſententiis repugnare. S. Hieronymus Judaicam traditionem, atqué fabulam. S. Augustinus ridiculas fabulas.

Et veró dogma fidei est Justis ab omni labe purgatis illicó cæleſtem beatitudinem concedo quæ æterna est, nulliqué viciſsitudini obnoxia. Non ergò illis aùt nunc, cùm jam ipsis nihil lugendum ſuperest, aùt déinceps, nimirum post mortuorum resurrectionem per mille annos differenda opinari, vel ullo modo credi potest.

Objicies 1mo. Apocalypsis cap: 20. dicitur Sanctos post resurrectionem regnaturos cùm Christo per mille annos. 2do. Math: cap: 26 Apostolis ſuis Christus appromisit ſe cùm illis bibiturum vinum in regno Patris ſui, ipsisqué prædicit Lucæ cap: 22. quia edent, & bibent ſuper mensam in regno ipsius, terrenô utiqué non cælesti. *3tio.* Millenariorum dogma nititur traditione Apostolica, Papias siquidem Hieropolitanus Episcopus illud didicit à S. Joanne Evangelista, atqué alii déinceps vetustiſsimi Patres idipsum docuerant nimirum Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus.

Resp: ad 1mum. Qui per mille annos Sanctos cùm Christo in terris regnaturos effingebant, istud regnum futurum putabant statim post universalem corporum resurrectionem. Jam veró S. Joannes Apostolus Apocalipsis cap: 20. dicit: Sanctos cùm Christo per mille annos in terris regnaturos anté universalem mortuorum resurrectionem, anté adventum Antichristi, cujus persecutionem nonnisi consummatis mille annis futuram eſse ſcribit, non itaqué fictium illud millenarium regnum Joannes Apostolus describit, ſed illud tempus annotavit, quod à morte Christi, usqué ad adventum Antichristi decurrit, quod & si mille annor in ſpatium longé ſuperet, non insolita tamen Sacrarum Scripturarum phrasi millenario numero definitum est, undé S. Augustinus libro 20. de Civit: Dei cap: 7mo inquit: *Mille annos pro annis omnibus hujus ſæculi posuit ſacer ſcriptor, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.* Per istud ergó totum tempus, quod à morte Christi usqué ad adventum Antichristi, & déinceps ad finem mundi decurrit, Sancti cùm Christo in terris regnabunt, quia & Christo data est omnis potestas in cælo, & in terra, & Sancti Eccleſiæ præsunt, officiis, ac muneribus ſuis primas partes tenent, atqué debito honoris cultû à fidelibus officiuntur.

Ad

Ad 2dum. Regnum illud, in quo Christus novum vinum cùm Discipulis suis se biviturum appromisit, & in quo illi ad mensam sedere, manducare, & bibere debebunt, non est regnum terrenum, sed cæleste, quod sæpius in sacris Scripturis sub imagine nuptiarum atqué epularum repræsentatur, potus ergó ille, atqué esca non literaliter, sed figuratè accipienda sunt, quia ut docet Apostolus Paulus Epist: ad Roman cap: 15. *Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.*

Præterea istiusmodi Christi prædictio, atqué promifsio commodé referri potest ad illud tempus, quod à Christi resurrectione ad ipsius decurreret Ascensionem, tunc enim sæpius apparuit Discipulis suis, & cùm ipsis manducavit, ac bibit, & aliundè tempus illud nomine regni designatur Math: cap: 16. eô quod Christus jam tunc cæperit datam sibi à Patre exercere potestatem.

Ad 3tium. Papias Hieropolitanus Episcopus non S. Joannis Apostoli, sed alterius Joannis Præsbyteri auditor, & discipulus fuit. Id habemus ex Eusebio libro 3tio cap: 39. qui & addit Papiam virum fuifse adeò mediocris ingenii Et quamquam ipsius pietate, & authoritate multi in hunc errorem inducti fuerint, plures tamen eidem palam restiterunt, undé indubitatum est, Sæculo 5to Millenariorum figmenta omnium consensione explosa fuifse Qui veró anterioribus sæculis ea secuti sunt, hanc suam doctrinam non proponebant ut fidem Ecclesiæ, sed ut meram opinionem, quam à multis impugnari non ignorabant, & in qua ipsi non admodum firmi stabant, nequé erant inter se consentientes, sed tot feré apud eos sensus erant, quot capita.

Quæres 9. Quid sentiendum sit de animabus hominum, quæ morte à corporibus separantur quibusdam adhuc minoribus peccatorum maculis inquinatæ?

Resp: Animæ mortuorum quibus adhuc aliquid ad expiandum superest, in Purgatorio detinentur donec plené à superstitibus peccatorum maculis expurgentur. Enimveró ex Sacra Scriptura certum, & indubitatum est, in futura vita peccata à Deo hominibus dimitti, atqué animas mortuorum ab illis Divina miseratione absolvi, undé etiam antiquifsima in Ecclesia viget consvetudo, Deum præcibus exorare, Sacrificia offerre pro remifsione peccatorum, illorum scilicet, qui cùm pietate in Domino moriuntur. Et id manifestifsimum efficitur ex libro 2do Machab: cap: 12.

12. ubi Judas *facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolimam offerri pro peccatis mortuorum*, atqué ex eo statim subinfertur, *Sancta ergó & salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut à peccatis solvantur.* Et Math: cap: 12. dicit Christus. *Quicunqué dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, nequé in hoc sæculo, neque in futuro.* Undé apparet post hoc nostrum sæculum, in futuro eſse locum, in quo remittuntur peccata. Cum veró mortuorum peccata nequé remittantur in Cælo, quia nihil coinquinatum in illud intrare potest, nequé in Inferno, quia indé nulla redemptio. Superest itaqué ut sit Purgatorium, in quo mortuorum animæ detentæ à peccatis expiantur, illisqué pænæ temporales per peccata contractæ remittuntur. Quare pro iis ex antiquiſsima Ecclesiæ consvetudine, orationes persolvuntur, Sacrificia offeruntur. Et hujus rei testes habemus locupletiſsimos, imprimis S. Chrysostomum, qui homil: 69. ad Populum sic inquit. *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum Mysteriorum, memoria fieret eorum, qui hinc disceſserunt, noverant enim illis multum hinc æmolumenti accedere.* Eandem Apostolicam traditionem, & universalem Ecclesiæ consvetudinem attestatur S. Augustinus in libro de cura pro mortuis cap: 1. ubi hæc habet. *Sed etsi nunquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consvetudine claret auctoritas, ubi in præcibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum.* Doctrina itaqué de Purgatorio tum ex Sacra Scriptura, tum ex Divina traditione luculentiſsimé probatur, atqué solidé evincitur. Hinc meritó Trident: Concilium Seſs: 6ta Canone 30. definivit. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori penitenti ita culpam remitti. & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſsit, anathema sit.*



TRA-

TRACTATUS
DE
SS. TRINITATE
CAPUT PRIMUM
De Mysterio SSmæ Trinitatis.

Quæres. In quo consistit Mysterium SSmæ Trinitatis?

Resp: Mysterium SSmæ Trinitatis in eo situm est, ut tres Personas confiteàmur, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, reàliter quidem inter se distinctas, sed quæ unam, eandemqué numerô naturam habent. Harum prima, quæ Pater dicitur, à nullo alio fonte procedit, sed est ipsa totius Trinitatis fons, & origo. Filius à Patre est, non per creationem, sed per æternam, & ineffabilem generationem, Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit, non tamquam à duòbus principiis, sed tàmquam ab uno, eodemqué principio propter unitatem eſsentiæ, & virtutis spirativæ, quæ in Patre & Filio est. Atqué propter eandem eſsentiæ unitatem Pater est totus in Filio, & Spiritu Sancto, Filius item totus in Patre & Spiritu Sancto, ac demum Spiritus Sanctus totus in Patre & Filio, nec ulla alia poni, aut excogitari potest inter has Divinas Personas distinctio præter eam, quæ ex Divinis relationibus exoritur.

ARTICULUS Imus

De iis, quæ ad intelligendum Mysterium Trinitatis, scitu sunt neceſsaria.

Quæres 1. Ad intelligendum Mysterium Trinitatis, quæ sunt scitu neceſsaria?

Resp:

Resp: Ut rectè Mysterium Trinitatis intelligatur scire oportet quid sit natura, eſsentia, substantia, Persona, Hypostasis, Subsistentia, Suppositum, Circuminseſsio. Horum enim perpetuus est usus, dum de Trinitate sermo instituitur.

Quæres 2. Quid sit eſsentia, natura, & substantia?

Resp: Quamquam hæc tria nomina ad Gramaticæ leges exacta, vel secundum subtiliores Philosophos considerata inter se non nihil differunt, in Divina tamen Trinitate, communi loquendi usu, pro eodem sumuntur, pro eo scilicet quod rem quamlibet in suo statu atqué ordine constituit, & quod allegari, adduciquè solet interroganti quid res sit. Undé Theologi indiscriminatim aſserunt, unam eandemqué eſse in Patre, & Filio ac Spiritu Sancto numericam eſsentiam, naturam, substantiam. Attamen apud Veteres, etsi in dogmate summa erat consensio, aliqua tamen in verbis invenitur discrepantia. Imprimis enim aliqui substantiam opponebant eſsentiæ, & unam quidem eſse in Trinitate eſsentiam prædicabant. tres autem substantias. Nec defuerunt, qui rectius putàrunt Deo tribuendam eſse eſsentiam, quàm naturam, quia secundum nominis ethymologiam natura dici videtur quasi nata, quod Deo non competit.

Quæres 3. Quid sit Persona Hypostasis?

Resp: Trita, & communiter accepta est ea Personæ definitio, quam tradit Boëtius in libro de duabus naturis, scilicet Persona est rationalis naturæ individua substantia, sivè subsistentia. Quod verò Latini personam, hoc modo Græci hypostasim vocant. Antiquitus tamen non infrequenter nomine hypostasis naturam seu eſsentiam intelligebant. Indé originem traxit celebre illud Ecclesiæ Antiochenæ diſsidium sæculo 4to exortum. Paulinus enim cùm nonnullis suis, præcipué autem cùm Occidentalibus tres Divinas hypostases dicere reformidabant, ne diversitas substantiæ in Divinas Personas induceretur. Meletius contra cùm Orientalibus tres in Deo hypostases liberé prædicabat. Sed de nomine diſsidium erat. Qui enim tres hypostases dicere reformidabant, hypostasis nomine naturam, seu eſsentiam intelligebant. quæ multiplex in Deo eſse, & dici nequit. Qui autem tres hypostases prædicabant, nihil aliud hypostasis nomine denotabant, quàm personam, quæ triplex in Divinis recté statuitur. Posteà tamen rebus magis declaratis, nomen hypostasis ad designandam Personam ubiqué obtinuit.

Quæ-

Quæres 4. Quid nomine subsistentiæ ac suppositi intelligendum sit?

Resp: Hæc vox subsistentia usurpata aliquando fuit ad designandam personam, sumpta scilicet pro ipsa essentia Divina relationibus affecta, undé Synodus Romana sub Agathone celebrata profitetur *unitatem quidem essentiæ, Trinitatem veró Personarum, sivé subsistentiarum.* Hodie tamen communiter hæc vox accipitur pro ipsa personalitate.

Jam veró inter Suppositum ac Personam hoc unum discrimen intercedit, quod nomen Personæ soli naturæ, quæ rationis compos est, tribuitur, veluti Angelo, homini. Suppositum veró etiam de substantiis ratione carentibus dicitur, ùt Equus, Canis suppositum dici possunt, non veró Personæ.

Quæres 5. Quid sit circuminsessio?

Resp: Circuminsessio, est mutua Divinarum Personarum in se invicem coëxistentia, ita ut Pater sit in Filio, hic vicissim in Patre, uterqué in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in utroqué. Hujus veró circuminsessionis nulla suppedit, in rebus creatis perfecta similitudo.

Quæres 6. Quinam circa Mysterium SSmæ Trinitatis emerserunt errores?

Resp: Quoniam duplici potissimum capite totum SSmæ Trinitatis Mysterium continetur, Trinitate scilicet Personarum, & unitate ejusdem singulis essentiæ, contra utrumqué caput, quadruplex emersit Hæreticorum classis.

Primó: Personarum Divinarum distinctionem negaverunt Simon Magus, deinde Valentinus, Praxeus, Noëthus, ac tandem Sabellius. Hi omnes realem Divinarum Personarum distinctionem inficiabantur, atqué asserebant Deum, non natura solum, & essentia, sed etiam Persona unum esse, sub triplici appellatione Patris nimirum, Filii & Spiritus Sancti, undé dicti sunt Patripassiani, quia in Cruce Patrem etiam Divinum passum esse affirmabant. Eodem post Sabellium errore infesti fuerunt, Paulus Samosatenus, Photinus Priscillianistæ & alii Hæretici.

Secundó: Personarum Divinarum consubstantialitatem tollebant Valentinus. Cerdo, Marcian, Appelles, atqué Apolinaris. Hi omnes duos Deos admittebant, aùt unum bonum, alterum malum, aùt unum bonum, qui alium produxit, à quo Cælum, & terra, ceteraqué, quæ in hoc mundo cernimus creata sunt. His accedunt Tritheitæ quorum Signifer fuit Joannes Phyloponus Philosophus.

Isti

Isti putârunt tres SSmæ Trinitatis Personas esse totidem Deos, à se invicem numericâ naturâ distinctos.

Tandem Abbas Joachim in Concilio Lateranensi 3tio damnatus. Is statuebat tres Personas Divinas sola collectione esse Deum unum, eó feré modô, quô plurimi Cives sunt unus populus, per se ergó nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum esse Deum dicebat, sed ex iis simul junctis Deum coalescere.

Tertió: Verbi Divini, seu Filii Dei, ac proindé Christi Domini Divinitatem expresſé impugnarunt Cerinthus, Libion, qui contendebant Christum purum fuisse hominem, & communi ceterorum hominum more ex Josepho, & Maria natum fuisse. Paulus quoqué Samosatenus Christum purum fuisse hominem blasphemabat. Sed præcipué Arius, à quo Ariani dicti sunt verbi Divini, ac Christi Divinitatem impugnavit, docebatqué.

1mó: Deus non semper fuit Pater, sed tempus extitit cum minimè esset Pater.

2dó: Verbum Dei non semper fuit, sed ortum ex non extantibus, id est ex nihilo, proindé tempus aliquando fuit, cum non esset.

3tió: Filius creatura est. Nequé veró similis est Patri secundum substantiam, nequé verum ac genuinum Dei verbum, nec vera ejusdem Sapientia.

In tres autem Sectas Divisi sunt Ariani, *1ma:* Fuit eorum, qui rigidé Ariani & omnibus Arij erroribus tenaciter addicti erant, & hi Anomæi vocabantur eò, quod Filium Patri in omnibus dissimilem esse contendebant. Hujus factionis duces præcipui erant Actius, & Eunomius, undé dicti sunt Actiani, & Eunomiani. *2da:* Eorum fuit, qui Semiariani nuncupati sunt. Hi vocem consubstantialem reijciebant, & Filium Patri in omnibus, ac proindé in essentia etiam similem prædicabant. Hujus factionis principes extiterunt Basilius Ansyranus, & Georgius Laodicenus. *3tia:* Deniqué factio, Arianorum illorum fuit, qui Filium Dei, nec Patri consubstantialem cum Catholicis, nec in omnibus similem cum Semiarianis, nec etiam dissimilem cum Actianis & Eunomianis agnoscebant, sed tantum similem, non in natura, sed in quadam repræsentatione esse affirmabant. Factionis hujus caput fuit Acularius Cæsariensis Episcopus Arianorum perfidiam renovavit Servetus, & auxit. Tandem Lælius Socinus, Sectæ Socinianorum caput, docuit· *1mó:* Tres in Deo non esse distinctas Personas, ſed unum ſolummodó natura, & per-

sona Deum, qui Pater dicitur. *2dó*: Verbum Patris, seu Filium meram eſse creaturam, & quæ non extitit antequam ex Josepho & Maria nasceretur. *3tió:* Christum appellari poſse Deum non natura, sed gratia, & adoptione, propter excellentem potestatem, quâ à Deo Patre instructus fuit.

Quartó: Spiritùs Sancti divinitatem impugnârunt Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, qui affirmabat Spiritum Sanctum meram eſse creaturam, seu ministrum Dei, Deo longé inferiorem. Sociniani pariter Spiritum Sanctum blasphemabant, quem non natura & substantia Deum eſse agnoscebant, sed tantùm virtute & efficacia Dei ministrum eſse blaterabant.

Quæres 7. Quæ, & qualis cautio adhibenda est in loquendo, cum de Mysterio SSmæ trinitatis sermo instituitur?

Resp: Maxima cautione opus est in verborum delectu, ubi agitur de Mysterio SSmæ Trinitatis, quamobrem Theologi quosdam veluti Canones constituerunt, ut ad illorum præscriptum loquendi formulæ exigantur.

Itaqué *1mó:* Nomina substantiva in plurali numero de Deo dici non poſsunt, quia substantiæ multiplicitatem significant, undé falsæ eſsent hujusmodi propositiones. *Pater Filius, Spiritus Sanctus sunt tres Dij, vel tres Domini.* Nomina veró adjectiva multiplicari poſsunt, quia afficiunt Personam, non substantiam, undé nihil vetat quin dicamus. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres æterni, tres Omnipotentes.* Id quidem in Symbolo Athanasiano prohibetur, quia ibi hæc nomina summuntur substantivé, sed si sumantur adjectivé, sic dici poſse permittitur, & reverá in eodem Symbolo hoc modo pronuntiatur. *Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Cum igitur apud aliquos Patres, hæc & similia nomina plurali numero usurpata loquuntur, adjectivé intelligi debent, cum veró singulariter prædicantur, substantiva sunt.

2dó: Recté dici potest, *Deus, Deum genuit* si nomine Dei intelligatur Persona, quaré bené Patres Nicæni in Symbolo appellant Filium *Deum, de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo veró*: Deus enim in his propositionibus summitur pro Persona, quæ generat, & gignitur. Sed si hoc nomen Deus, summatur pro eſsentia tunc falsa erit hæc propositio, quia eſsentia nec generat, nec generatur.

3tio

3tiò: Trinitatem de Deo recté, & absoluté dici, significat enim numerum ternarium Personarum, sed triplicitus dici non potest, quaré dici nequit *Deus triplex est*, quia triplicitas significat proportionem inæqualitatis, est enim species proportionis inæqualis. Undé Augustinus libro de Trinit: cap: 1mo sic inquit. *Nec quoniam Trinitas est, ideó triplex putandus est, alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater, & Filius.*

4tò: Deitas quô ad ipsam sumpta naturam una est, quô ad Personam, ſeu personaliter accepta trina est, quaré meritò dicitur *Trina, unaqué Deitas*, undé celebris illa sæculo nono exorta controversia de trina Deitate pura, putaqué erat logomachia, seu de nomine quæstio, cum utraqué contra vertentium pars, Catholicé sentiebat. Qui enim trinam Deitatem dicere vetabant, naturam Divinam intelligebant, quæ numerô una est, qui veró trinam Deitatem dicere poſse autumnabant, Personam denotabant, quæ trina est.

5tó: Generaliter veró nomina, quæ Personis Divinis ratione eſsentiæ conveniunt, singulari numero enuntiari debent, quæ verò iisdem ratione proprietatum personalium competunt, plurali numero. Hinc *1mo* una est in Deo existentia, tres autem subsistentiæ. *2do:* una æternitas, una infinitas, non tres æternitates, infinitates. *3tio:* ex æquo dici potest vel unam rem eſse Trinitatem, si designetur eſsentia, vel tres si designentur Personæ. *4to:* dici potest alius Pater, alius Filius, non tamen aliud, quia nomen alius denotat Personam, aliud, naturam. *5to:* potest dici solus cum additi alicujus implicatione exg: *solus Deus est, æternus*, non autem absoluté, & siné ulla additione, quia sic sequeretur Deum eſse solitarium, nec Personas inter ſe distingvi. *6to:* nulla ratione potest Deus appellari singularis, vel unicus, tribus enim Personis Deitas communis est.

ARTICULUS 2dus

De fide & agnitione Mysterij SSmæ Trinitatis.

Quæres 1. Utrum Mysterium SSmæ Trinitatis lumine naturali cognosci poſsit?

Resp: Mysterium SSmæ Trinitatis, siné Divina revelatione, solo lumine naturali cognosci non potest. Enimveró

verò Math: cap: 11. inquit Christus. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Undé etiam quando Petrus Christi Divinitatem confeſsus est, dixit illi Dominus Math: cap: 16. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & Sangvis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis est.* Quibus verbis manifesté declarat Christus hujus Mysterij notitiam non ex humana ratione, sed ex una Divina revelatione proficisci.

In eandem sententiam conspirant SS. Patres. S. Hilarius libro 8vo de Trinitate sic inquit: *Hoc Ecclesia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc Philosophia non sapit, unum ex uno, & totum à toto, Deum, & Filium.* S. Ambrosius libro 1. de fide ad Gratianum cap: 10. *Impoſsibile est generationis verbi Divini scire secretum, mens deficit, vox silet.* Tandem S. Augustinus libro 1. de Trinit: cap: 2do loquens de Trinitate quæ unus Deus est, sic inquit: *Humanæ mentis acies invalidam tam excellenti luce non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur*, undé etiam sibi proponit, secundûm auctoritatem Sacrarum Scripturarum Mysterium Trinitatis demonstrare, & garrulis ratiocinatoribus respondere.

Sola itaqué ratione naturali sinè fidei auxilio Trinitatis Mysterium demonstrari nequit. Omnis namqué demonstratio vel à priori est, vel à posteriori. Porrò Trinitas Personarum Divinarum nequé à priori demonstrari potest, nequé â posteriori. Non à priori, quia divinæ Trinitatis nulla est causa, sicuti nec Deus ullam habet causam. Nequé â posteriori, quia hujus universi creaturæ non sunt effectus Dei, ut trinus est in Personis, sed ùt unus est, pendent enim creaturæ à Dei sapientia, omnipotentia, & ipsius voluntate, quæ proprietates ad Dei naturam ſpectant, quæ una est.

Cum itaqué SSmæ Trinitatis Mysterium humano ratiocinio non potuerit detegi, evidens est, illud nonnisi ex Divina revelatione fluxiſse.

Dices: In creaturis plura sunt Trinitatis vestigia, delineationes, ac veluti imagines, quas Sancti Patres sæpé afferunt. Homo exg: dicitur Trinitatis imago, propter memoriam, intellectum, & voluntatem, quæ potentiæ sunt unius animæ, inter se tamen distinctæ. Porrò facile est ex vestigiis & imaginibus in cognitionem prototypi devenire.

Resp: Hæc omnia vestigia, delineationes, & imagi-

nes Trinitatis, nobis quidem aliquod adferunt præsidium ad majorem ipsius intelligentiam supposita scilicet ejusdem existentia, quæ per revelationem habetur, nos tamen ex iis solis Trinitatis existentiam colligere poſsumus.

Quæres 2. Utrum Judæis Mysterium SSmæ Trinitatis notum fuerit?

Resp: Quamvis rudi Hebræorum populo claré & expreſsé Mysterium SSmæ Trinitatis non innotuerit, primoribus tamen in populo, ac præcipué Sanctis Patriarchis, & Prophetis integram SSmæ Trinitatis revelationem fuiſse factam, certum est. Id plané antiquis Sanctis Patribus persvasum fuit, undé S. Epiphanius libro 1. de Hæres: hæc habet: *Trinitas semper in illa singulari Divinitate nuntiata, creditaque ab illis est, qui ceteris antecellerant, cujusmodi Prophetæ, atqué eximia Sanctitate præditi homines fuerunt*, & S. Fulgentius libro de fide ad Petrum cap: 1. *Fides quam Sancti Patriarchæ, atqué Prophetæ, anté incarnationem Filij Dei Divinitus accéperunt, unum Deum prædicat Trinitatem, id est Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Imò id satis luculenter Christus ipse indicavit, cum dicit Math: cap: 13. Prophetas, aliosqué veros Sanctos, fuiſse desiderio eum videndi accensos. *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre, quæ videtis*, & Joann: cap: 8vo. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Undé veró vehemens illud Sanctorum desiderium, nisi ex facta illis revelatione Mysterij Incarnationis, quod Trinitatis Mysterium supponit, nec siné illo cognosci ullo modo potest. His addi potest Philonis doctiſsimi inter Judæos, exemplum, cui pluralitatem Divinarum Personarum fuiſse cognitam, vix quispiam in dubium vocare potest.

Cur veró Deus non omnibus Judæis Mysterium Trinitatis claré, & expreſsé proposuerit, hæc imprimis à Sanctis Patribus afferri solet ratio, quod timendum erat, ne craſsum, ignarum Judæorum vulgus in Trinitate plures Deos adoraret, cum aliundé ad idololatriam ex se nimium proclives eſsent. Hinc Theodoretus libro de curatione Græcorum affectionum Serm: 2. sic inquit de Judæis. *Cum in Ægypto diutiſsimé versati eſsent, multorumqué ibi Deorum cultum ritu Egyptiaco didiciſsent, sapientiſsimus Deus nequaquam illis manifesté omnia Trinitatis Mysteria tradidit, ne ex ea multitudinis Deorum occasionem sumerent.*

Quæ-

Quæres 3. Gentilium Philosophis an aliquo modo innotuerit Mysterium Trinitatis?

Resp: Gentilium Sapientiores, atqué Philosophi, rectam, accuratamqué SSmæ Trinitatis notitiam minimè habuerant. Trinitatis siquidem Mysterium consistit in numerica ejusdem in tribus distinctis personis naturæ unitate. Porrò nihil tale agnoverunt veteres Philosophi, imò potius, teste Lactantio, & Origine, non paucis eorum, Christiana Religio maximé propter Mysterium SSmæ Trinitatis absurda eſse videbatur. Sed quamvis aliqui Gentilium quidquam licet obscuré de Trinitate innuerint, atqué de illa cognoverint, id certé non humano ratiocinio comparârunt, ſed id totum ex nostris Sacris Libris, tum Veteris, tum Novi Testamenti hauserunt. Cum enim ardenti discendi studio tenerentur, undiqué Judæorum, ac Christianorum libros conquirebant, atqué studiosé perlegebant. Certè S. Ambrosius putavit Platonem ab Jeremia Propheta edoctum fuiſse, & S. Augustinus aſserit se in quibusdam Platonicorum libris totum primum Caput Evangelii S. Joannis inveniſse.

Dices: Sancti Justinus, Augustinus, Clemens, Alexandrinus, & alii apertè tradunt pluribus Gentilium Philosophis, maximé verò Platoni Trinitatem fuiſsé cognitam, quaré illorum verba, sententiasqué persæpè laudant, ostendentes Trinitatem vel ipsis etiam Gentilium Philosophis notam fuiſse.

Resp: Sancti Patres tribuebant Gentilium Philosophis Trinitatis cognitionem, non apertam, atqué completam, sed imperfectam tantùm, ac valdé obscuram, hancqué cognitionem fuiſsè à Philosophis non ratiocinio humano comparatam, sed ex nostris Sacris libris haustam. Hoc autem libenter Gentilibus objiciebant, ut indè ostenderent non eſse absurda nostræ Religionis Mysteria, quandoquidem vel ipsis eorum ſapientibus probabilia visa sunt.

Verùm de Platone duplex est Sententia. Alij namqué putant illum ex libris Sacris Trinitatem didiciſse, aut ex commercio cùm Judæorum peritioribus hanc notionem hausiſse. Alij verò affirmant Trinitatis Mysterium Platoni prorsus fuiſsé incompertum, & quæ ex illis scriptis alleguntur, quasi Trinitatem sonantia, longé alium habere sensum, nimirûm putant illi Platonem tres Deos excogitaſse, quorum unus omnium ſummus omniumqué causa est, ſecundus verò minor à primo factus, & creatus, qui est mens aliqua suprema, tertius autem Deus à se-

cundo factus, nihilqué est aliud quâm mundi quædam anima. Quantùm verò hæc Trinitas Platonica, â Christiana discrepat nemo non videt.

Quæres 4. Quibus ergó argumentis ex revelatione desumptis, Mysterium SSmæ Trinitatis probatur?

Resp: Trinitas distinctarum in una Divina natura Personarum, ex Sacris Scripturis veteris, & novi Testamenti evincitur. Et *primo* quidem quod attinet vetus Testamentum. Pluralitas Divinarum Personarum indicata est in verbis Genesis cap: 1. quibus Deus in numero plurali, quasi consultans, ac deliberans inquit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, & iterùm cap: 3tio: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, ac demùm cap: 11. cum fabricaretur turris Babil: dixit Deus. *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Nequé dici potest in his locis Deum ad Majestatis, autoritatisqué significationem, principium more plurali numero usum fuisse. Cur enim Deus alibi eadem phrasi non est usus, in universa namqué Sacra Scriptura Deus singulari numero loquitur, pluraliter verò nonnisi tunc, cum innuit numerum Trinitatis personarum. Addi potest apud Hebræos nunquam eum obtinuisse morem, ut reges, vel Magistratus se in plurali numero nominarent. Cum itaqué Deus in allatis Geneseos locis numero plurali loquatur, ad pluralitatem Personarum significandam sic locutus est.

At inquis dum dicit Deus *faciamus hominem* alloquitur Angelos ut ministros operiosus, terramqué ceteraqué elementa ex quibus formatus est homo.

Resp: Iis verbis non alloquitur Deus Angelos, aut elementa, non enim ad illorum imaginem, sed ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo. *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, proindé allocutio, ac consultatio hæc inter æquales Personas facta est.

Mentio etiam duarum in Divinitate Personarum fit in Psalmis David Regis, scilicet in Psalmo 2. qui feré totus est de Christo Dei Filio. Namqué versu 1mo, & 2do dicitur. *Quare fremuerunt gentes. Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus.* Hic duo nominantur, Dominus scilicet, & Christus ejus, & hæc verba Petrus, & Joannes Apostoli, Actorum cap: 4. Christo accommodant. Deindé versu 7. dicitur. *Dominus dixit ad me. Filius meus es tu. Ego hodie genui te.* Et hic aperté fit mentio Patris fili-

filium generantis, & filii geniti. Hæc autem verba de Christo Dei filio esse intelligenda ex eo constat, quod iis usus fuerit Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos cap: 1mo ad Divinitatem Christi comprobandam, quod etiam subsequentia ejusdem Psalmi verba evincunt versu 9no, quibus Pater dicit filio. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea.* Quæ & nulli alio, nisi Christo Dei filio inservire atqué quadrare possunt & S. Joannes in Apocalipsi cap: 19. Christo illa expressè accomodat.

Præteréà Psalmo 109. plures in Divinitate indigitantur Personæ. Sic enim habet sacer textus. *Dixit Dominus Domino meo. Sede à dextris meis. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum*, *ex utero anté Luciferum genui te. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Binæ hæc Divinæ memorantur Personæ, scilicet Dominus, & Dominus, *Dixit Dominus, Domino meo*, deindé generans, & ex utero genitus. *Anté luciferum genui te*, tandem Sacerdos in æternum, constitutus â Domino sub fide juramenti. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum.* Hæc porró omnia de Divinis Personis intelligenda sunt. Siquidem & Christus Math: cap: 22. prædictum adhibuit Psalmum ad Divinitatem suam comprobandam, & certé eô successu, ut Pharisæi Divinitatis illius hostes, facti sunt muti, & nihil ad hæc respondere poterant, Paulus etiam Apostolus in Epist: ad Hebr: cap: 7. ex supra dicto Psalmo æternum Christi deducit probatqué Sacerdotium, eô igitur pluralitas Divinarum Personarum recté probatur, ac legitimé evincitur.

Tandem totius Trinitatis non obscurum vestigium habetur in Psalmo 32. ubi hæc legimus. *Misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ac præteréà plura sunt loca, in quibus Spiritûs Sancti Persona commemoratur. Sapient: cap: 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* & cap· 9no Deo dicitur. *Sensum tuum quis sciet, nisi tu miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis.* His si addantur illa, quæ de Divina Filii Persona, atqué de Christi Messiæ divinitate scripta sunt, luculentissimé apparebit ex veteris Testamenti Scriptura, Trinitatem Divinarum Personarum abundantissimé probaré, atqué solidé evinci.

Verùm tamen pro Trinitate Divinarum Personarum, clari-

clariora sunt in Novo Testamento Sacræ Scripturæ testimonia. Primum testimonium, ac insigne argumentum ad demonstrandam Trinitatem Divinarum Personarum, suppeditat nobis forma Baptismi à Christo Domino instituta Math: cap: 28. *Euntes docete omnes gentes, Baptisantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*; quibus verbis invocatio trium Personarum mirificé expreſsa est. Aliud luculentiſsimum Trinitatis nobis suppeditat argumentum ipsum Christi Baptisma, cujus historiam Sancti Evangelistæ Mathæus, Lucas, & Marcus descripserunt. Ibi enim expreſsa est; & distincta trium Personarum mentio. 1mo: Pater de Cælo loquitur: *Hic est Filius meus dilectus*, quibus verbis & suam, & Filii Personam luculenter declarat, deindé Spiritus Sanctus *deſcendit corporali ſpecie ſicùt columba.* Sed non minus perspicuè distincta Personarum Trinitas in iis verbis continetur, quibûs Christus Dominus Joan: cap: 14. Discipulis suis Spiritum Sanctum Paracletum promisit *Ego rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis Spiritum veritatis*, & cap: 15to. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* In his itaqué Christi verbis expreſsa, distinctaqué trium Personarum continetur mentio, scilicet Patris, qui rogatur, Filii qui rogat, & Spiritûs Sancti qui à Patre procedit, & mittendus promittitur.

Demùm decretorius planè est locus S. Joannis Epist: 1. cap: 5. *Tres ſunt qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres ſunt, qui testimonium dant in terra Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Scilicet S. Joannes hanc exoravit Epistolam, ut adversùs Simonianos, Ebionitos, aliosqué Hæreticos Christi Divinitatem, simul & humanitatem comprobaret, proindè tria è Cælo adducit testimonia, quæ Christi Divinitatem comprobant, nimirum Patris, cujus illa vox audita fuit. *Hic est filius meus dilectus.* Filii, qui doctrina, & miraculis sibi ipsi testimonium perhibuit, & Spiritûs Sancti, qui sub columbæ specie suprà Christum in Jordan descendit. Humanitatis veró ejusdem Christi testes adducit, Spiritum, quem Cruci affixus, emisit, aqua & sangvis, quæ de ipsius laterè affluxerunt. Utrobiqué veró à S. Joanne tria laudantur testimonia ad hoc, ût quemadmodum Spiritus humanus, aqua, & sanguis tres sunt diversæ substantiæ, ita Pater,

Ver-

Verbum, & Spiritus Sanctus tres sint distinctæ Personæ.

Dices: Ex illo S. Joannis versiculo, *tres sunt:* non evincitur tres esse in Deo Personas unius ejúsdemqué naturæ, sed potius contrarium undé probatur. Eodem namqué sensu dicitur de Patre, Verbo, & Spiritu Sancto. *Et hi tres unum sunt*, ac de Spiritu Christi humano, aqua, & sanguine. *Et hi tres unum sunt.* Porró hæc tria posteriora, non sunt unum in natura, sed solùm unum sunt unitate testimonii. Ergò etiam & tria priora unum sunt non unitate naturæ, sed unitate testimonii.

Resp: Cum dicitur de Patre, Verbo, & Spiritu Sanctô. *Et hi tres unum sunt*, rectè istud intelligimus de unitate naturæ, quæ eadem est in tribus Divinis Personis, quia huic non solum non repugnant, sed mirificè consentiunt alia innumera Scripturarum loca, quibus consubstantialitas trium Divinarum Personarum comprobatur. Verùm hic potissimum agitur de Trinitate Personarum, consubstantialitatem illarum inferiûs prolixè demonstrabimus. Utrumquê tamen in adducto Joannis textu reperitur, dicit enim Apostolus, *tres sunt*, scilicét Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, ergò non una persona, *Et hi tres unum sunt*, unica itaquè non multiplex est substantia, natura. Jam veró cum de Spiritu Christi humano, sanguine & aquâ pariter ponitur, *Et hi tres unum sunt*, longe alio sensu explicanda sunt, de unitate scilicet testimonii, non de unitate essentiæ, quia cum ratione pugnat illa tria unius esse naturæ. Undè etiam in textu Græco, positum est. *Et hi tres in unum sunt*, quemadmodum nunc etiam Græci legunt, id est in unum, idemqué testimonium conspirant. Deniquè dici possunt etiam unum esse in humana Christi natura, cujus veritatem in passione ipsius demonstrabant.

2dò: Ex traditione etiam Trinitas Divinarum Personarum evincitur. Namqué dogma trium distinctarum in Divinitate Personarum à primis statim Religionis Christianæ temporibus, semper in Ecclesia viguit, statimquè ac Noéthus, Praxeus, Sabellius, aliiqué pestilentissimi Hæretici, Divinarum Personarum pluralitatem, atqué distinctionem tollere conati sunt, omnes fideles contra ipsos, veluti Novatores insurrexerunt. Atqué imprimis contra Praxeum Trinitatem Divinarum Personarum vindicavit Tertullianus. Noèthum impugnavit S. Hypolitus Episcopus, & Martyr. Deniqué quando majori licentia eadem hæresis de novo erupit, & per Sabellium disseminari cæpit,

pit. S. Dyonisius Alexandrinus contrà eam fortiſsimè pugnavit, tùm & alter Dyonisius qui Romanam Ecclesiam regebat, Sabellii Blasphemias, qui Personas confundebat, tùm & aliorum quorumdam errorem, qui tres Deos prædicabant, condemnavit. Eadem Trinitatis fides in duobus Conciliis Antiochenis contrà Paulum Samosatenum, Annô 264. & 269. celebratis, confirmata fuit. Omnes verò Ecclesiæ Patres complexus est S. Augustinus libro 1mô de Trinit: Cap: 4, ubi sic inquit. *Omnes, quos legere potui, qui antè me ſcripserant de Trinitate, quæ Deus est Divinorum librorum veterum, ac novorum Catholici Tractatores, hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unius ejusdemque ſubstantiæ inseparabili æqualitate Divinam insinuent unitatem, ideòque non sint tres Dij, sed unus Deus.*

Objicies: Joannis cap: 17 Christus dicit solum Patrem eſse verum Deum. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Pariter Apostolus Paulus in Epist: 1. ad Corinth: cap: 8vo inquit: *Nobis unus Deus Pater.*

Resp: Patrem in allegatis textibus dici ſolum verum Deum per exclusionem falsorum Deorum, quos Gentiles colebant, non autem per exclusionem Filij, & Spiritûs Sancti. De Filio siquidem, idem S. Apostolus Epist: 1ma cap: 5to dicit: *Hic est verus Deus, vita eterna*, ergò eodem modo sicùt & Pater, & verus Deus est, & vita æterna. Et de Spiritu Sancto in Evangelio cap: 14to docet, quòd à Patre procedat, quemadmodum igitur Pater, ita & Spiritus Sanctus verus Deus est. Eodem quoque ſensu Paulus Apostolus dicit unum eſse Deum Patrem, per exclusionem scilicet falsorum Deorum sic enim inquit. *Et si ſunt, qui dicuntur Dij, sivè in cœlo, sivè in terra, siquidem ſunt Dij multi & Domini multi, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Hic ergò expreſsè Apostolus falsis Diis, & falsis Dominis opponit unum verum Deum Patrem, & unum verum Dominum Jesum Christum. Et quemadmodum dum dicit Paulus unum eſse Dominum Jesum Christum, ab hoc non excludit Patrem, ita quoquè dum dicit unum Deum eſse Patrem, ab hoc non excludit Christum; imò in eodem textu expreſsè aſserit illum eſse verum Deum æqualem Patri parem illi cum Patre tribuens potentiam, sicuti enim

de Patre affirmat, *ex quo omnia, & nos in illum*, ita de Christo aſserit, *per quem omnia, & nos per ipsum.*

Quæres 5to. Utrùm mysterium SSmæ Trinitatis ſit articulus fidei ad ſalutem omnino neceſsarius?

Resp: Mysterium SSmæ Trinitatis est fundamentalis articulus fidei, cujus cognitio ac profeſsio ad ſalutem prorsùs est neceſsaria. Et id apertiſsimè constat ex Scripturis. Namqué Joan: cap: 17mo sic inquit Christus: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, ſolum Deum verum, & quem miſisti Jesum Christum.* Igitur siné notitia non ſolùm Patris ætérni, ſed etiam & Chtisti, qui ſecunda Trinitatis est persona, haberi non potest vita æterna, undé apud eundem Exangelistam cap: 3tio dicitur: *Qui incredulus est filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper ipsum.* Et verò Christus alloquens Apostolos Math: cap: 24. ait: *Euntes Docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti,* & Marci cap: 16. addit: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, ſalvus erit, qui veró non crediderit condemnabitur.* His certó Christi verbis nihil disertius eſse potest. Præterea ſemper Eccleſia neceſsariam judicavit fidem SSmæ Trinitatis, quare confeſsionem trium divinarum Personarum à ſuscipientibus Baptismum ſemper exigebat, & è sino ſuo statim illos ejiciebat, qui vel trinitatem Personarum, vel illarum consubstantialitatem negarunt.

ARTICULUS 3tius.

De Divínis proceſsionibus, relationibus, notitionibus, miſsionibus.

Quæres 1mo. Quid in Divinis nomine Proceſsionis intelligatur?

Resp: Proceſsionis nomine communiter intelligitur, Origo unius ex alio. Est autem preceſsio duplex, alia ad extrà. quæ etiam transiens dicitur, cum nempe effectus, sivé terminus productus extrà causam, à qua procedit positus est. Hoc modo Creaturæ à Deo procedunt. Alia est proceſsio ad intrà, ſeu immanens, quà aliquid ab alio oritur intra ipsum manens, & hujusmodi ſunt divinarum personarum proceſsiones.

Quæres 2do. Utrûm admittendæ ſunt divinæ proceſsiones?

Resp:

Resp: Omninó agnoscendæ ſunt divinæ proceſsiones. Namqué Christus de ſeipso dicit Joan: cap: 8vo. *Ego ex Deo proceſsi*, & cap: 15. de Spiritu Sancto: *Cum venerit Paracletus, qui à Patre procedit.* Et veró plures ſunt divinæ Personæ, neceſsè igitur est, eas per veram ac realem proceſsionem ab uno principio oriri. Si enim omnes eſsent ex ſe, tunc vel nulla inter eas realis intercederet distinctio. Sola siquidem oppositio relativa inter divinas Personas distinctionis est causa, quæ tunc prorsus tolleretur, vel distingveretur ex perfectionibus absolutis, ac proindé non ſolum eſsent plures Personæ, ſed etiam plures Dij, eſsentia diversi.

Dices. Quod procedit incipit eſse, cum anteà non existeret. Fingi autem non potest divinas Personas aliquando non fuiſse. Prætereà Persona procedens ab alia non est à ſe. Ergó Deus eſse non potest, quia Deus est à ſe.

Resp: Quod procedit in tempore, incipit eſse, quod veró procedit ab æterno, per ejuſdem eſsentiæ communicationem ſemper fuit. Si enim conciperemus exg: ſolem ab æterno fuiſse, fuiſset etiam ab æterno radius à ſole procedens, & radius principium quidem haberet originis, non autem principium durationis. Ita potiorí jure de Filio, & Spiritu Sancto dicendum est, qui eandem numeró eſsentiam à Patre accipiunt. Persona etiam quæ ab alia procedit, non est ens á ſe ratione Personæ, est tamen ens á ſe ratione naturæ, quæ eadem est in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ac propterea unaquæqué Persona Deus est.

Quæres 3tio. Quot ſunt in divinis proceſsiones?

Resp: Duplex est in divinis proceſsio, ſcilicet Filij à Patre, & Spiritûs Sancti à Patre & Filio. Enim veró tot ſunt in divinis proceſsiones, quot ſunt Personæ procedentes. Porró duæ tantummodo ſunt Personæ procedentes, ſcilicet Filius & Spiritus Sanctus Pater namqué à nullo procedit. Ergo duæ tantummodo in divinís ſunt, proceſsiones.

Quæres 4to. Quæ ſunt præcipuæ divinarum proceſsionum proprietates?

Resp: Divinarum proceſsionum præcipuæ proprietates ſunt ſequentes. 1mo. ſunt immanentes, earum siquidem termino, Filius ſcilicet, & Spiritus Sanctus in ipso Deo ſunt, undé Joannis cap: 10. dicit Christus: *Pater in me est, & ego in Patre.* 2do. ſunt æternæ, quia ipsi Deo coævæ, quare apud Micheam cap: 5to de Filio Dei dicitur:

citur: *Egressus ejus ex diebus æternitatis.* Idem dicendum est de Spiritu Sancto. *3tio.* sunt necessariæ, non contingentes, necessitate quippé naturæ Pater seipsum ab æterno perfecté cognoscendo ex se producit Filium, & Pater ac Filius necessarió mutuô sese amore prosequendo, producunt Spiritum Sanctum. *4to* tandém quamvis utraqué processio Filij scilicet, & Spiritûs Sancti, necessaria, atqué æterna sit, processio tamen Filij, prior est processione Spiritûs Sancti, non quidem tempore, sed origine, quia scilicet actio intellectûs, actionem voluntatis semper præcedit. Jam veró Filius à Patre procedit per actum intellectûs. Spiritus Sanctus à Patre & Filio per actum voluntatis. Igitur processio Filij prior est origine processione Spiritûs Sancti.

Quæres 5to. Quomodo istæ divinæ nominantur processiones?

Resp: Processio Filij, & quidem sola dicitur generatio, solusqué Filius dicitur à Patre genitus, atqué unigenitus nominatus, nullibi verò Spiritus Sanctus dicitur genitus, neque usquam Filius nominatur, undé in Symbolo Athanasiano dicitur: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Cur autem sola processio Filij dicatur generatio, non autem processio Spiritûs Sancti, hujusmodi discriminis reddere rationem difficillimum est, quia scilicet divinæ generationis modum prorsùs ignoramus. Undé S. Athanasius Orat: 3tia contra Arianos sic inquit: *Nec investigare convenit quomodó gignit Deus, quisvé ille sit Dei gignendi modus, Insanus enim is est æstimandus, qui ista scrutari non verebitur.*

Quæres 6to. Quodnam sit principium divinarum processionum?

Resp: Divinarum processionum duplex est principium, aliud dicitur principium *quod*, estqué ipsum agens, fons, & origo processionis, aliud veró vocatur principium, *quo* estqué potentia, ac virtus, per quam agens operatur. Itaqué divinarum processionum principium *quod*, est Persona agens, ac proindé respectu Filij Persona Patris, respectu autem Spiritûs Sancti, Persona Patris, simul & Persona Filij. Et hoc in Concilio Lateranensi 4to definitum esse videtur, ubi dicitur: *Essentia non est generans, nequé genita, nequê procedens, sed est Pater, qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus Sanctus qui procedit.* Princi-

cipi-

cipium autem *quo*, respectu Filij est intellectus divinus, ſeu intellectio, quâ Pater ſeipsum perfectiſsimè cognoscendo Verbum ſeu Filium gignit, respectu autém Spiritûs Sancti, est voluntas divina, ſeu mutuus ille amor Patris, & Filij, quô illi Spiritum Sanctum producunt.

Quæres 7mo. Quid, & quotuplices ſunt divinæ relationes?

Resp: Relatio generatim ſumpta, est ordo unius ad alterum. In divinis duplices ſunt relationes, aliæ ſunt tribus divinis Personis communes, exg. relationes identitatis, æqualitatis, similitudinis, aliæ ſunt relationes propriæ, ac personales, quæ vocantur relationes originis, quia fundantur in origine ſeu proceſsione unius personæ ab alia. Quatuór autem ſunt in divinis istiusmodi relationes personales, ſcilicet *Paternitas* quâ prima SSmæ Trinitatis persona ad ſecundam refertur. *Filiatio* quâ ſecunda Persona viciſsim refertur ad primam, ſcilicet ad Patrem. *Spiratio activa*, quâ Pater, & Filius ordinem ducunt ad Spiritum Sanctum, ac tandem *Spiratio paſsiva*, quâ Spiritus Sanctus à Patre, Filioqué procedit.

Has porrò personales relationes realiter in divinis Personis eſse, dubitari à nemine potest. Si enim aut nullæ eſsent, aut reales non eſsent, ſed per mentem tantùm, tunc personæ divinæ non distingverentur inter ſe realiter, ſed ſolûm ratione, atque per mentem, qui fuit Satellij error. Cum enim Personæ non distingvantur per attributa absoluta, quæ omnibus tribus Personis communia ſunt, ſed ſolùm per proprietates relativas, quæ unicuique Personæ tantùm competunt, talis erit distinctio Personarum, qualis relatio, ac proindè si relationes personales aut nullàtenus sint, aut nonnisi per mentem sint, Personæ etiàm divinæ aut nullàtenus, aut nonnisi per mentem distinctæ erant, quod cum admitti nequeat, relationes personales realiter in divinis Personis eſse, neceſse est.

Quæres 8vo. Utrûm relationes personales ſint reales perfectiones?

Resp: Relationes personales ſunt reales perfectiones. Et id constat ex Sanctis Patribus. S. Cyrillus Alexandrinus, in libro qui inscribitur Thesaurus disertis verbis docet, Patrem divinum perfectum eſse, non tantùm quia Deus est, ſed etiam quia Pater est, S. Damascenus libro 1mo de fide orthod: cap: 11mo modum existendi personæ divinæ, perfectionem appellat. His concinit S. Thomas, Quæst: 40ma art: 3tio, ubi docet proprietates personales, qui-

quibus personæ divinæ distingvuntur, ad dignitatem constitutæ personæ pertinere. Et verò, quod divinam naturam certô modô complet, ac divinas personas in ratione personæ constituit, illud perfectio realis censeri debet. Porrò tales ſunt divinæ relationes, quæ divinis Personis propriæ ſunt. Sunt itaqué reales perfectiones.

Dices. Si relationes in divinis personales, reales eſsent perfectiones, tunc unaquæqué persona, aliqua careret perfectione, quod dici nequit.

Resp: Quoniam una est numerica iu tribus divinis personis eſsentia, cui omnes perfectiones tùm absolutæ, tùm relativæ insunt, consequenter una Persona non est alia perfectior, nequé potest dici aliqua perfectione carere, cum eandem habeat divinam eſsentiam, quæ omnem in ſe continet perfectionem. Præthereà sit ita, quód unaquæqué Persona divina careat aliqua perfectione relativa, non idcircò tamen altera minus perfecta dici poterit, quia æquè ſummè perfecta est filiatio in Filio, quam paternitas in Patre, propter ſummam divinarum relationum in divina eſsentia identitatem.

Quæres 9no. Quomodo divinæ relationes distingvuntur?

Resp: Relationes in divinis quæ sibi mutuó opponuntur, út ſunt Paternitas, & Filiatio, Spiratio activa, & paſsiva, inter ſe realiter distingvuntur. Illæ verò relationes quæ sibi mutuó non opponuntur, ut Paternitas, & Spiratio activa. Filiatio, & eadem iterùm Spiratio activa, non distingvuntur realiter, ſed tantùm per mentem, atque virtualiter. Ratio autem hujus est, quia juxta Theologorum effatum, in Deo ſunt omnia unum, & idem, ubi mutua non intervenit oppositio. Eædem quoqué relationes ab eſsentia divina realiter non distingvuntur, atqué etiam cum Personis quibus tribuuntur idem realiter ſunt, â Personis tamen quibus opponuntur realiter distingvuntur. Undé Paternitas non distinguitur realiter â Patre, nec Filiatio â Filio, ſed Paternitas à Filio, Filiatio à Patre. Spiratio paſsiva â Patre, & Filio, ac demúm Spiratio activa â Spiritu Sancto realiter distingvuntur, quia & hic oppositio intervenit, ac proindé non ſunt unum & idem.

Quæres 10mo. Quid per divinas notiones intelligendum ſit?

Resp: Notio in Divinis est character specialis ac insignis nota, quâ una persona ab aliis ſecernitur, ac distingvitur. Hinc tria neceſsaria ſunt ad veram constituendam

endam notionem. *Primum*, ut aliquid significet ſpeciale, uni Perſonæ proprium, ac distinctum, quod enim tribus Perſonis ex æquo convenit, estque illis commune. non potest unam Perſonam ab alia distingvere, ac discernere, quod præcipuum est notionis munus. *Secundum* ut deſumatur ex origine unius Perſonæ ab alia. Notio ſiquidem est quod distinctivum, in divinis autem distinctis maxime in origine fundatur. *Tertium* ut dignitatem, atqué prærogativam importet. Perſona ſiquidem nomen est dignitatis, ac prærogativæ, ergó & nota, quâ perſona innotescit, & ab alia ſecernitur dignitatem, & prærogativam denotare debet.

Quinque communiter notiones numerantur. *Innoscibilitas*, & *Paternitas*, quæ ambæ pertinent ad primam SSmæ Trinitatis perſonam, hisce enim duabus notionibus ejus exprimitur character, & dignitas, quod némpè à nullo alio sit principio, & ipsi sit principium aliarum Perſonarum. *Filiatio*, quæ est character Filii. *Spiratio activa* quæ Patrem, & Filium designat, proùt uterqué est unum principium Spiritûs Sancti. *Spiratio paſsiva*, quæ notio est Spiritûs Sancti, proùt à Patre, Filioqué procedit.

Quæres-xxmo. Quid in divinis miſsio ſignificat?

Resp: Miſsio est unius Perſonæ ab alia proceſsio, & ad aliquem peculiarem effectum designatio, atqué deputatio. Quare ad veri nominis miſsionem duo requiruntur 1mo. Proceſsio perſonæ quæ mittetur ab illa, à qua mittitur, 2do designatio atqué deputatio ad particulrem aliquem effectum. Undé Filius miſsus est in mundum à Patre, ut eos, qui ſub lege eránt redimeret, & omnes adoptionem filiorum reciperemus, ùt inquit Apostolus ad Galatas cap: 4to, & Spiritus Sanctus à Patre in nomine Christi miſsus est, ut Apostolos doceret omnia, ipsisqué ſuggereret omnia, quemadmodum Joan: cap: 14to ipse promiserat Christus: *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Ex his autem hæc ſequuntur. *Primo*: Patrem divinum à nullo mitti, quia à nullo procedit. *Secundum* Filium à ſolo Patre mitti, quia ab illo ſolo procedit. *Tertio* Spiritum Sanctum & à Patre, & à Filio mitti quia ab utroqué procedit. Dicit quidem Christus ſe à Spiritu Sancto miſsum Isaiæ cap: 4to. *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me*, ſed id intelligendum est non quoad naturam divinam, ſed quantùm humanam attinet ſubstantiam, ſecundùm quam cum de Spiritu Sancto conceptus

ceptus fuiſset, ab eo etiam accepit eſse, ac propterea juxta humanam naturam à Spiritu Sancto miſsus dicitur.

Hæc porò miſsio, quamquam designat aliquam dignitatem in Persona quæ mittit, attamen nullam arguit inferioritatem in ea quæ mittitur, ſed tantùm originem atqué proceſsionem unius personæ ab alia, miſsio quippe illa in divinis, non ex imperio fit, ſed ex communicatione ejusdem naturæ.

CAPUT SECUNDUM

De Divinis Personis,

Quœres. Quot ſunt Divinœ Personœ?

Resp: Tres ſunt divinæ Personæ, realiter inter ſe distinctæ, ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt natura & ſubstantia, unus proindé Deus.

ARTICULUS 1mus

De Divina Persona Patris.

Quœres 1mo. Quot nominibus prima SSmœ Trinitatis persona ſoleat designari?

Resp: Prima SSmæ Trinitatis persona vocari ſolet, Pater, ingenitus, principium, quandoqué etiam, licet rarius, causa, & author Filii.

Dicitur 1mo. Pater respectu omnium creaturarum quàtenus Deus est, quas communi & eadem cum ceteris Personis potentia, ac virtute creat, conservat, atqué moderatur. Sed ſpecialiter dicitur Pater respectu Filii, quem ex utero anté Luciferum, sibi consubstantialem genuit. 2do. Dicitur ingenitus innascibilis, ſeù non natus, quia ſcilicet nullum habet ſuì principium nec creationis, quia à nullo factus est, nec proceſsionis, quia à nullo procedit. E contrà Filius dicitur natus, quia per æternam generationem ex ſubstantia Patris procedit. 3tio. Dicitur principium Filii, & Spiritùs Sancti, quàtenus uterqué ab illo proficiscitur, ac procedit. 4to. è Patribus Latinis quidam Patrem dixerunt auctorem Filii, è Græcis veró non-

nulli

nulli, eum nominarunt Filii causam, at eô nomine principium dumtaxat originis ſeu proceſsionis intelligebant, quia ſcilicet Filius à Patre procedit.

Quæres 2do. Utrûm Pater ſecundum ſe, ſit Deus?

Resp: Pater ſecundum ſe, & ſeorsive à ceteris divinis Personis ſumptus, Deus est. Namqué Joan: cap; 17mo dicit Christus: *Hœc est vita æterna, ut cognoscant te, ſolum verum Deum, & quem miſisti Jesum Christum*, & Paulus Apostolus Epist: 1ma ad Corint: cap: 8vo inquit: *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino Jesu Christo.* Capite quoqué 8vo: *Nobis unus Deus, Pater ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Hic Apostolus Patrem simpliciter dicit Deum, est igitur ſecundum ſe, & ſeorsivè etiam à ceteris divinis Personis ſumptus, atqué consideratus verus Deus.

ARTICULUS 2dus.

De Divina Filii Persona.

Quæres 1mo. Quibus nominibus deſignatur ſecunda SSmæ Trinitatis Persona?

Resp: Secunda SSmæ Trinitatis Persona, variis nominibus designatur. Et 1mo. dicitur Filius, quià ex ſubstantia Patris ab æterno genitus est. 2do. dicitur imago Patris, propter perfectam cum Patre similitudinem, & sic illum vocat Paulus in Epist: ad Coloſs cap: 1mo. *Imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis Creaturæ*, & in Epist: ad Hebr: cap: 1mo dicitur: *Splendor gloriæ, & figura ſubstantiæ ejus, quia ut lux à ſole, ita ille à Patre procedit.* 3tio. dicitur Verbum, id est terminus cognitionis Patris, undé Filius proprié dicitur Patris ſapientia, sermo, ratio. 4to. tandem, quoniam Verbum caro factum est, Filius Dei dicitur, & est Jesus Christus, idqué toto ſuó Evangelio cûm Joannes Apostolus luculentiſsimé probaſset, tandem cap: 20mo sic concludit: *Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis æternam.*

Quæres ſecundo. Utrûm 2da SSmæ Trinitatis Persona, quæ Filius est Patris, ſit verus Deus. Patri conſubstantialis?

Resp: Filius Patris, ſeù Verbum incarnatum Jesus Chri-

Christus, verus est Deus, Patri consubstantialis. Et id probatur ex Scriptura Sacra, atqué Traditione.

Et quidem *1mo.* ex Sacra Scriptura Joann: cap: 1mo clarissimè vérbi Divinitas describitur, ibi namqué dicitur quia *Déus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt..., & sine ipso factum est nihil..., mundus per, ipsum factus est.* Ac postquam istud Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, concludit S. Evangelista: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quàsi unigeniti à Patre.* Undé Apostolus Paulus in Epist: ad Titum cap: 2do dicit: *Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei,* & cap: 3tio. *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Verbum, itaqué illud, quod Joannes caro factum esse dicit, & cujus gloriam vidit veluti unigeniti à Patre, ipsum Paulus appellat Salvatorem nostrum verum Deum, atqué in Epistola ad Hebræos cap: 1mo verum Filium Dei, Patri consubstantialem sic enim scribit: *Multifarium, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimé locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Jllum propterea vocat splendorem gloriæ, & figuram substantiæ Dei, atqué omnia portare verbo virtutis suæ. Ex quibus clarissimè apparet, verbum quod caro factum est, esse Salvatorem nostrum Jesum Christum, ipsum esse verum Deum ac Filium Patri consubstantialem. Namqué mundus, & omnia quæ in illo sunt, ipsa quoqué sæcula per ipsum facta sunt, omnia quoqué portat verbo virtutis suæ, ac proinde verus est Deus omnipotens creator, ac conservator omnium. Cumqué sit Filius Dei, splendor ac figura substantiæ ipsius est propterea Patri suo consubstantialis.

Præterea præclarissimæ confessiones Apostolorum Petri, & Thomæ divinitatem Christi probant, & evincunt Math: cap: 16. Petrus hæc confessus est: *Tu es Christus Filius Dei vivi,* & id Petrus ex divina habuit revelatione, hancqué ipsius confessionem laudavit Christus, dicens: *Beatus est Simon Bar-Jona, quia caro, & sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Sanctus etiam Thomas, cum anteà incredulus esset, contrectatis Jesu Christi redivivi cicatricibus. Joan: cap: 20. exclamavit & confessus est: *Dominus meus, & Deus meus.* Sed & ipse Pater cælestis testificatus est divinitatem Jesu Christi Filii sui, in ipsius baptismo, tunc enim, ùt inquiunt Sancti Evangelistæ Mathæus & Lucas: *aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, &*

venientem super se, & ecce vox de cœlis dicens. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, & iterùm in Christi transfiguratione, audientibus tribus Apostolis Petro, Jacobo, & Joanne, quemadmodum scribit S. Mathæus cap: 11mo. *Ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

Præter hæc sexcenta sunt alia Scripturæ loca, quæ Christum esse Filium Dei verum, proprium ac naturalem declarant, ex quô omnino consequitur ipsum Patri esse consubstantialem. Nequit enim Christus verus, proprius, ac naturalis esse Dei Filius, nisi sit Patri consubstantialis. Quare Joannis cap: 1mo: dicitur: *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, quibus verbis Christus non solùm unigenitus Dei Filius nominatus, sed & in sinu Patris, hoc est in natura, ac substantia ipsius existens esse dicitur, ac propterea Filius illius naturalis, atque consubstantialis. Quare Joannes Epist: 1ma cap: 5. Christum dicit esse Filium Dei, et statim asserit ipsum verùm esse Deum. *Scimus quoniam Filius Dei venit . . . Hic est verus Deus, & vita æterna.* Non posset autem verus esse Deus, nisi Deo esset consubstantialis. Et verò ipse Christus qui veritas est, & Testimonium ejus verissimum est, & asserit, & probat suam Divinitatem. Sic enim inquit Joannis cap: 10. *Ego & Pater unum sumus*, & infra: *Pater in me est, & ego in Patre.* Hæc autem verba naturali, & obvio sensu intellecta, plenam in Patre, & Filio naturæ identitatem demonstrant. Undé rursus cap: 14. inquit Christus, *Qui videt me, vidit & Patrem. . . . non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est*, & cap: 16. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*, cap: veró 17mo dicit Christus Patri. *Mea omnia tua sunt, & tua, mea sunt.* Porrò vera ista esse nequeunt, nisi per naturæ identitatem, si nempê una, eademqué sit in Patre, & Filio natura, una eademqué substantia.

Sed prætereà Christus Joann. cap: 5to omnimodam æqualitatem cum Patre sibi asseruit, dicens. *Pater meus usqué modo operatur, & ego operor*, atqué id vel ipsi Judæi senserunt, undé vehementer contrà Christum concitati sunt, ùt ibidem testatur S. Joannes, *proptereá. . . . magis quærebant eum Judæi interficere, quia. . . . Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*, sed verba sua Christus minime retractavit, imò hanc suam esse mentem, sequé æqualem esse Patri variis confirmat argumentis. 1mo ab æqualitaté vitæ. *Sicut Pater habet vitam in semetipso:*

sic

sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. 2do: ab æqualitate operationis Pater *quæcunque fecerit, hæc & Filius similiter facit.* 3tio: ab æqualitate honoris: *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Cum itaqué Filius perfecta gaudeat æqualitate naturæ cum Patre, est igitur ipsi consubstantialis. Undé Apostolus Paulus in Epist: ad Philip: cap. 2. sic inquit: de Christo: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Si ergo fuit in forma, seu natura Dei, æqualis Deo, fuit illi consubstantialis atqué verus Deus.

2do: Eadem fidei Catholicæ veritas ex Traditione comprobatur. Namqué constans, ac perpetua ab Apostolis, & à Sanctis Patribus usqué ad Concilium Nicænum defluxit Traditio, & deinceps ad ultima usqué perduravit tempora, Verbum Divinum, caro factum, ac Christum Jesum Filium Dei, verum esse Deum, Patri consubstantialem, quare statim ac prodiit Arii doctrina, quâ Divinitatem Verbi negavit, Christum purum hominem fuisse asseverans, omnium fidelium animos sua novitate offendit, undé impius iste Dogmatista, tamquam novator, & Hæreticus, *communi omnium suffragio, ex cœtu Ecclesiæ, quæ Christi Divinitatem adorat, ejectus est,* ùt refert Theodoretus libro 1mo: Hist: Eccles: cap· 4to ac tandem à 318. Patribus, qui ad Concilium Nicænum primum Generale celebrandum ex universo terrarum orbe convenerant, quinqué non nisi exceptis, qui Ario favebant, à cæteris omnibus condemnatus est, qui Arij *impietatem, atqué amentiam, & verba blasphemiæ plena, ne audire quidem patienter sustinuerunt.* ùt dicitur in Epistola Synodica ejusdem Concilii.

Nequé hic Testimonia Patrum adferre, verbaqué ipsorum recitare necesse est, quoniam omnes tum Græci, tum Latini à S. Clemente istud principale Christianæ Religionis dogma, contrà Hæreticos strenué propugnârunt, unus pro omnibus sufficiet S. Athanasius, qui in libro de Synodi Nicænæ Decretis hæc habet. *Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam* de Christi scilicet Divinitate, *à Patribus ad Patres, quasi per manus traditam esse, vos autem,* ad Arianos sermonem convertens, *o novi Judœi, & discipuli Caiphœ quos demum assertionum vestrarum Patres ostendere valêtis. Imo ne unum quidem ex prudentibus, & cordatis nominare possitis, cuncti enim vos aversantur,*

præter unum Diabolum, qui solus hujus defectionis vobis autor fuit. Meritò itaqué Patres Conciiij Nicæni definiêrunt Jesum Christum Dominum nostrum eſse *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt,* & Arianos contrarium ſentientes hoc anathemate percellunt. *Eos autem qui dicunt, erat tempus quando non erat, & priusquam nasceretur non erat, aut ex non extantibus factus est, hos anathemate fecit Catholica, & Apostolica Ecclesia.* Et vivente Constantino magno Nicæna fides ubiqué in Ecclesia viguit, sub Constantio autem ejus filio, licet tunc maximè factio Ariana graſsabatur, nunquam tamen multi fuerunt, qui Christi Divinitatem aperta fronte impugnare auderent, imò quotiescunqué id alloqui ausi sunt, ùt Photinus, Aetius, Eunomius, omnis ferè fidelium multitùdo illos execrata est. Qui verò Ecclesiam vehementiſsimé conturbârunt, fuerunt potius Semi-Ariani, qui solam vocem *consubstantialis* reprehendere se profitebantur tamquam novam & inusitatam, quarum opinio multis subtilitatibus involuta, in cautis fusum faciebat. Ceterum non deerant inter Semi-Arianos, qui à Catholicis nonnisi verbis diſsidebant. Sed isti omnes tam Ariani, quam Semi-Ariani contrà veterem Traditionem, fidemqué Catholicam prævalere non poterant, & fides Nicæna ubiqué demum triumphavit, adeò ut versùs finem 4ti sæculi Ariana impietas à toto Romano Imperio feré exulaverit, solùm apud Wandalos, & Gothos refugium inveniens.

Objicies 1mo: In Sacra Scriptura ea Christo denegantur, quæ verò Deo denegari nequeunt: Christus namqué ignorat diem Judicij. Non habet plenam in res omnes potestatem, quare filiis Zebedæi respondit Math: cap: 20. *Sedere ad dextram, & sinistram non est meum dare. 2do*: Multa de Christo dicuntur, quæ de veró, & summo Deo affirmari nequeunt, scilicet quod creatus sit. Namqué Joan: cap: 1. Joannes Baptista de Christo ait: *Qui post me venturus est, ante me factus est*, unde in Epist: ad Colos: Paulus vocat illum primogenitum omnis creaturæ. Prætereá dicitur minor Patre, & Pater major ipso, & 1ma ad Corinth: cap: 15. Christum fore subjectum Patri affirmat. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tum & ipse subjectus ei erit.*

Resp: ad 1mum: Non poterat Christus ignorare diem Judicij, ipse enim constitutus est à Deo Judex vivorum, & mortuorum. Præterea Christus prædixit omnes extre-

mi

mi Judicii circumstantias, signa præcedentia, quomodo ergo potuit diem illius ignorare? Undê S. Ambrosius lib: 5to: de fide sic inquit: *Quomodo nescivit Judicii diem, qui horam Judicij, & locum, & signa expressit, & causas.* Quare dum dicit Christus se nescire diem, horamqué extremi Judicii, hoc sensu accipiendum est, quod nesciat scientia hominibus communicativa, quia videlicet hoc, quod ipse noverat, hominibus revelare, & suam scientiam communicare noluit. Omnem potêstatem sibi à Deo datam habuit Christus, undé ipse dixerat Math: cap: 28. *Omnis potestas data est mihi in Cœlo, & in terra,* sed quia filii Zebedæi à Christo postulabant supernas sedes tamquam ab homine sibi sanguinis affinitate conjuncto, & affectu carnali id exigebant, meritò & sancté illis respondit Salvator, suum non esse, illos eo modo, quo cogitabant, ipsis, distribuere, simulqué admonet, prius bibendum ipsis esse tribulationum calicem, quam sedes illas assequantur.

Ad 2dum: Christus factus & creatus dicitur secundùm humanam naturam, non secundùm Divinam, parî modo Pater dicitur Christo major, si ejus humana consideratur natura, & secundùm eam subjectus est Patri, non autem si spectatur Divina ipsius substantia, juxta hanc enim unum est cum Patre, æqualis Patri: Cum enim in Christo duplex sit distincta natura humana, & Divina, hæc distinctio semper præ occulis haberi debet, ut ea diluantur, quæ in speciem Divinæ Christi naturæ derogare, & adversari videntur. Quare S. Ambrosius libro 5to de Fide cap: 8vo sic inquit: *Pia mens quœ leguntur secundùm carnem, Divinitatemqué distinguit, sacrilega confundit, & ad Divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundùm humilitatem carnis est dictum.*

Præterea Christus Dicitur antê Joannem factus, hoc est ipsi Joanni præpositus, cujus prælationis ratio statim ibidem redditur, *ante me factus est, quia prior me erat,* scilicet æternitate prior, idcircò & dignitate præstantior, undè consequenter inquit Joannes *cujus non sum dignus, ut salvam ejus corrigiam calceamenti.* Quaré quod dictum est à Joanne de Christo *ante me factus est,* & hoc sensu verum est, quia secundum Divinam naturam antè omne tempus, quia ab æterno factus est non creatione, sed generatione antè luciferum ex utero Patris. Atqué eodem sensu dicitur Christus *primogenitus omnis creaturœ,* non quod creatura sit, sed quia antè omnes creaturas ab æterno genitus fuit, quo sensu etiam Ecclesiastici cap: 24. Dei

sa-

sapientia de se ipsa dicit. *Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Et sané ùt S. Basilius observat libro 4to contrà Eunomium Christus etiam dicitur *primogenitus mortuorum*, non quod anté omnes mortuus sit, sed quia est causa resurrectionis mortuorum, eodem fere pacto dicitur primogenitus omnis creaturæ, quoniam causa est, ut à nihilo creatura producta fuerit, cum itaqué Paulus de Christo dixerit quod sit *primogenitus omnis creaturæ*, hanc statim superaddit causam, *quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra.*

Quæres 3. Utrùm recté Patres Concilii Nicæni voce consubstantialis usi sunt ad definiendam Christi Divinitatem?

Resp: Patres Concilii Nicæni recté, sapienterqué voce *consubstantialis* usi sunt ad definiendam Christi Divinitatem. Vera siquidem ac genuina hujus vocis significatio juxta mentem Patrum Nicænorum hæc est, verbum scilicet Divinum eandem numerô habere Patris suî substantiam, & essentiam. Et id constat ex S. Athanasio totius rei teste, imò & authore præcipuo, qui in libro de Decretis Synodi Nicænæ, postquam exposuit Arianorum tergiversationes, & dolos, quibus omnia alia verba Symbolo pervertebant, ita subdit. *Ubi Patres illorum hac in re simulationem animadverterunt, sententiam rursus ipsi ex Scripturis colligere coacti sunt, & quæ anteà dixerant, eadem clarioribus verbis, significare, ac denique scribere, Filium Patri esse consubstantialem, ut scilicet significarent Filium non tantùm similem, sed eandem rem similitudine esse cum Patre.* Non alio ergo sensu fuit à Patribus Nicænis vox *consubstantialis* adhibita, nisi ut una eademque Patris & Filij natura, atqué assentia ostenderetur. Porrò Verbum Divinum, seu Christus Jesus verus Filius Dei, eandem cum Patre naturam, essentiamque habet. Recté igitur, ac prudenter Patres Nicæni voce *consubstantialis* usi sunt ad definiendam Christi Divinitatem.

Præterea, quemadmodum refert S. Ambrosius libro de fide capite 7mo: cum Eusebius Nicomediensis, insignis Arianorum fautor, ac promotor in quadam Epistola scripsisset. *Si verum Dei Filium, & increatum dicimus, homousion*, id est consubstantialem, *cum Patre incipimus confiteri*, id ergo advertentes Nicæni Patres hanc ipsam vocem, tamquam fidei tesseram, contrà Arianos consecrârunt, *ut tamquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputaretur.*

Objici-

Objicies 1mo: Vox *consubstantialis* nova est, cujus nullum extat, in Sacris Scripturis, nequé in Sanctis Patribus vestigium. *2do:* Synodus Antiochena Anno 269. celebrata, hanc vocem condemnavit. Non ergo debebant Patres Nicæni eam adhibere.

Resp: ad 1mum: Quanquam hoc vocabulum quantùm atttinet literarum constructionem in Sacra Scriptura non reperiatur, invenitur tamen res ipsa per vocabulum significata, undé S. Gregorius Nansians: Orat: 40. inquit: *Si ita credendum est, cur non ita profitendum.* Porrò Nicæni Patres novam hanc vocem procudere coacti sunt, quia, ùt refert S. Athanasius in libro de Synodis, Ariani insignes simulandi, & difsimulandi artifices, omnia alia vocabula in perversum sensum detorquebant. Hæc unica vox Divinitus inspirata fuit, quæ eos ad extremas inimicitias redigeret, undé sic inquit Athanasius. *Cum omnia queant, fusis, lenociniisqué sophismatum adulterare, & pro libidine mutare, hanc solam vocem ad aperientem ipsorum hæresim reformidant, quam Patres pro munimento, & arce contrà illorum impias commentationes in scripta retulerunt.*

Quod verò antiquos attinét Patres. Eusebius Cæsariensis insignis Scriptor, quô nemo diligentior fuit in omnibus, quæ illius ætate multò plura, quam nunc extabant, antiquorum Scriptorum perlegendis operibus, ita ad suos Cæsarienses scripsit. *Non nullos ex veteribus insignes Episcopos, & difsertos Scriptores, in explicanda Patris, & Filij Divinitate hoc vocabulo consubstantialis usos efse cognovimus.* Undé & S. Athanasius in Epist: ad Africanos Episcopos, hanc vocem testimonio veterum Episcoporum comprobatam efse dicit. Quamquam verò nunc multa veterum Patrum monumenta desiderantur, ista tamen vox *consubstantialis* reperitur apud Tertullianum, qui initio libri contrà Praxeum. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dicit, unius substantiæ efse, quod idem est, ac consubstantiales efse, invenitur etiam apud Originem teste Rufino de adulteratione librorum Originis. Dyonisius autem Romanus Pontifex, ùt S. Athanasius refert, à Dyonisio Alexandrino Episcopo omnino exigit, ùt Christum Patri consubstantialem efse confiteretur, cui mandato, ùt par erat, ipse obtemperavit, ex quo apparet in usurpanda voce *consubstantialis* duas præcipuas Ecclesias Romanam, & Alexandrinam etiam tunc convenifse. Meritò igitur S. Augustinus libro 2do contrà Maximum cap: 14. inquit.

Hoc

Hoc illud homousion, seu consubstantialis, *in Concilio Nicœno adversùs Hœreticos, Arianos, à Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est.*

Ad 2dum: Non est verisimilè Synodum Antiochenam vocem *consubstantialis* damnaſse. Namqué anté decem annos Dyonisius Romanus Pontifex à Dyonisio Alexandrino exigerat ùt Filium Patri consubstantialem confiteretur, quod & fecit. Synodus verò Antiochena suam Epistolam Synodicam inscripsit tùm Dyonisio Romano Pontifici, tùm Maximo Dyonisij Alexandrini succeſsori. Eusebius Cæsariensis insigne hujus Synodicæ Epistolæ exhibet fragmentum, in quo de condemnatione vocis consubstantialis nullum vestigium reperitur. Certè Eusebius totàm Synodicam Epistolam legerat, & quamquam & ipse à principio voci consubstantialis in Concilio Nicæno adversabatur, nusquam tamen contrà ipsam Synodi Antiochenæ condemnationem objecerat. Non nisi fere integro elapso sæculo hujus condemnationis primam mentionem fecerunt in Concilio Ancyrano Semi-Ariani infensiſsimi istius vocis hostes, nullo allegato teste, nullo adducto monumento, ac proinde veluti fictitia, ac commentitia haberi debet istiusmodi condemnatio. Sed quidquid sit de authenticitate hujusmodi condemnationis, illud exploratùm est, poſse unam eandemqué vocem in diverso sensu modò damnari, modò consecrari. Quòd si ergo in Synodo Antiochena vox *consubstantialis* condemnata fuerat, id factum est in perverso Pauli Samosateni sensu, in quo istiusmodi vocem usurpabat, docebat enim cum Sabellio, ita Filium eſse consubstantialem Patri, ut nonnisi duo sint, unius ejusdemqué eſsentiæ nomina. Jam verò in Concilio Nicæno cautum, ac provisum fuit, ne vox consubstantialis, in pravum detorqueretur sensum. Nulla siquidem sunt vocabula Divinis Mysteriis ita accomodata, ùt nequeant ad pravum sensum detorqueri, quia ùt ajebat S. Hilarius, ad res Divinas explicandas nequé hominum elocutio, nequé humanæ naturæ comparatio sufficere potest.

ARTICULUS 3tius

De Divina Spiritûs Sancti Persona.

Quœres 1. Utrùm Spiritus Sanctus sit Persona Divina?

Resp:

Resp: Spiritus Sanctus est vera, ac per se subsistens Divina Persona. Enimveró Sacra Scriptura constanter Spiritui Sancto tribuit veras, & quæ personarum propriæ sunt operationes, veluti Joann: cap: 14. docere, Joan: 15. testari, in Epist: 1ma ad Timoth: cap: 4to revelare futura, ac tandem 1ma ad Corinth: cap: 12. scrutari profunda Dei, atqué ibidem sic inquit Apostolus *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ.... Hæc autem omnia operatur unus, atqué idem Spiritus dividens singulis proùt vult*, soli autem Personæ competit operari proùt vult. Igitur Spiritus Sanctus vera est, & per se subsistens Persona. Prætereà proprium est Personarum, speciem visibilem aſsumere, sub qua se conspiciendas exhibeant. Porró Spiritus Sanctus apparuit in Baptismo Christi sub specie columbæ, in die Pentecostes sub specie lingvarum, est itaqué vera Persona.

Et veró Spiritus Sanctus à Patre procedit, & à Filio mittitur ùt vices ipsius obeat, quemadmodum inquit Christus Joan: cap: 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Sed & exterius eadem cùm Patre, & Filio operatur. In Baptismo quidem qui ex æquo dandus præscribitur in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. In cælo quoqué simul cum Patre, & Filio dat Testimonium, quia scilicet tres sunt qui testimonium dant in Cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Quemadmodum igitur Pater & Filius veræ ac per se subsistentes sunt Personæ, ita & Spiritus Sanctus vera atqué per se subsistens est Persona.

Dices: Spiritus Sanctus est nonnisi virtus Dei, non autem persona à Patre & Filio distincta.

Resp: Spiritus Sanctus in Scriptura dicitur à Patre procedere, à Filio mitti, testimonium perhibere, hæc autem veram Personam denotant, & hæc de virtute Divina propriè dici nequeunt. Sed decretorium planè est illud, quod Actor cap: 9no legimus, nempè cum Paulus veniſset Ephesum, nonnullosqué Discipulos interogaſset, utrùm Spiritum Sanctum recepiſsent, responderunt illi: *Nequé si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Certé si nomine Spiritûs Sancti nihil aliud denotatur quam virtus Divina, quomodo respondere poterant, se nequé audiviſse utrùm sit Spiritus Sanctus, non enim eos fugiebat Deum summæ & infinitæ eſse virtutis, de Persona itaqué Spiritûs Sancti sermo fuit.

Quo-

Quæres 2. *Utrùm Spiritus Sanctus verus sit Deus, Patri, & Filio consubstantialis?*

Resp: Spiritus Sanctus verus est Deus, Patri, Filioqué consubstantialis. Namqué Spiritui Sancto in Scriptura Sacra, nomen, natura, & attributa Divina tribuuntur. Petrus Apostolus Actor: cap: 5to cum Ananias integrum prætium venditi agri ad Apostolos non attulerat, sic illum allocutus est. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de prætio agri. Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Spiritus ergo Sanctus, cui mentitus est Ananias, Deus est. Præterea Spiritui Sancto Divina tribuuntur attributa. Scilicet immensitas, & ubiquépræsentia: Sapient: cap: 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omniscientia. Epist: 1ma ad Corinth: cap: 2do: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Omnipotentia, Psal: 32. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Undé etiam apud Lucam cap: 1mo Spiritus Sanctus dicitur *virtus Altissimi.*

Verùm & traditione eadem Catholica veritas comprobatur, quam indicat ipsa Baptismi forma. Nam ex æquo Baptisamur In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, itaqué út Pater & Filius personæ sunt Divinæ, ita & Spiritus Sanctus. Ecclesia etiam præces suas semper Deo obtulit per Filium, in Spiritu Sancto, quemadmodum testatur Justinus in Apologia 2da. Undé celebris illa, & antiquissima glorificatio, qua Ecclesiæ Hymni, atqué Psalmi concludebantur, & etiamnum concluduntur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, seu etiam, *Gloria Patri cum Filio, & Spiritu Sancto,* vel tandem. *Gloria Patri per Filium, in Spiritu Sancto*, sic enim antiquitus terminabatur est hæc glorificatio. Hujus verò glorificationis usum in Ecclesia fuisse antiquissimum probat S: Basilius in libro de Spiritu Sancto cap: 29no. laudatis testimoniis Clementis Romani, Athenagoræ Irenæi, Originis, & aliorum vetustissimorum Scriptorum. Huic glorificationi addit S. Basilius præces Lucernarias, in quibus dicebatur. *Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Porrò si veteres fideles, & tota antiquissima Ecclesia, eundem honorem & gloriam Spiritui Sancto tribuebant, ac Patri, & Filio, luculenter apparet, sensisse eos, ac credidisse, Spiritum Sanctum ejusdem esse dignitatis cum Patre, & Filio Divino. Quare S. Policarpus anté Martyrium sic suam ad Deum concludit orationem. *Quapropter de omnibus lau-*

do te, benedico te, glorifico te, cum sempiterno, & cœlesti Jesu Christo dilecto tuo Filio, cum quo tibi, & Spiritui Sancto gloria, & nunc, & in futura sæcula.

Superfluum autem videtur Patrum testimonia hic congerere, cum duo Concilia generalia Nicænum 1mum & Constantinopolitanum 1mum fidem hanc claré declaraverint. Et quidem Nicænum in Symbolo profitetur *se credere in Spiritum*, eadem igitur in Spiritum Sanctum fides exigitur, quæ in Patrem, & Filium. Concilium veró Constantinopolitanum adversùs Macedonianos Hæreticos expreſsius adhuc in Symbolo Spiritûs Sancti adstruit Divinitatem, dicens. *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum.*

Objicies 1mo. In tota Sacra Scriptura nullibi Spiritus S. dicitur Deus, nullibi aſseritur adorandus, aut invocandus eſse. *2do:* In Scripturis plura tribuuntur Spiritui Sancto, quæ Deo convenire nequeunt. In Epistola ad Romanos cap: 8vo orare dicitur. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Christus etiam Joan: cap: 16. dicit de Spiritu Sancto. *Non loquitur à semetipso, sed quæcunqué audiet, loquetur.* Apertè innuens ipsum legati officio fungi.

Resp: ad 1mum: In tot, tantisqué Sacræ Scripturæ locis, tamqué luculenter traditur Spiritûs Sancti Divinitas, ut ipsum verum eſse Deum nemo cordatus dubitare poſset. Et veró toties dicitur in veteri lege Deus locutus per Prophetas, Petrus autem & Paulus Apostoli declarârunt Actorum cap: ultimo, & insecunda Epistola ad Corinth: cap: 1mo: Deum qui in veteri lege locutus est Prophetis, fuiſse Spiritum Sanctum. Undé S. Irenæus libro 4to cap: 33. Spiritum Sanctum illum eſse ait, *qui ab initio in universis dispositionibus Dei adfuit hominibus, & futura annuntiavit, & præsentia ostendit, & præterita narravit.* Sed prætereà Apostolus Paulus in Epistola 2da ad Corinth: cap: 13. Spiritum Sanctum invocat, atqué ipsius nomine bene Corinthiis apprecatur dicens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Sancti Spiritûs sit cùm omnibus vobis.*

Ad 2dum, Spiritus Sanctus dicitur pro nobis postulare, non quasi ipse oret, sed quia facit nos bene orare, quod etiam patet ex verbis præcedentibus, sic enim inquit Apostolus. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quod oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus*

postu-

postulat pro nobis. Spiritus autem Sanctus non loquitur à semetipso, quia Divinam naturam, undé scientia, & omnia alia dimanant, non habet à semetipso, sed à Patre, Filioqué origine, & Processione acceptam. Quare Didymus libro 2do: de Spiritu S. sic hunc locum interprætatur: *Non loquetur ex semetipso, quia non ex se est, sed ex Patre, & ex me est. Hoc enim ipsum, quod subsistit, & loquitur, à Patre & me, illi est.*

Quæres 3. Utrùm Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedit?

Resp. Spiritus Sanctus non solùm à Patre, sed etiam â Filio procedit. Et id probatur *1mo:* ex Sacris Scripturis. Namqué Joan: cap: 14. sic inquit Christus: *Paraclitus Spiritus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* & cap: 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.* Mittitur itaqué Spiritus Sanctus â Patre, mittitur & à Filio. Porrò persona quæ mittitur, ab ea procedit, à qua mittitur, undé quia Spiritus S. à Patre mittitur, ab eo etiam procedere dicitur. Pari ratione, quia idem Spiritus S. à Filio mittitur, ab illo etiam procedit. Missio siquidem vel fit per imperium unius & dependentiam alterius, vel per originem unius ab alio. Sed in Divinis missiò fieri non potest per imperium, atqué dependentiam, aliàs æqualitas Divinarum Personarum tolleretur, ergo necesse est ut fiat per originem, & Processionem. Præterea Joan: cap: 16to de Spiritu Sancto sic loquitur Christus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Omnia quæcunqué habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Itaqué Spiritus S. à Filio accipit. Non aliter autem una Persona in Divinis ab alia accipit, quam via Processionis, ita Filius à Patre accipit, & ea loquitur quæ à Patre audivit, quia a Patre procedit, pari ratione cum Spiritûs S. à Filio accipere dicitur, ea quæ docet, & annuntiat, notitiam hanc à Filio simul cum Divina natura vi Processionis accipere dicendus est. Deindé Filius habet omnia quæ Pater, omniaqué quæcunqué Pater habet, Filii sunt. Quoniam igitur Pater, vim spirandi habet, atqué Spiritum S. reipsa spirat, ac producit. Igitur & Filius eandem vim spirandi habet, & una cum Patre Spiritum Sanctum spirat, ac producit. Atqué ex his verbis Sancti Patres Græci concludebant Spiritum Sanctum à Patre, & à Filio procedere. S. Epiphanius in Ancor: sic inquit: *Cum Christus ex Patre cre-*

datur

datur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, sivè ambobûs, ut Christus his verbis aſserit. Qui à Patre procedit & hic de meo accipiet. Cyrillus pariter Alexandrinus libro 11. in Joannem sic loquitur de Spiritu Sancto. *Quoniam consubstantialis filio est, proceditqué per eum, omnem ipsius in omnibus perfectiſsimam habens efficientiam, & virtutem, ideò dicit de meo accipiet.*

2do: Eadem Catholica veritas authoritate Patrum comprobatur. Et totius quidem orientis hac in re consensus ſe prodit ex Epistola Synodica S. Cyrilli contrà Nestorium, quæ in Concilio Ephesino probata fuit, atqué iterùm in subsequentibus confirmata. In ea enim nomine totius Synodi ita S. Cyrillus de Spiritu Sancto loquitur. *Non est tamen ab eo* id est Filio, *alienus, quando quidem Spiritus veritatis nominatur. Christus autem veritas est, & proinde quoque ab illo, atqué à Deo Patre procedit.* S. Basilius libro 5to contrà Eunomium hæc de Spiritu Sancto habet. *Dignitate quidem secundùm eſse à filio, ut qui eſse ab illo habeat, & ab ipso accipiat, & annuntiet nobis & omnino ex illa causa pendeat, tradit pietatis sermo.* Deniqué S. Athanasius Orat: 3. contrâ Arianos sic inquit: *Quæcunqué Spiritus habet, hœc à verbo habet*, certò non alia via, nisi via proceſsionis.

Verum idem Catholicum dogma multo clarius à latinis Patribus est traditum, quod nimia evidentia convicti, nec Græci negare audent. Et istud dogma tandem expreſsé definitum fuit à Conciliis. Lateranensi 4to Lugdunensi 2do, & Florentino.

Objicies 1mo. Scriptura Sacra, Spiritum S. docet sollùmmodò à Patre procedere. Joan: cap: 15. *Qui à Patre procedit. 2do.* Synodus Constantinopolitana in Symbolo, à Patre tantùm Spiritum Sanctum procedere dicit.

Resp: ad 1mum: Quamvis Sctiptura Sacra expreſsè non dicat Spiritum Sanctum procedere à Filio, id tamen ſatis luculenter ostendit, dum dicit illum à Filio mitti, de illo accipere, Filium omnia habere, quæ habet Pater, tandem Spiritum Sanctum vocat Spiritum Filii, quemadmodum dicitur Spiritus Patris, quæ omnia evincunt Spiritum Sanctum à Filio etiam procedere, quemadmodum procedit à Patre. Undé S. Augustinus libro 4to de Trinit: cap: 20. sic inquit: *Nec poſsumus dicere quod Spiritus Sanctus, & à Filio non procedit, neque enim frustra idem Spiritus & Patris, & Filii Spiritus dicitur.*

Ad 2dum: Proceſsio Spiritûs Sancti à Filio non fuit qui

quidem in Symbolo Constantinopolitano expreſsa, non tamen propterea negata, neque enim dicitur: *Qui à Patre ſolo procedit*, ſed præcisè: *Qui à Patre procedit.* Ratio autem cur Patres Concilii Constantinopolitani expreſsam mentionem fecerint proceſsionis Spiritûs Sancti à Patre, non autem à Filio, hæc eſse potuit, quia tunc temporis graſsabatur hæresis Macedonii, qui Spiritum Sanctum, non à Patre eſse, ſed à Filio creatum fuiſse blasphemabant. Ceterum quando orti ſunt Hæretici negantes proceſsionem Spiritûs Sancti à Filio, Ecclesia particulam *Filioque* Symbolo Constantinopolitano addendam censuit.

Quæres 4to. Quando, & à quo particula Filioque *Symbolo Constantinopolitano fuit adjecta?*

Resp: Cum in veteri Symbolo Niceæ primum condito, deinde Constantinopoli aliquibus vocibus aucto legeretur tantùmmodo de Spiritu Sancto, *qui à Patre procedit*, ſensim in Ecclesia Latina, facta est additio hujus voculæ *Filioque.* Primi autem hujus additamenti authores censentur eſse Hispani ſæculo 6to cadente, eô ſcilicet tempore quô Gothi, ejurata hæresi Ariana, fidem Orthodoxam ſub Recoredo Rege amplexi ſunt. Hispanos ſecuti ſunt Galli, quô autem tempore, incertum est, id aliqui referunt ad finem ſæculi 8vi. Sæculo autem 9no non ſolùm in Hispania, Gallia, verùm etiam in Germania Symbolum cùm particula *Filioque* canebatur. Idem tandem in Ecclesia Romana fieri consvevit medio ſæculo 11mo. Probabile autem est, hujus vocis additionem Romæ factam eſse à Benedicto 8vo Papa, cum anno 1014. Henrici 1mi Imperatoris præcibus adductus est, ut in Ecclesia Romana publicè in Miſsa Symbolum Constantinopolitanum cum istiusmodi vocis additione cantari juberet. Sed quamquam Ecclesia Romana hoc additamentum Symbolo factum probaverit, non tamen Græcos cogendos eſse duxit ad illud recipiendum. Quamobrem in Concilio Lugdunensi Græcis permiſsum est, ut Symbolo sine hac additione uterentur, idem ipsis conceſsum est in Synodo Florentina Seſsione 26ta.

Quæres 5to. Utrûm particula Filioque *Symbolo Constantinopolitano jure, ac meritô fuerit addita?*

Resp: Particula *Filioque* Symbolo Constantinopolitano, jure ac meritò addita fuit. Jllud enim ſemper Ecclesiæ licuit, ac licebit, quod illa judicaverit neceſsarium eſse ad fidem vel illustrandam, vel adversùs novos Hæreticorum insultus vindicandam. Est enim illa columna,

& firmamentum veritatis. Porró Ecclesia judicavit necessariam esse particulam *Filioque* Symbolo Constantinopolitano adijcere, nempe ob grassantem errorem contrà processionem Spiritûs Sancti à Filio, qui quidem plenius, & apertius retundi non poterat, quam ista additione.

Istud quoque Conciliorum exemplis comprobatur Concilium Nicænum Symbolo Apostolorum adjecit vocem *consubstantialis* adversùs Arianos. Constantinopolitanum 1mum Symbolo Nicæno de Filio hæc verba apposuit: *Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine.* Hæc vero de Spiritu Sancto: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio simul adorandum, & glorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Denique Concilium Chalcedonense Nicæno Symbolo de Filio hæc adjecit verba contrà Eutychianos: *Consubstantialem Patri, secundùm Deitatem, & consubstantialem nobis secundùm humanitatem.* Quin & hæc ipsa Synodus, post quam Symbolum Nicænum, & Constantinopolitanum recitavit, adversùs peculiares Eutychetis errores, prolixam adjecit fidei expositionem. Nemo autem dixerit additamenta hæc non legitime à prædictis Conciliis facta fuisse, idem ergo judicium ferri debet de additione particulæ *Filioque.*

Tandem additio hæc particulæ *Filioque* roborata est definitione Concilii Florentini cui omnes Græci, pariter & Latini subscripserunt, ubi sic inquiunt Patres: *Definimus, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

Objicies. Concilium Ephesinum expressé, & districté vetuit quamcunque Symboli mutationem, aut adjectionem siquidem Act: 6ta decretum est, *alteram fidem nemini licere proferre, vel conscribere, aut componere, præter eam quæ definita est à Sanctis Patribus Nicææ congregatis.* Pariter in septimo Concilio generali post allatum Symbolum Nicænum, & Constantipolitanum Patres hæc addiderunt. *Nos leges Patrum custodimus, nos eos qui addunt, vel adimunt de Ecclesia anathematisamus.* Ergo Symbolo fidei ab Ecclesia recèpto, non licuit quidquam addere.

Resp:

Resp: Prædicta Concilia prohibuerunt novam fidei formulam à Nicæna, & Constantinopolitana diversam, eique contrariam fieri, non autem verbis magis explicatam, illamque non privata authoritate inductam, sed Ecclesiæ judiciò munitam. Ita Hæreticis de Synodo Chalcedonensi conquerentibus, quod contrà Ephesinum decretum, Symbolo Constantinopolitano quamdam appendicem adjecisset, ad duplicem Christi naturam explicandam Eulogius Alexandrinus, Ephremius Antiochenus, ceterique Catholici responderunt, Decreto Ephesino prohiberi, *ne altera fides conscribatur, cujus dogmata Synodo Nicænæ adversa sint, iis veró, quæ ab illa definita sunt, paris, inviolabilibusque servatis apponenda, quæ rerum, & temporum occasio postulaverit, sicut ipsamet apposuit* *Atque hoc & rerum magistra natura docet, & Ecclesiæ usus non videtur rejecisse.*



TRA-

TRACTATUS
DE
INCARNATIONE VERBI DIVINI, ET OPERE REDEMPTIONIS HUMANÆ.

CAPUT PRIMUM

De natura Incarnationis Verbi Divini, ejusquè poſsibilitate, convenientia, atque necessitate.

**

ARTICULUS 1mus

De natura, poſsibilitate, atque Convenientia Incarnationis Divinæ.

Quæres 1mo. Quid ſit Incarnatio Divina?

Resp: Incarnatio Divina, est unio hypostatica, ſeu personalis naturæ Divinæ, & humanæ in una Divini Verbi persona, ex qua admirabili conjunctione unus est Christus Jesus. Ex hac verò definitione manifesté consequitur. 1mo. duplicem in Christo distinctam conjungi naturam Divinam ſcilicet & humanam, unio namqué distinctorum est conjunctio. 2do. hanc duarum in Christo naturarum unionem, non eſse tantùmmodo moralem, qualis ex adoptione & gratiæ collatione eſse ſolet, ſed eſse realem, ac physicam, quia est conjunctio duarum naturarum in una persona, undé est unus Christus, eô feré modô, quô anima humana unitur corpori, ex qua conjunctione unus exurgit homo. 3tio. Non eſse in Christo duas Personas, Divinam & humanam, ſed unam dumtaxat Divinam, quia duarum naturarum, Divinæ ſcilicet, & humanæ conjunctio fit in una Verbi Divini persona, undé non est personalitas humana, ſed ſola personalitas Verbi Divini.

Quæres 2do. Utrùm Incarnatio Verbi Divini sinè Dei revelatione, sola naturali ratione cognosci potuit?

Resp: Incarnatio Verbi Divini, sine Dei revelatione, sola naturali ratione sciri & cognosci non potuit. Est namquè Mysterium, quod omnem humanum superat intellectum, atquè in una Verbi Divini persona, duarum naturarum conjunctio tam est admirabilis, ut solo naturali lumine percipi nequeat. Et id apertè docet Apostolus Paulus. In Epistola siquidem 1ma ad Corinthios cap: 2do doctrinam de Christo quam prædicavit, appellat Dei sapientiam in Mysterio quæ abscondita fuit, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit, sed illam Deus revelavit per Spiritum suum, & in Epistola ad Colofs: cap: 1mo dicit se factum esse Ministrum Christi ad annuntiandum *Mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus.* Cum itaque Divini Verbi Incarnatio, Divinæ opus sit sapientiæ in Mysterio absconditum, Mysterium sæculis & generationibus incognitum, quod nemo cognovit, sed à Deo nonnisi postremis temporibus manifestatum, & per Spiritum Sanctum revelatum est, sola itaque naturali ratione, sinè Dei revelatione sciri, & cognosci non potuit, nequé percipi aut intelligi valet. Meritò igitur S. Augustinus Epist: 137. ad Volusianum de Mysterio Verbi incarnati disserens scripsit: *Si ratio hic quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus aliquid Deum posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.*

Quæres 3tio. Mysterium Incarnationis continetnè aliquam in se repugnantiam?

Resp: Mysterium Incarnationis nullam in se continet repugnantiam, undé planè est possibile. Enimvero Mysterium Incarnationis consistit in conjunctione naturæ Divinæ cum humana in una Divini Verbi persona. Porro istiusmodi conjunctio nullatenùs repugnat. Si enim repugnaret, tunc vel ex parte naturæ Divinæ, vel ex parte naturæ humanæ, vel ex parte nexûs utriusquè, nihil enim præter hæc tria aliud quidquam cogitari potest. Sed nullà ex parte vel minima occurrit repugnantia. Non potest esse repugnantia ex parte naturæ Divinæ, quia per conjunctionem ipsius cum natura humana, nequé ulla ipsi adimitur perfectio, nequé ulla additur imperfectio, nec tandem aliqua in Deo facta est immutatio, aut vicissitudinis adumbratio. Non est etiam aliqua ex parte

natu-

naturæ humanæ oppositio, quod enim ipsa jungitur naturæ perfectiori ſcilicet Divinæ, à qua ipsa tanquam imperfectior perficitur, ac completur, & propterêa propria careat personalitate, ſed in Verbo Divino ſubsistat, nulla hic apparet repugnantia. Tandem nulla quoqué est repugnantia ex parte nexûs utriusquè naturæ, per hunc siquidem nexum natura Divina non est conversa in humanam, nequé humana in Divinam, nulla facta est illarum confusio, aut permixtio, ſed mera ipsarum unio atque conjunctio. Mysterium itaqué Incarnationis nihil in ſe continet quod cum ſana ratione pugnet, nullam involvit repugnantiam, estqué plane poſsibile

Dices. Sanæ rationi repugnat, ut duæ ſubstantiæ, sibi contrariæ, Divina videlicet & humana, in una conjungantur persona, aliàs duæ propositiones sibi contrádictoriè oppositæ de eodem formatæ ſupposito, *exg.* eſse mortalem & immortalem, finitum & infinitum simul erunt veræ, quod omnino implicat.

Resp: Non repugnat duas ſubstantias diversas, atqué discrepantis naturæ in una persona ſecúm conjungi, atqué strictiſsimo nexu copulari, & id videmus in homine fieri, natura animæ humanæ ſpiritualis est, natura verò corporis humani materialis est, & tamen duæ istæ naturæ planè sibi contrariæ atqué oppositæ in una hominis persona ſecúm strictiſsimo nexu junguntur, atqué copulantur, & tunc de eodem homine veræ istæ enuntiantur propositiones, homo est materialis, homo est ſpiritualis, quæ quidem videntur eſse contràdictoriæ, ſed reipsa tales non ſunt, quia etsi de eodem pronuntientur ſupposito, ſed ſub diverso respectu, & ex diversa ratione, ſcilicet ratione animæ homo est ſpiritualis, ratione verò corporis materialis. Si hoc cernimus, & perspicimus in homine, id in Mysterio Incarnationis Divinæ, quod hominis conditionem longè ſuperat, non repugnat ut duæ diversæ naturæ Divina ſcilicet & humana in una Verbi Divini persona ſecúm uniantur, atqué simul copulentur, proindequé de eodem Christo verum est dicere, quod sit mortalis, & immortalis, finitus, & infinitus, ſed ex diversa ratione, & ſub diverso respectu, nimirum ratione humanæ naturæ est mortalis & finitus, ratione verò Divinæ naturæ est immortalis & infinitus, & hac de causa istiusmodi propositiones non ſunt reipsa contràdictoriæ, quia etsi contraria de eodem enuntient ſupposito, ſed non ſub eodem respectu, & ex diversa ratione.

 At

At inquies. Humana uatura propiam exigit ſubsistentiam ſeu personalitatem, illa ergo carere non potêst. Jam verò in Mysterio Incarnationis, humana natura caret propria ſubsistentia, ſola personalitate Verbi Divini ſubsistit. Mysterium itaqué Incarnationis ſanæ rationi adversatur.

Resp: Natura humana exigit propriam ſubsistentiam, illamqué ſemper habet, si alteri naturæ perfectiori, atque excellentiori non uniatur, quod si alteri naturæ perfectiori, atque excellentiori uniatur, quemadmodum in Mysterio Incarnationis contingit, tunc propriam ſubsistentiam habere nequit, quia ipsa non est totum ſui juris, ſed pars totius, à persona Verbi Divini perficitur, completur, ac terminatur, ac proinde personalitate Verbi Divini, non autem ſua propria ipsa ſubsistit. Minimè verò repugnat ut natura perfecta, qualis est humana, alteri perfectiori jungatur, uniatur, & à perfectiore perficiatur & compleatur. Nulla itaqué est in Mysterio Incarnationis repugnantia.

Quœres 4to. Utrùm Mysterium Incarnationis Verbi Divini expediebat, atqué conveniens fuerit?

Resp: Mysterium Incarnationis Verbi Divini & maximé expediebat, & Deo, homini, universoqué generi humano ſummè conveniens fuit. In Mysterio namqué Incarnationis Verbi Divini, miro fulgore resplendent Divinæ perfectiones, omnipotentia ſcilicet, ſapientia, bonitas, justitia, ac misericordia, quare ad Divina attributa manifestanda fuit illud ſummé opportunum, atque congruebat quàm maximè. Aliunde verò Verbum Divinum, humanam in ſe naturam aſsumendo nihil operatum est, quod non cohærerat cùm Divina Majestate, atqué in ipsa ejus exinanitione, gloria, & ſplendor Deitatis Maximè elucescebat. Igitur Mysterium Incarnationis fuit Deo maximè conveniens. Sed & homini, atqué universo generi humano ſummè expediebat. Innumera namqué in genus humanum ex Verbo incarnato beneficia, donaqué cælestia deiluxerunt. Inde enim naturæ nostræ, per infeliciſsimum primorum Parentum lapsum, perditæ reparatio cælestis, quam Christus enarravit, mundoqué tradidit, doctrina, constans virtutum omnium exemplar, quæ nos verbo, & facto edocuit, praximqué illarum monstravit, naturæ humanæ per admirabilem cum Verbo Divino conjunctionem, altiſsima ſublimatio, facilis & apertus per Christum ad Deum acceſsus, atqué cum illo amiciſsima reconciliatio, peccatorum nostrorum expiatio, regni cælestis acqui-

quisitio, gratiarum omnium promeritum, ac tandem in Filios Dei adoptio effluxerunt, quâ propter Petrus Apostolus in Epistola 2da cap: 1mo docet per Christum maxima ac prætiosa promiſsa nobis donata fuiſse, ut per ea Divinæ consortes efficiamur naturæ, & Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios cap: 1mo ſcribit, per Christum omnia restaurata fuiſse, quæ in cælo, & quæ in terra ſunt. Maximé itaqué Mysterium Incarnationis Verbi Divini, universo generi humano, conveniens, atqué opportunum fuit.

ARTICULUS 2dus

De existentia Incarnationis Verbi Divini, ipſiusqué neceſsitate.

Quæres 1mo. Utrùm Mysterium Incarnationis Verbi Divini reipsa adimpletum jam fuerit?

Resp: Mysterium Incarnationis Verbi Divini, reipsa in Christo Jesu Salvatore nostro, jam adimpletum fuit. Totum siquidem Mysterium Incarnationis Verbi Divini in eo positum est, quod in una Verbi Divini persona, duæ naturæ, humana ſcilicet & Divina ſecùm uniantur, atqué conjungantur. Jam veró in Christo Jesu Salvatore nostro, duæ naturæ Divina, videlicet & humana in una Verbi Divini persona unitæ, atqué cojunctæ ſunt, quemadmodum docent Scripturæ, & universa confitetur Ecclesia. Igitur in Christo Jesu Salvatore nostro, Mysterium Incarnationis verbi Divini adimpletum est. Undè S. Joannes Apostolus in principio ſui Evangelii, ortum, originemqué Christi describens, inquit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.... Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ex quo luculentiſsimè apparet, Verbum quod erat Deus, atqué unigenitus cælestis Patris Filius, Divina proinde Persona, humanam in ſe aſsumpsiſse naturam, sibiqué illam copulâſse, unde totus & unus est Christus, Homo Deus, in unitate Divinæ Personæ duplicem complectens naturam, Divinam & humanam.

Quæres 2do. Antequam impletum eſset Divinæ Incarnationis Mysterium, quibusnam illud innotuerat?

Resp: Verbi Divini Incarnatio, antequam adimpleta eſset, Angelis & hominibus à Deo manifestata fuit. Et

qui-

quidem Angelis maximê bonis, hanc enim Gabriel Angelus Danieli Prophetæ, & Mariæ Virgini prænuntiavit; atqué Paulus Apostolus in Epistola ad Hebræos cap: 1mo docet, Primogenitum Patris, dum ab ipso induceretur in orbem, ab Angelis adoratum fuiſse, unde & natum ipsum Pastoribus evangelizaverunt, Salvatoremqué mundi futurum promulgârunt. Angeli verò mali, sive Dæmones, de Christi Divinitate, ac proinde de Incarnationis Divinæ Mysterio, modo dubii eſse videntur, quia utrùm ille Filius Dei eſset, multis exquirebant modis, *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.... Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Math: cap: 4to aliquando verò eam agnoverunt ſaltem conjecturaliter, unde dicebant Christo: *Quid nobis & tibi Jesu Nazareno? venisti perdere nos? Scio quis ſis, Sanctus Dei,* & iterum cum ipse Christus Dæmonia eijciebat, *non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.*

2do. Patriarchis, Prophetis, aliisqué viris inter Judæos ſanctitate conspicuis, futurum Incarnationis Mysterium Deo revelante innotuit, imo & Gentiles non omnino latuit. Siquidem ab ipso mundi exordio primis Parentibus nostris ex ſemine eorum oriundus, ac proinde verus homo, promiſsus est Meſsias, qui ſuâ virtute caput infernalis ſerpentis conterrere debuerat, quô Divina ipsius designabatur virtus, Abraham quoque, Jacobo, atqué Isaac ex Semine eorum nasciturus idem pollicetur Meſsias, in quo omnes Gentes, omnesqué cognationes terræ benedicendæ erant, quod Dei ipsius opus erat, igitur Homo-Deus in venturô Meſsia his Sanctis Patriarchis demonstrabatur, ac proinde Mysterium Divinæ Incarnationis declarabatur. Prophetæ etiam, Vatesqué antiqui quam plurimi, qui de futuro Meſsia vaticinati ſunt, illum tanquam verum Deum, & Verum hominem depinxerunt, in una itaque Persona duplicem ipsius naturam Divinam & humanam agnoverunt. Hinc quoqué omnes justi qui venturum Meſsiam ardentiſsimé expostulabant, è Cælo mittendum expectabant, Deum ergo & hominem futurum eſse credebant.

3tio. Sed præter Judæos, alias quoqué Gentes Mysterium Incarnationis Divinæ non omnino latuit, quia ſci. licet promiſsio futuri Meſsiæ, in ipso mundi exordio à Deo facta, ac deinceps multoties repetita cujus Divina etiam prædicebatur virtus, unde Deus & homo futurus credebatur, in omnes Gentes propagata ac divulgata fuit

Qua-

Quare patientissimus Job, vir Idumæus totam spem suam in Deo Redemptore suo reponit, quem in carne sua, & oculis suis se conspecturum fore audacter affirmat. Balaam quoque, qui in regione Ammonitarum habitabat, ex Jacob stellam orituram prædixit, & Dominatorem universorum venturum prænuntiavit, cujus potestas in omnes Gentes se extendere debebat, quod Divinæ signum est omnipotentiæ. Saltem igitur subobscurè Messiam Deum & hominem futurum agnovit, ac proinde his Mysterium Incarnationis Divinæ, Deo revelante innotuit. Unde S. Augustinus libro 18. de Civitat: Dei cap: 47. sic inquit: *Non incongrué creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc Mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt.*

Quæres 3 Utrùm aliqua necessitate adstringebatur Deus, ut Filium suum mitteret in mundum, qui humanam assumeret naturam?

Resp: Etiam supposito lapsu humani generis in peccatum, nullâ necessitate Deus ad id præstandum tenebatur. Si enim aliqua necessitate tenebatur Deus, ut Filium suum in mundum mitteret, qui humanam assumeret naturam, fortè idêo ut genus humanum à damnatione æterna quam per peccatum incurrerat, liberaret. Verùm ad id præstandum nullâ necessitate tenebatur Deus, potuit enim hominem suâ culpâ lapsum, in massa perditionis relinquere, nullaqué major in Deo poterat esse necessitas redimendi homines lapsos, quam rebelles Angelos, quos tamen à lapsu non erexit, sed, quemadmodum docet S. Petrus Apostolus in Epist: 2da cap: 2do: *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, quapropter merito sapiens dixit Deo. Cap: 12. *Quis tibi imputabit si pereant gentes quas fecisti.* Et certè opus humanæ redemptionis planè gratuitum fuit, ac purum Divinæ misericordiæ beneficium, ad illud ergo præstandum nulla necessitatis lege Deus tenebatur. Undé inquit S. Joan: Apostol: cap: 3tio. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ùt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* & Paulus Apostolus ad Titum cap: 3tio scripsit. *Secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.*

Verûmtamen Divinam misericordiam ac svavissimam decebat Dei benignitatem, ut opus, quod ipse efformaverat, ac invidia diaboli fuit confractum, ac depravatum, reformaret, ac restauraret. Sed & in hypothesi reparationis,

onis, ac restaurationis humani generis Incarnatio Divina non fuit absolutè necessaria, potuit namqué Deus peccata gratuitè, & sinè ulla satisfactione condonare, ac dimittere, atqué genus humanum ad pristinum statum restituere, potuit etiam alicujus hominis singulariter gratia cumulati opera acceptare, quibus pro toto humano genere, licèt non ad strictos justitiæ apices satis fieret. Undé S. Athanasius Oratione 2da contrà Arianos inquit: *Etiam sine ullo Salvatoris adventu poterat Deus tantum modo d cere, atqué ita salvare maledictionem.* Et S. Gregorius Nanzianzenus Orat: 9na. *Hæc Salvator fecit, idqué cum voluntate sola, ut pote Deus, nobis salutem afferre posset.*

Quæres 4. Supposito lapsu humani generis in peccatum, in hypothesi condignæ exigendi satisfactionis, Incarnatio Verbi Divini fuitné absolutè necessaria?

Resp: Supposito lapsu humani generis in peccatum in hypothesi, quod voluerit Deus condignam pro peccatis hominum exigere satisfactionem, Incarnatio Verbi Divini absolutè fuit necessaria. Nemo enim alius, nisi Verbum Divinum incarnatum condignam Deo pro humani generis peccatis satisfactionem præstare potuit, satisfactio siquidem pro peccatis condigna tunc est, quando quis ad compensandam injuriam peccatis illatam, tantùm dat ac facit, quantùm ad strictos juris apices satis est; Porrò nulla pura creatura, potuit tantùm dare, ac facere ad compensandam injuriam Deo peccatis hominum illatam, quantùm ad strictos juris apices necesse erat. Gravitas enim offensæ crescit ex dignitate Personæ læsæ, & ex vilitate lædentis, atqué pro ea satisfactionem præstantis. Cum itaqué dignitas Dei modò infin to vilitatem c juscunqué excedat creaturæ, satisfactio ipsius nunquam potest esse tanti valoris, quantæ gravitatis est injuria Deo per peccata hominum illata, ac proindé à pura creatura, plena, & æquivalens pro peccatis hominum satisfactio præstari nullatenùs poterat. Undé supposito lapsu humani generis, in hypothesi, quod voluerit Deus condignam pro peccatis hominum exigere satisfactionem, opus omnino erat, ùt verbum Divinum caro fieret, atqué sic condignam Deo præstaret satisfactionem. Et id unanimiter docent Sancti Patres. S. Augustinus Serm: 174. *Non liberaretur humanum genus, nisi Sermo Dei, dignaretur esse humanus.* S. Cyrillus Alexand: Dialogo de Incarnatione. *Apprehendit Deus semen Abrahæ. Ita enim, & non aliter genus ad perniciem devolutum*

lutum instaurandum erat. S. Leo Magnus Serm: 1mo de Paſsione Domini sic inquit: *Talibus vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non poſsemus absolvi.*

Quæres 5to: An reipsâ Deus pro peccatis hominum condignam exigebat satisfactionem?

Resp. Deus reipsâ pro peccatis hominum condignam exigebat satisfactionem. Enimverò cum per peccata hominum Deus offendatur, Deo pro peccatis satisfactionem deberi manifestiſsimum est, quâ illata Majestati Ipsius resarciatur injuria, & hanc semper Deus â peccatoribus exigebat, atqué ipse peccatoribus justas pænas pro illorum peccatis infligebat, ùt innumera testantur exempla, nequé unquam Deus impunita peccata, & sinè præstita satisfactione dimittebat, Undé Paulus Apostolus ad Romanos Scribens cap: 1mo inquit: *Revelatur ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominùm*, & ad Hebræos cap: 9no ait: *Sinè sanguinis effusione non fit remiſsio.* Nec qualemcumqué satisfactionem pro peccatis hominum exigebat Deus, sed Plenam, & condignam, cui impares se eſse homines ultrà fatebantur, quemadmodum apud Micheam Prophetam cap: 6to scriptum reperimus: *Quid dignum offeram Deo? curvabò genu Deo excelso? nùmquid offeram ei holocautomata? & vitulos anniculos? Nùmquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pingvium? Nùmquid dabo primogenitum meum pro scelere meò, fructum ventris meì pro peccato animœ meœ.* Undé & Paulus Apostolus in Epist: ad Hebr: cap: 10. inquit: *Impoſsibile est sanguine Taurorum, & Hircorum auferri peccata*, quia scilicet his condigna Deo pro peccatis hominum satisfactio præstari non poterat. Quare misericordiſsimus ac benigniſsimus Deus, ùt condigna & planè sufficiens pro peccatis hominum fieret ſatisfactiò, quemadmodum idem docet Apostolus in Epistola ad Romanos cap: 3tio Jesum Christum *proposuit propitiationem per fidem in sanguinè ipsius ad ostensionem justitiœ suœ propter remiſsionem prœcedentium delictorum*, quapropter statim ab ipso Mundi initio post lapsum primorum Parentum nostrorum in peccatum, promisit Deus futurum Meſsiam, humani generis Liberatorem, ac Salvatorem Jesum Christum, in quo ùt docet Paulus Apostolus in Epist. ad Ephesios cap: 1mo. *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remiſsionem peccatorum.*

Quœres 6. Quis fuit finis Incarnationis Verbi Divini?

Resp:

Resp: Finis principalis, & totale motivum Incarnationis verbi Divini fuit redemptio generis humani, à servitute Dæmonis liberatio, ac condigna pro peccatis totius mundi satisfactio. Namqué Sacræ Scripturæ non aliud motivum, nequé alium aſsignant finem, cur Verbum Divinum caro factum sit. Sic Lucæ cap: 19no inquit Christus de se ipso loquens. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat*, & Paulus ad Galatas scribens cap: 4to. sic inquit. *Misit Deus Filium suum, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Omnia autem complexus est S. Joannes Apostolus in sua Epistola 1ma, ubi docet Filium Dei in mundum venisse ut diſsolveret opera Diaboli, ut peccata nostra tolleret, ut propitiatio eſset pro peccatis nostris, ut Salvator mundi eſset. Ex hoc autem omninò consequitur istud, si Adam non pecâſset, Filius Dei in mundum non veniſset, nequé Verbum Divinum caro factum fuiſset, & ita docent Sancti Patres. S. Athanasius Orat: 2da contrà Arianos. *Verbum nequaquam homo factus eſset, nisi causa fuiſset hominum neceſsitas*, & S. Augustinus Serm: 174. de verbis Apostoli. *Si homo non periiſset, Filius hominis non veniſset.*

CAPUT SECUNDUM

De promissione, & adventu Messiæ Salvatoris, ac Redemptoris humani generis.

ARTICULUS 1mus

De Divinis promiſsionibus venturi Meſsiæ.

Quæres 1mo. Nomine Meſsiæ quis intelligi debeat?

Resp: Meſsiæ nomen variè in Sacris Scripturis sumitur, diversasqué habet significationes, frequentiſsimè tamen venturum, ac mittendum denotat, undé per Meſsiam communi sensu ille semper intelligebatur, quem Deus, ad liberandum genus humanum à Diaboli servitute, ipsiusqué potestate eximendum in mundum mittere se appromise-

promiserat, quiqué pro peccatis nostris Divinæ justitiæ satisfacere, nos cùm Deo reconciliare, solutoqué prætio ab æterna damnatione redimere, atqué æternam salutem nobis promereri debuerat. Hinc præcipui Mefsiæ tituli sunt, quod sit generis humani Liberator, ac Salvator, Mediator, atqué Redemptor.

Quæres 2do: Quando & quibus Deus venturum appromisit Mefsiam?

Resp: Ab ipso mundi exordio, postquam primi Parentes nostri in peccatum prolapsi sunt, ad consolandam mæstifsimam illorum conditionem, statim Deus venturum Mefsiam ipsis appromisit, qui infernalis Serpentis, à quo seducti & ad peccatum attracti fuerant, caput conterere debuerat. Maledicens siquidem Deus Serpenti, qui Evam seduxerat, dixit: *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conterret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Genesis cap: 3tio. Hic enim per Serpentini capitis conculcationem, destructio potestatis, quam Dæmon sibi in hominem arrogaverat, intelligi debet, quia scilicet Dæmon Evam seducens, naturali serpente, tamquàm instrumentò usus est, quare Scriptura Sacra, 2da ad Corinth. cap: 11mo, & Apocalip: cap: 12mo Diabolum Serpentem antiquum appellat, ejusqué debellationem Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos cap: 16. contritionem sub pedibus nostris vocat. Per semen autem mulieris alius intelligi nequit, nisi Mefsias, qui solus potestatem Dæmonis destruere, & caput serpentis conculcare potuit, is enim rectè semen Mulieris dicitur, eô quod natus sit ex semine Mulieris, non ex semine viri, undé dum invulgata nostræ Scripturæ Sacræ interpretatione legitur, *ipsa conterret caput tuum,* in textu Hebræo ponitur, *ipse conterret caput tuum,* scilicet is, qui ex Semine Mulieris nasciturus erat. Hoc itaqué loco promittitur Mefsias, Liberator, ac Salvator, qui Dæmonis potestatem destruere, atqué ab ipsius servitute humanum genus liberare debuerat, quapropter Joannes Apostolus in Epist: 1ma cap: 3tio docet: Christum in mundum venifse, ut opera Diaboli difsolveret, & Apostolus Paulus ad Hebræos cap: 2do: scribit: Christum carnem afsumpsifse, ut per mortem suam Diabolum destrueret, nosqué ab ipsius servitute liberaret.

Et hæc venturi Mefsiæ, à Deo facta promifsio, quamquam constanter in genere humano conservabatur, fuit tamen deinceps clariùs Abrahamo, Isaac atqué Jacobo reno-

renovata. Ad Abraham namqué dixit Deus, Genesis cap: 12mo. *In te benedicentur universæ cognationes terræ*, & cap: 22do. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Hic itaqué iterum venturus Meſsias promittitur, atqué ex stirpe Abrahami nasciturus prædicitur; nullo enim alio modo in semine ejus benedici omnes gentes poterant. Quare Apostolus Paulus in Epist: ad Galatas cap: 3tio hanc Abrahamo à Deo factam promiſsionem de Christo eſse docet. *Abrahæ dictæ sunt promiſsiones, & semini ejus, non dicit & ſeminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus.* Atqué istius modi promiſsio de Meſsia ex sermone Abrahæ orituro, posteris ejus Isaac, & Jacob rursus repetitæ fuerunt. Ad Isaac namqué dixit Deus Genesis cap: 26. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Jacob autem filius Isaac vidit in somno Dominum scalæ innixum, & dicentem sibi. *Ego Dominus Deus Abraham Patris tui, & Deus Isaac, benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ:* Genesis cap: 28. Hinc Apostolus Paulus in Epistola ad Hebr: cap: 11mo Isaac & Jacob vocat cohæredes repromiſsionis Abrahamo factæ. Easdem repromiſsiones à Jacobo ad sequentes generationes propagatas fuiſse, dubitari nequit. Cum enim Jacob duodecim suscepiſset filios, hæreditatem quidem terræ Chanaan singulis ex æquo partitus est, promiſsionem verò venturi Meſsiæ, peculiari benedictione Judæ tribuit, dicens: *Juda, te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui, non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*: Genesis cap: 49. ubi & tempus designavit, quò Meſsias ex ejus oriturus progenie mundo apparere debuerat.

Post Patriarcharum mortem, populus Israëliticus à captivitate quâ in Ægypto detinebatur per Moysem in prodigiis, ac mirabilibus eductus, legem à Deo accepit, verùm tota lex per Moysem à Deo data, quemadmodùm futurum Meſsiam præfigurabat, ita etiam venturum prædicebat, & appromittebat, undé Paulus Apostolus in suis Epistolis docet finem legis Moysaicæ, Christum fuiſse, legem antiquam umbram vocat futurorum, atqué omnia populo Judaico in figuris contigiſse affirmat. Sed ut Populus Israëliticus apertiùs perciperet, atqué clarius agnosceret se ad feliciora Meſsiæ tempora disponi, spopondit illi Deus insignem, magnumqué Prophetam Moysi similem se ipsi daturum, cui omnem obedientiam præstare

tene-

teneretur Deuter: cap. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loquetur ad eos omnia quæ ego præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam.* Propheta namqué, quem hic Deus populo Israélitico appromisit, alius non est, quâm Meſsias, qui ex omnibus Prophetis qui à Moyse usqué ad Meſsiæ adventum fuerant, nullus illi aſsimilari potest, nullusqué surrexit quemadmodum dicitur Deutor cap: 34. *quem noscet Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atqué portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram universo Israel*, & Petrus Apostolus Actorum cap: 3tio hanc Divinam promiſsionem ad Meſsiam refert, atquè in Christo completam fuiſse docet.

Tandem quoniam Deus ad magnum Redemptionis humani generis opus, paulatim homines disponere constituit, idêo voluit sua consilia semper clariùs mundo manifestare, quapropter probos, sanctosqué quam plurimos viros suo spiritu afflatos eum in finem suscitavit, ut de futuro Meſsia vaticinarentur, eumqué ita describerent, ut, obcæcato animo sit oportet, qui ipsum agnoscere renuat. Tales fuerunt magni illi Prophetæ David Rex, Josias, Jeremias, Daniel, Michæas, Zacharias, Aggæus, Malachias, ceteriqué multi, qui Meſsiæ characteres, proprietates, ac circumstantias in quibus apparere debebat, accuratiſsimè descripserunt.

Quæres 3. Promiſsio de venturo Meſsia à Deo tùm primis Parentibus nostris, tùm Patriarchis facta, fuitné inter gentes propagata, & conservata?

Resp: Studiosè fuit propagata, & diligentèr conservata. Primis namqué Parentibus nostris de venturo Meſsia, qui infernalis serpentis caput conterere debuerat, factam fuiſse à Deo promiſsionem certum est, nequé dubitandum Deum omninò perspicuè illos edocuiſse, quod per illum humanum genus liberare ac redimere constituerit. Porró cum ipsi non solum primi omnium fuerint Parentes, sed & primi omnium debuerint eſse magistri, præcipuè in iis quæ ad Dei cultum, atqué ad æternam consequendam salutem spectabant, præsumendum omnino est ipsos etiam promiſsionem, notitiamqué, quam à Deo de venturo Meſsia acceperant, in filios, ac nepotes transfudiſse, atqué illis communicâſse, undé sic ab Adam ad Abel, & Seth, à Seth ad Enosum, ab Enoso ad Henoch,

ab isto ad Mathusalem, ab hoc ad Noemum, à Noemo ad filios ejus Sem, Japhet, & Cham, à Semo ad Abraham propagata fuit. De Abele siquidem testatur Apostolus Paulus in Epist: ad Hebr: cap: 11. illum fide plurimum, hoc est prætiosiorem atqué abundatiorem, quam Caim hostiam Deo obtulisse, & ab ipso testimonium consecutum, quod justus esset. De Enoso etiam Genesis cap: 4to: scriptum est. *Iste cœpit invocare nomen Domini*, seu ùt habet textus Hebræus *Tunc cœptum est vocari in Nomine Domini*, quia scilicet Enoso potissimum authore cæperunt homines in unum convenire cætum, atqué Deum cultu publico collere præscriptis in eum finem externis ritibus, qui minimè à fide in venturum Messiam sejungebantur. Henoch quoqué Genesis cap: 5to dicitur cum Deo ambulâsse, & Paulus Apostolus in Epist: ad Hebr: cap: 11mo. affirmat ipsum placuisse Deo, sed & de secundo Messiæ adventu, qui primum necessariâ præsupponit, ad orbem terrarum dijudicandum ipse prophetavit, quemadmodum in sua Epistola testatur S. Judas Apostolus. Tandem Noe invenit gratiam coram Domino, fuitqué vir justus, & perfectus, atqué cum Domino ambulâsse dicitur Genesis cap: 6to, & S. Petrus Apostolus in Epist: 2da cap: 2do vocat ipsum Præconem justitiæ, quia scilicet venturum Messiam, qui omnis justitiæ fons est, deprædicabat. Porrò quod Abel fide plurimam Deo obtulerat hostiam, quod Henoch placuerit Deo, quod Noe justus, perfectusqué fuerit, hæc sinè fide in venturum Messiam esse non poterant, quia ùt docet Paulus Apostolus in Epist: ad Hebr: cap: 11mo. *Sine fide impossibile est placere Deo*, nequé sinè illa vera justitia unquam haberi potest, quia scilicet ùt idem Apostolus in Epistola ad Galatas cap: 2do scripserat. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* Omnes ergo isti Abel, Enos, Henoch, Noe, notitiam venturi Messiæ fidemqué in ipsum à suis Majoribus sibi communicatam habuerant, quam etiam ad suos posteros propagârunt. Verum hæc futuri Messiæ notio, fidesqué non solùm per Semum ad Abrahami familiam propagatam fuisse censendum est, sed etiam per Japhet, & Cham duos itidem filios Noe ceteris nationibus communicatam fuisse dubitari nequit. Job siquidem Idumæus, qui Moysi coævus, aut illo longè superior fuit, Dei Redemptoris meminit, atqué in illo totam felicitatis suæ spem reponit, & Balaam, qui habitabat in terra Ammonitarum,

Mel-

Meſsiam venturum, qui dominetur, prænuntiavit, ad cujus ortum Stella ex Jacob apparere debuerat.

Cum verò Divinæ de venturo Meſsia promiſsiones, Patriarchis Abrahamo, Isaaco, & Jacob renovatæ, atqué iteratæ fuerint, magis etiam inter Gentes propagatæ fuerant. Certam notitiam futuri Meſsiæ Abraham non ſoli Isaac ſed & ceteris filiis ſuis ex Agara, & Cetura genitis propinavit, atqué cum circumcisione, quæ ùt Apostolus Paulus in Epist: ad Roman: cap: 4to docet, erat *ſignaculum fidei, & justitiæ*, transmisit, quod & Isaac filio ſuo Esau præstitit, Itaqué non in ſolum populum Judæorum, ſed & in innumeras Gentes cum circumcisione, notitia ac fides futuri Meſsiæ propagata fuít, unde ſcribit Apostolus, Abraham factum eſse Patrem omnium credentium, non iis tantùm qui ſunt ex circumcisione, nempe Judæis, ſed & iis etiam qui ſectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris Abrahæ, nempe Gentilium.

Magis autem post latam à Deo per Moysen legem, post Prophetas, cum tota Judæorum religio, cujus principale caput fuit fides in venturum Meſsiam, libriqué Prophetici, qui omnes Meſsiam futurum deprædicabant in diversas Gentes Nationesqué divulgati fuerunt, magis etiam, ac clariùs notitia venturi Meſsiæ propagata, ac ubiqué divulgata fuit.

Quæres 4to. Quibus modis notitia venturi Meſsiæ propagata, & conservata fuit?

Resp: Propagata, & conservata fuit, ſermone, ſcriptura, maxime verò ſacrificiis. Et *1mo.* quidem notitia venturi Meſsiæ propagata & conservata fuit ſermone, ſeu traditione orali. Certiſsimùm namqué est Parentes filios, ac nepotes ſuos edocuiſse, notasqué ſemper feciſse Divinas illas promiſsiones, quas de venturo Meſsia, atqué humani generis Liberatore, Deus fecerat, piè siquidem credendum est, omnes ab initio mundi Patriarchas id præstitiſse, quod Deus de Abrahamo dixerat Genesis cap: 18vo. *Scio quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ post ſe, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium, & justitiam.* Hoc autem orali traditione, quemadmodum tota Religio à Deo revelata, à primis Parentibus nostris usqué ad legem â Moyse ſcriptam propagari ac conservari potuit, ita pariter & notitia venturi Meſsiæ atqué humani generis futuri Liberatoris, in quem fides, ac ſpes reponenda: maximam partem primævé religionis costituebat, atqué unicum fuerat hominibus præstitutum remedium ad

ſalu-

ſalutem æternam conſequendam. *2do.* Scriptura. In libris namquè Moysis, de venturo Meſsia factæ à Deo continentur promiſsiones, quæ à Prophetis deinceps clariùs, & apertiùs prædictus, atqué descriptûs fuit. Prædictos verò libros, in alias, præter Hebraicam, ac Chaldaicam, lingvas versos, translatosqué fuiſse compertum est, & ante ſeptuaginta Interpretum vèrsionem, jam aliquarum ſaltem Librorum Sacrorum extitiſse translationem probabile est, cujus etiam meminit Aristobulus Judæus, quem fuiſse Magistrum Ptolomæi Regis Ægypti, legere est in libro 2do Machab: cap: 1mo. Hos libros ſuis propriis lingvis legebant Gentiles, maximê Philosophi, Poëtæ, atqué ſapientiores, indequé haurire poterant notitiam venturi Meſsiæ, qui humani generis Liberator, atqué Redemptor eſse debuerat. Sive autem ex lectione Sacrorum librorum haustam, sive orali traditione acquisitam, ſemper verum est Gentiles futuri Meſsiæ notitiam habuiſse. Namqué ex Hesychio, Clemente, Protreptico, & Plutarcho in Alexandro discimus, memoriam historiæ de ſeductione Evæ apud Ethnicos conservatam fuiſse, in antiquiſsimis siquidem Græcorum mysteriis acclamatum fuit Evam, simulqué monstratum ſerpentem. Quod si verò ſeductionis Evæ historia ad Græcos pervenit, ſupponendum est, & promiſsionem de illo, qui ex ſemine Evæ nasciturus caput Serpentis conterere debuerat permeâſse, & facilius adhuc promiſsiones Abrahæ factæ, quæ ſeductione Evæ longè posteriores fuerunt, ad illos propagatæ ſunt, maximè quia ùt Eusebius in libro Præparat: Evangelicæ cap: 17mo allatis Berosi, Hecatæi, Eupolemi aliorumque testimoniis evincit. Abraham apud Gentiles celebratiſsimus fuit. Sed & Sictonius, atqué Tacitus testantur per totum Orientem pervulgatiſsimam fuiſse opinionem ex Judæis futurum qui ſummâ omnium rerum potestate potiretur. *3tio.* maximè tamen notitia, atqué expectatio venturi Meſsiæ per Sacrificia propagata, & conservata fuit. Quamquam enim Sacrificia ad protestationem Deo debitæ obedientiæ institutæ fuerint, attamen futurum Meſsiam, ejusqué paſsionem, & mortem, quâ genus humanum redimere debuerat, præfigurabant. Sacrificiis itaqué à mundi exordiò institutis, fides in venturum Meſsiam continebatur, unde Apostolus Paulus ſcripserat: Abel fide plurimam hostiam obtuliſse Deo, quod & Noe post diluvium præstitit, qui egreſsus de Arca, *ædificavit altare Domino, & tollens ex cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta ſuper Alta-*

Altare. Odoratusqué est Dominus odorem ſuavitatis. Genesis cap: 8vo. Nequé enim hæc Sacrificia Deo accepta eſse poterant, nisi fide in venturum Meſsiam exhibita fuiſsent, & Sacrificium ab ipso offerendum adumbrâſsent. Ex quo liquet Sacrificia à Deo fuiſse instituta tamquam medium, quô notitia fidesqué in venturum Meſsiam humani generis Redemptorem propagaretur, atqué conservaretur. Cum enim Sacrificiorum usus longè, latequé per orbem diffusus fuerit, per Sacrificia verò venturus Meſsias præfigurabatur, patet inde eum usum Sacrificiorum, simul notitiam fidemqué in futurum Meſsiam propagatam atqué conservatam fuiſse. Etsi verò in Idololatriam prolapsæ fuerint Nationes, Sacrificiaqué contaminaverint, obscurata quidem, ſed in toto extincta non fuit notitia futuri Meſsiæ, ſemperqué inter Gentes extiterunt, qui vero Deo Sacrificia munda offerebant, & promiſsum Redemptorem agnoverant, illumqué expectabant.

ARTICULUS 2dus.

De adventu Meſsiæ.

Quæres 1mo. Utrùm jam Meſsias advenerit?

Resp: Meſsiam jam dudum adveniſse, certum & indubitatum est, idqué invictè demonstratur ex Vaticiniis Jacobi Patriarchæ, Danielis, Aggæi, atque Malachiæ Prophetarum.

Quæres 2do. Quodnam est illud Jacobi Patriarchæ Vaticinium, ex quo Meſsiæ adventus comprobatur?

Resp: Jacob Patriarcha cum eſset morti proximus convocavit ad ſe duodecim filios ſuos, benedixit singulis benedictionibus propriis, atqué illa quæ noviſsimis temporibus ventura erant, ipsis prædixit, Genesis cap: 49no. Cum itaquè ad Judam, quartum ex ordine generationis perveniſset filium, sic eum affatus est: *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Non auferetur* Schevet, id est *Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus donec veniat* Schiloh, hoc est, *qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Tota autem vis argumenti, quod ex isto Jacobi Vaticinio ad probandum Meſsiam jam adveniſse, desumitur, consistit in recta interpretatione atqué intelligentia duarum hebraicarum vocum *Schevet*, & *Schiloh*,

Dd quia

quia nimirum variè in Sacris Scripturis ſumuntur, & proinde etiam diverso modo intelliguntur. Verum in hoc Jacobi Vaticinio ita illas intelligendas atque interpraetandas eſse, quemadmodum vulgata nostra Scripturæ Sacræ lectio habet, evidentiſsimùm est. Et quidem *1mo.* per vocem *Schevet* intelligi omnino debet virga potestatis, ſeu Sceptrum quô ſuprema authoritas, atqué in alios dominium, principatusqué significatur, quod ex ipso contextu facile evincitur. Superiùs namqué prædixerat Jacob, quod tribum Juda, ceteræ Judæorum tribus laudare, & adorare debebunt: *te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii Patris tui* id verò non alia de causa fieri debuerat, nisi quia Principatus, & dominium in domo & familia Juda futura erant, unde statim ſubjungit. *Non deficiet Sceptrum de Juda* prætereà continuò ſuperadditur, *& dux de femore ejus*, penes Ducem verò principatum eſse nemo ambigere potest. *2do.* per vocem *Schiloh* pariter mittendus significatur, *donec veniat qui mittendus est* non alius verò hic mittendus intelligendus est nisi Meſsias, qui enim hic mittendus aſseritur, expectatio Gentium dicitur, *& ipse erit expectatio gentium.* Nullus verò alius expectatio gentium eſse poterat, quam Meſsias, quia in ipso, & per ipsum benedicendæ erant omnes nationes, atquè tribus terræ, unde etiam ipse à Propheta Aggæo cap: 2do vocatur: *Deſideratus cunctis Gentibus.* Quare cum vulgata nostra Scripturæ Sacræ lectione conveniunt omnes antiquiſsimæ interpraetationes, quæ etiam longé ante Christum natum extabant. Namquè Paraphrasis Onhelos sic habet: *Non auferetur exercens dominatum de domo Juda, donec veniat Meſsias*, Paraphrasis Jonathanis: *Non ceſsabunt Reges, & Præſides de domo Judæ usque ad tempus, quó veniat Rex Meſsias.* Paraphrasis pariter Hierosolymitana sic habet: *Non deſinent Reges ex domo Judæ usque ad tempus quó veniat Meſsias, cujus est Regnum.* His accedit versio Persica, Syriaca, Aquile, atqûe Symmachi,

Sic itaqué Jacobi Patriarchæ exposito Vaticinio, ex ipso Meſsiam jam dudum adveniſse ſequenti modò invicte demonstratur. Tunc Meſsias advenire debuit, quando Sceptrum ſeu ſuprema potestas in tribu Juda totaliter ceſsabit, atqué deficiet. Porro Sceptrum, sive ſuprema potestas, non ſolùm in tribu Juda, ſed etiam in tota Judæorum Gente jam diu defecit, atque ceſsavit, quod ex præsenti Judæorum conditione manifestiſsimè patet. Subversa namquè per Titum Hierosolima Judæi per totum orbem di-

diſperſi sine proprio Principe, aut Duce, absqué ſuprema potestate errabundi, alieno ſemper ſubjecti imperio huc usque permanent. Igitur jam dudûm Meſsias advenit.

Objicies. Si per hebraicam vocem *Schevet* intelligatur Sceptrum, sive ſuprema potestas, jam tempore captivitatis Babilonicæ, aut brevi post illam Meſsias venire debuerat. Namqué tempore Babilonicæ captivitatis, quæ ſeptuaginta annis duravit, capto, & in Babylonem abducto Sedecia ultimo Judæorum Rege, cum universo populo, diruta Jeroſolyma, & combusto Templo, totaliter apud Judæos ceſsavit ſuprema potestas. Jam verò post captivitatem Babylonicam, ſuprema potestas diu fuit penes Aſsamenæos ſeu Machabæos, qui de tribu Levi erant. Præterea particula ista *donec*, dum in Vaticinio Jacobi dicitur, *donec veniat, qui mittendus est* sic reddi debet, *priusquam venerit*, ita, ut ſensus sit, post adventum Meſsiæ ſceptrum in Juda perpetuum fore, nec ab ipso unquam auferendum. *2do.* potiùs igitur per vocem *Schevet* intelligenda est virga tribulationis, unde in Vaticinio Jacobi prædicitur non receſsuram à tribu Juda, sive à tota Judæorum Gente tribulationem donec veniat Meſsias. Hæc igitur tribulatio quoniam adhuc durat, non igitur Meſsias jam venerat.

Resp: ad 1mum. Tempore captivitatis Babylonicæ Sceptrum, ſeu ſuprema potestas defeciſse apud Judæos censeri nequit, quia ſolum interrupta fuit, & quidem tempore ſatis brevi, adêo ùt non ceſsatio Sceptri, Regniqué interitûs, ſed quasi Interregnum reputari debeat. Quamquam enim captivitas Babylonica per ſeptuaginta annos durâſse dicitur, verùm istiusmodi cum ſecudûm ſupputationem Jeremiæ Prophetæ cap: 25, & 29, incipiunt ab anno 4to Joachim Regis, quando prima facta est translatio Babylonem populi Judaici, à quo tempore, adhuc regnârunt Rege Juda in Jeruſalem annis octodecim, & menſibus ſex, usque ad annum undecimum Regni Sedeciæ Regis, in quo Templum, totaqué Civitas â Chaldæis diruta, & igne combusta fuit, universus populus, paucis exceptis, in captivitatem abductus fuit, ab hoc igitur tempore, usque ad annum primum Regis Cyri, quo captivitas Babylonica ſoluta fuit, Sceptrum, ſeu ſuprema potestas apud Judæos, nonnisi quinquaginta duobus annis quasi ſuſpensa fuit. Sed & per decurſum horum annorum, Judæi in Chaldæa commorantes, ſuis legibus vixerant, regebanturqué, ſuos habebant Judices, quibus etiam vitæ & mortis, in

ſuos inerat potestas, ût ex historia Susannæ, & Estheris patet, ſemperqué ſpem certam ſ æ è captivitate liberationis, reditûsqué in Patriam, ex Jeremiæ, & Danielis oraculis retinebant. Tandem anno trigesimo ſeptimo trânsmigrationis Joachim Regis Juda, Evilmerodach Rex Nabuchodonosoris Succeſsor, de carcere illum educens, *posuit thronum ejus ſuper thronum Regum qui erant cum eo in Babylone* prôut ſcriptum legimus in libro 4to Regum cap: 25to. Primó quoqué annó Cyri Regis antequam adhuc Populus Judæorum è captivitate Babylonica fuiſset in terram ſuam reversus, libro 1mo Esdræ cap: 1mo jam Sasabaſsar, ſeu Zorobabel Princeps Juda nominatur, & dicitur, & ab hoc Zorobabele incipiendo, post ſolutam Babylonicam captivitatem ſemper Judæi proprios ſuos Duces, Principesqué habebant, quibus ſuprema in ſuos potestas, & dominium competebat. Non ergo per Babylonicam captivitatem ceſsavit apud Judæos Sceptrum, nequè suprema apud ipsos deſecit potestas. Machabæi quoque, qui longô tempore apud Judæos Principatum tenebant, ac tandem nomen, dignitatemqué Regiam sibi asciverant, quamquam de tribu Levi erant, dignitatemqué ſummi Sacerdotij cum Regia potestate conjunxerant, verùm Supremam apud Judæos potestatem nonnisi de consensu & voluntate tribûs Juda, ab ipsa ſcilicet electi Principes, Ducesqué constituti, exercebant. Post reditum siquidem è Babylonica captivitate, ferê ſola tribus Juda reputabatur, quià ſcilicet pauci Sacerdotes, & Levitæ, exigua pars tribus Beniamin, ex reliquis autem tribubus nonnulli, tantummodo in Judæam redierant, unde tribus Juda totam gentem constituebat atqué Judæorum nomine jam vocitabatur. Ex ipsius ergo electione & consensu, Duces ac Principes, penes quos ſuprema erat potestas, constituebantur, quod in Machabæis manifestiſsimum est, pluribus in locis id docet Josephus libro Antiquitatum Judaicarum. Machabæi itaqué non proprio motu, aut ſuo jure Principatum inter Judæos sibi arrogârunt, ſed consensu, & electione Judæorum sibi traditum administrabant, quare in libro 1mo Machab: cap: 9no ad Jonatham fratrem Judæ Machabæi confluentes Judæi, sic inquiunt: *Nunc itaque te hodie eligimus in Principem & Ducem, ad bellandum bellum nostrum*, & ad Simonem dixerunt cap: 13tio: *Tu es dux noster loco Judæ, & Jonathæ fratris tui.* Quare etiam tempore Machabæorum pe-

nes

nes tribum Juda Sceptrum, ſeu ſuprema permansit potestas.

Quod verò attinet particulam *donec* sic respondetur. Cum in Vaticiniis Jacobi dicitur: *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est.* Particula ista *donec* ex regulis grammatices Sceptri finem, ceſsationemqué hoc in textu significat, ea namqué est hujus particulæ vis, atqué ex recepto usu significatio, ut rem præcedentem eô usque duraturam denotet, quòusque id, quod ei ſubnectitur, eveniat, quare in Vaticinio Jacobi particula *donec* Sceptrum, ſeu ſupremam potestatem eô usquè in tribu Juda duraturam significat, quousquè venerit, qui mittendus est, hoc est Meſsias. Nullò modò sic reddi potest, *postquam venerit Meſsias Sceptrum in Juda non deficiet*, hoc enim & integrum Vaticinii Jacobi perverteret ſensum, & ejusdem ſcopo, ac fini omnino repugnaret. Ex mente siquidem omnium antiquorum Judæorum, maximè qui Sacros libros ſunt interprætati, Jacob Patriarcha in ſuo Vaticinio determinat tempus, quô venturus est Meſsias, atqué ipsius adventûs hoc ponit signum, ceſsationem videlicet in tribu Juda Sceptri, ſeu ſupremæ potestatis, quodsi allata admittatur interprætatio, tunc nulla jam erit determinatio temporis, quô venturus sit Meſsias, nullum signum quô adventus ipsius cognosci poſsit. Subsistere igitur istiusmodi interpratatio nequit.

Ad 2dum. Vox hebraica *Schevel* tunc tantummodo in Scripturis virgam tribulationis significat, quando per aliquod adjunctum ad talem significationem determinatur, veluti in Psalmo 2do. *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos*, & Isaiæ cap: 10. *Væ Aſsur virga furoris mei.* Porro in Vaticinio Jacob nihil est, quod vocem *Schevel* determinet ad significandam virgam tribulationis, quin è contra, verba ſubsequentia, *& dux de femore ejus*, apertè indicant per illam significari virgam regiminis, & potestatis. Prætereà si in Vaticinio Jacobi per vocem *Schevel* significaretur virga tribulationis à Jacob prædictum eſset, tribulationem à tribu Juda non receſsuram donec adveniret Meſsias, id autem veritati totius historiæ gentis Judæorum apponeretur. Enimverò præterquam, quod ab egreſsu ex Ægypto Populi Israelitici tribus Juda & numerosior, & oppulentior fuerit, ſemperqué primas partes ante ceteras tribus tenebat, à Davide usquè ad Sedeciam per annos quingentos & florentiſsima ipsa fu-

it,

it, & Sceptrum obtinuit. Post Sedeciam verò, ac post reditum è captivitate Babylonica, ſub Ducibus ac Principibus gentis ſuæ per quadringentos circiter annos, si tempus persecutionis ab Antiocho excitatæ excipiamus, florens ac felix fuit, tandem in Jacobi Vaticinio, tribui Judæ omnia fausta, & prospera prædicuntur, nulla igitur est ratio, ut vox *Schevet* virgam tribulationis significet.

Quæres 2. Ex Prophetia Danielis quale eruitur argumentum ut ostendatur Meſsiam jam advenifse?

Resp: Cum Propheta Daniel fusis ad Deum præcibus supplex postularet, ut benigne ad Jerusalem, populumqué Judaicum respiceret, Gabriel Ángelus ad eum acceſsit, atqué ita illum allocutus est, cap: 9no. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem Sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum, scito ergo, & animadverte. Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & Civitatem & Sanctuarium diſsipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet Hostia, & Sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usqué ad consumationem, & finem perseverabit desolatio.*

Duo veró in hoc Danielis Vaticinio notanda sunt. *Primum*: per hebdomades, quæ in hoc Vaticinio memorantur, non sunt hebdomades dierum, sed annorum; de quibus etiam occurrit mentio Levitici cap: 25to, ubi septem hebdomadæ constituunt numerum quadraginta novem annorum, hinc in Danielis Vaticinio Septuaginta hebdomades conficiunt quadringentos, nonaginta annos. Numerus ergo hic septuaginta hebdomadum determinatus, & certus ponitur, non autem, ut aliquando in Scripturis Sacris contingere solet, certus ac determinatus pro incerto, & indeterminato, in Hebræo namqué textu ſeptuaginta ipsiusmodi hebdomadæ dicuntur decisæ, definitæ, quare etiam determinatum annorum numerum quadringentorum nonaginta significant, atqué designant. *Secundum* per sermo-

monem ut iterum ædificetur Jerusalem, à cujus exitu septuaginta hebdomadæ numerandæ sunt, intelligitur edictum Regis Persarum, qui tunc imperabat editum, ut Civitas Jerusalem à Nabuchonodosore diruta, ac eversa restauraretur, atqué iterum ædificaretur. Porró quatuor à Regibus Persarum in gratiam Judæorum promulgata sunt edicta. *1mum:* à Cyro Anno Imperij ipsius primo, de quo libro 1mo Esdræ cap: 1mo scribitur. Hoc edicto soluta fuit captivitas Babylonica, Judæis permifsum est in Patriam redire, Templumqué Jerosolymis ædificare. *2dum:* à Dario Histapse, quo nonnisi primum Cyri Decretum confirmatur, ut in eodem libro 1mo: Esdræ videre est. *3tium:* ab Artaxerxe Longimano, Anno Imperii ipsius septimo promulgatum, de quo scribit Esdras libro 1mo cap: 7mo. *4tum:* tandem ab eodem Artaxerxe, Annô Imperij illius vigesimo evulgatum, de quo legere est in libro 2do: Esdræ cap. 2do. Jam autem in tribus prioribus Regum edictis, nonnisi Templi Jerosolymitani ædificandi Judæis data est facultas, de restauranda verò Civitate Jerusalem nulla mentio, proindequé etiam Judæis vigore horum trium edictorum priorum, Templum tantummodò ædificare allaborabant, ùt ex libro 1mo Esdræ manifestifsimùm est. Quartum ab Artaxerxe Longimano Annô Imperij ipsius vigesimo latum edictum, primo concefsit Judæis facultatem restaurandæ etiam Civitatis Jerusalem, atqué vigore nonnisi hujus Edicti Civitas Jerusalem reædificata fuit, muri in circuitu illius erecti, turresqué restauratæ fuerunt. Cùm verò juxt Vaticinium Danielis, septuaginta Hebdomadæ numerari debeant ab exitu sermonis, sivè edicti, ut iterum ædificetur Jerusalem, atqué ibidem prædicitur, quod vigore hujuscemodi edicti rursum in angustia temporum ædificabitur platea, & muri Civitatis, ab hoc igitur ultimo edicto numerandæ sunt septuaginta hebdomadæ ad adventum Christi Ducis in Vaticinio Danielis memoratæ.

Quare ex Danielis Vaticinio ad probandum Mefsiam jam dudum venifse, tale efformatur argumentum. Vaticinium Danielis de venturo loquitur Mefsia, illumqué venturum prænuntiat. Quem enim venturum in hoc Vaticinio prædicit Daniel, is per excellentiam Unctus, seù Christus nominatur, Sanctus Sanctorum, qui peccata expiare, & justitiam sempiternam secum adducere debuerat, Author novi fæderis dicitur, sub quo vetera Sacrificia sunt abroganda, occidendus tandem, & post ipsius mortem

Civi-

Civitas Jerusalem evertenda, atqué in finem usqué abominatio desolationis duratura prænuntiatur. Hæc veró omnia nulli alio, quam Messiæ competere, & convenire possunt, quod innumeris etiam Scripturarum testimoniis facillimum est demonstrare. Igitur de Messia in prædicto Danielis Vaticinio sermo est. Hunc autem Messiam, Daniel post septuaginta hebdomadas Annorum, hoc est post quadrigentos nonaginta Annos ab exitu Sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem computandos, venturum affirmat. Istiusmodi veró septuaginta hebdomadæ sivè anni quadringenti nonaginta; non solùm si ab Artaxerxis Longimani edicto anno Imperij ejus vigesimo promulgato inchoentur, sed etiam à quocunqué Regum Persarum, in gratiam Judæorum lato decreto auspicentur, semper à multis jam sæculis effluxerunt, atqué præterierunt. Ergó Messias jam dudum advenerat. Præterêa juxta prænominatum Danielis vaticinium, post adventum, mortemqué Messiæ Civitas Jerusalem & Sanctuarium dissipandum erat, populus dispergendus, nec jam ampliùs populus Domini esse, aut nominari; Hostia & Sacrificium deficere debuerat, in templo abominatio desolationis futura erat, & usqué ad consummationem, & finem perseveratura desolatio. Hæc veró omnia à multis sæculis completa, & facta esse occulis etiam conspiciuntur. Igitur à multis sæculis Messias jam advenerat.

Quæres 3. Ex aliis Prophetis quodnam adduci potest argumentum ad probandum Messiam jam pridem advenisse?

Resp: Interrupto ob vicinarum Gentium odium ædificio Templi, Darij Regis Persarum Annó secundo, ad illud perficiendum, atqué consumandum Judæi manus apposuerunt, verùm seniores plurimi, qui primi Templi à Salomone ædificati splendorem, elegantiam, magnificentiamqué viderant, secundi parvitatem & inopiam considerantes amaras lachrymas fundebant, jussu itaqué Dei, Aggæus Propheta sic Judæos allocutus est cap: 2do: *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ita est, quasi non sit in occulis vestris? Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo Cœlum & terram, & mare, & aridam, & movebuntur omnes gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo Domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plùs quàm primæ.*

Et

Et in hoc loco isto dabo pacem dicit Dominus exercituum. In eundem modum aliquibus annis post Aggæum Vaticinatus est Malachias cap: 3tio· *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Ex his duobus Vaticiniis sic argumentari licet. In utroqué hoc Vaticinio sermo est de Mefsia. Soli namqué Mefsiæ competere potest, quod sit desideratus cunctis Gentibus, pacis author, Dominator quem Judæi quærebant, Angelus testamenti, quem ipsi volebant, atqué ardenter desiderabant, de solo etiam Mefsia dici potest, quod ad Templum suum venturus sit, & pacem in illo loco daturus, quod ad ejus adventum cælum, & terra, mare, & arida commoveri debeat. Hæc inquam omnia soli Mefsiæ competere, & de ipso tantummodo dici pofsunt. Hunc igitur Mefsiam ad secundum Templum, quod Jerosolymis, captivitate Babylonica soluta, recens fuit ædificatum, venturum efse prædixerunt *veniet*, inquit Aggæus, *desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria mea.* Malachias verò ait: *statim veniet ad Templum suum Dominator*, atqué exindè major futura erat gloria hujusce secundi Templi quam primi, quod à Salomone fuit exstructum, nulla siquidem alia hujus præeminentiæ, ac præexcellentiæ ratio afsignari potest, quàm ista, quod scilicet ad secundum Templum Mefsias venire debuerat, quod primo non fuerat concefsum. Namqué si amplitudo structuræ, elegantia operis, opes, thesauri spectentur, secundum Templum in comparatione cum primo, ita fuit, juxta Aggæi expresfsionem, quasi non efset in occulis hominum. Deus quoqué ipse disertis verbis per Prophetam contestatus est, se Templi gloriam non ex auro, aut argento æstimare. *Meum est argentum, meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Præterêa multa deerant Templo secundo, quæ in primo reperiebantur, & quæ gloriam ipsi non modicam conciliabant, videlicet, Arca fæderis, virga Aaron, duæ lapideæ tabulæ, in quibus mandata Dei descripta erant, Oleum Sanctum, & alia multa. Undé in ipso Vaticinio Aggæi non alia afsignatur causa, cur gloria Domûs Domini secundæ, major sit futura quam primæ, nisi hæc unica, *veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloria mea. Magna est gloria domûs istius novifsimæ plùsquam primæ, in loco isto dabo pacem, dicit Dominus*

exer-

exercituum. Porrò Templum secundum Jerosolymitanum à multis ſæculis dirutum vastatumqué est. Ergò à multis jam sæculis Meſsias venit.

Quæres 4. Quis est iste Meſsias, qui jam dudum venerat?

Resp: Meſsias, qui jam dudum venerat, alius non est, nisi Jesus Christus. Hoc iisdem evincitur argumentis, quibus probatum fuit Meſsiam jam dudum advenise. Et quidem 1mo: secundùm Vaticinium Jacobi Patriarchæ Meſsias venire debuit tunc, quando deficeret Sceptrum, & Dux de Juda. Porrò Christus Jesus tunc natus est, quando Sceptrum & Dux de Juda defecerat. Namqué post mortem Hircani ex Aſsamenæis, seu Machabæis ultimi Regis, à Romanis Rex datus est Judæis Herodes Idumæus, quô item defuncto, cum filium ejus Archelaum Augustus Romanorum Imperator in exilium relegâſset, totam Judæam in formam Provinciæ redactam, Syriæ attribuit, & per Romanos Præsides administrata fuit. Ab eo igitur tempore suis quidem legibus relicti adhuc erant Judæi, suprema tamen potestate, jure vitæ ac necis in suos, omnino privati sunt, undé coram Pilato Romano Præside palam profeſsi sunt se non habere Regem, nisi Cæsarem, sibi non licere occidere quemquam. Joannis cap: 18vo, & 19no. Tandem eversis per Titum Civitate Hierosolymitana, ac Templo, populo in captivitatem abducto, cæteris per orbem dispersis, cum extrema totius Gentis clade, suprema apud Judæos potestas penitùs interiit. Verus itaqué Meſsias est Christus Jesus. 2do: Juxta Prophetiam Danielis Meſsias venire debuit post septuaginta hebdomadas ab exitu Sermonis ut iterum ædificaretur Jerusalem computandas, occidendus erat à populo suo, qui eum negaturus erat, Civitas Jerusalem & Sanctuarium diſsipandum, deficere debuit Hostia, & Sacrificium, in Templo futura erat abominatio desolationis & usqué ad consumationem, & finem permansura. Jam verò circa finem istiusmodi hebdomadarum Christus Jesus natus est, in medio septuagesimæ hebdomadæ à populo suo occisus est, non diu post mortem ipsius, Civitas Jerusalem & Sanctuarium diſsipatum fuit, Hostia & Sacrificium ceſsârunt, sola remansit abominatio desolationis, atqué huc usqué per tot sæcula perseverat. Ergo Christus Jesus verus est Meſsias.

3tio: Ex Aggæi, & Malachiæ Vaticiniis Meſsias ad secundum Templum Jerosolymitanum, quod post Babylonicam

nicam captivitatem extructum fuerat, venire debuerat, illudqué suâ præsentiâ condecorare. Porrò Jesus Christus in hocce secundo Jerosolymitano Templo juxta Moysis legem fuit Domino oblatus, atqué præsentatus, in illo toties populum docebat, jamqué istud Templum à multis sæculis dirutum, atqué dissipatum est, Christus ergo Jesus verus Messias est.

Dices 1mo: In vaticinio Danielis, atqué in aliis etiam Prophetiis Messias dicitur Dux, seu Princeps, & reipsa Messias juxta prædictionem Prophetarum Rex potentissimus futurus erat, quare de ipso Zacharias cap: 9no inquit, *potestas ejus à mari usqué ad mare, à fluminibus usqué ad fines terræ*, ill, ùt Daniel etiam loquitur cap: 7mo: *omnes populi, & tribus, & linguæ* servire debebant. Hæc verò nec Christo Jesu ullatenùs inservire possunt, nequé in illo adimpleta sunt. *2do:* Messias debuerat iniquitatem delere, justitiamqué sempiternam adducere. Ista autem Jesus Christus non adimplevit, nequé præstitit, hucùsqué peccatum, & iniquitas in mundo regnat, ac dominatur. Nequit ergo Christus Jesus verus Messias dici.

Resp. ad 1mum: Re vera venturus Messias, Dux futurus erat, sed non ad debellandas ferro, & armis Gentes, sed ad illas docendas, atqué in lege erudiendas, ùt apud Jsaiam cap. 55to scriptum legimus. *Testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem in Gentibus*, quare notio, quam sibi Judæi de Messia, quasi potentissimo Rege, ac strenuo belli Duce efformârunt, & falsissima est, & maximæ cæcitatis, atqué obdurationis illorum causa. Sacri namqué Prophetæ, Messiæ Regnum, absquè divitiarum splendore, sinè exercituum robore futurum prænuntiârunt prædixeruntqué illum fore humilem, despectum, novissimum virorum, virum dolorum, vulneratum, ac morti traditum. Magnam equidem ipsius potestatem vidit Zacharias, cernit, quod dominabitur à mari usqué ad mare, ad Regem hunc pauperem, atqué inopem, absqué equis, & quadragis fore, ibidem denuntiat, hinc Regnum ejus non temporale adinstar aliorum Regum, sed æternum, sæpe in Sacris litteris dicitur, Regnum insuper super hominum voluntates, & corda, Regnum gratiæ & Sanctitatis vocatur, quo fit ut ejus dominium, Spirituale, internum, ac invisibile est. Frustra igitur Judæi expectant Messiam, Ducem præstantissimum, qui vi, armisquè alienas debellet nationes, nam Regnum ejus pacificum esse debuit, & absqué externis victoriis, ipsius arma sunt

veri-

veritas, mansvetudo, & justitia, quâpropter Judam salvandum quidem à Domino Deo suo prædixerunt Prophetæ, sed quemadmodum dicit Oseas cap: 1mo: *non in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Tandem juxta Prophetarum Vaticinia, Regnum Mesſiæ tunc perfectum futurum est, quando ipse in sua gloria à dextris Dei constitutus fuerit, tunc namqué, ût ait David Psalmo 2do: Reges ipsi servient, & omnes qui illum spreverunt, in die iræ suæ peribunt. Cum igitur hæc omnia Jesu Christo convenire, atqué in illo adimpleta esse evidentisſimum sit, ipse verus est Mesſias, & Judæi, qui instar Principum terræ Regnum Mesſiæ expectant, in densisſimis vagantur tenebris.

Ad 2dum: Per Jesum Christum peccatum finem habuit, deleta est iniquitas, quia ipse pro totius mundi peccatis copiosè, & abundanter satisfecit, atqué etiam sua Cælesti doctrina ad veram justitiam viam planisſimam hominibus demonstravit. Adduxit quoqué justitiam sempiternam, quia ipse Mesſias à Jeremia Propheta cap: 23tio juxta Hebraicum fontem, *Deus justitia nostra* vocitatur. Tandem quæcunqué nunc post adventum Jesu Christi in mundo vigent peccata, hæc si comparentur cum immanisſimis sceleribus quæ antiquitùs cum idololatria universo dominabantur orbi, valde imminuuntur, ac extenuantur.

Quæres 5. Ex quibus præterea signis ostendi potest Christum Jesum verum esſe Mesſiam?

Resp: Christum Jesum verum esſe Mesſiam exindè ostenditur, quod omnia signa, quibus Prophetæ futurum Mesſiam designare, ac denotari voluerunt, ipsi apprimè inservierunt, atqué in illo adimpleta fuerant. Signa verò, ac circumstantiæ, quæ Mesſiam denotabant, & in quibus ipse apparere debuerat, ad quatuor clasſes reducuntur, nativitatem, vitam & gesta, mortem, & tempus quod mortem ipsius subsecutum est respiciunt. Et quidem *1mo*: quod nativitatem attinet, Mesſias debuit oriri ex semine Abraham, & Davidis Psal: 88. & Jerem: cap: 23. nasciturus erat in Bethlehem. Mich: cap: 5to. ad eum in cunabula Magi delaturi erant aurum & thus. Isaiæ cap: 60. eumqué adoraturi erant. Psal: 71. ex Virgine concipi, & nasci debuit. Isaiæ cap: 7mo: Debuit habere præcursorem è solitudine profectum. *2do*: quod vitam & gesta Mesſiæ spectat, debuit prædicare evangelium. Isaiæ cap: 61. miracula patrare. Isaiæ cap: 35. Ingredi Jerosolymam super Asi-

Asinam sedens, & à civibus cum gaudio excipi. Zachar: capite 9no, novum Sacrificium instituere. Malach: cap: 1mo legis veteris Sacrificia abrogare. Ibidem. *3tio:* Quod attinet mortem, ipsiusqué circumstantias, debuit ab amico & familiari prodi. Psal: 40. triginta argenteis vendi Zach: cap: 11. à falsis testibus accusari. Psal: 40. sputa, & contumelias perferre. Isaiæ cap 50. inter iniquos cruci affigi. Psal: 21. felle, & aceto potari. Psal: 68. in latere transfodi. Zachar: cap: 12. ita nudari, ut super vestes ejus mitterentur sortes. Psal: 21. *4to:* tandem de tempore quod mortem Messiæ consequebatur, prædictum fuit, quòd debebat ad inferos descendere, & veteres Patriarchas tertia die inde educere. Psal: 67. & Oseæ cap: 6to ac Zachar: cap: 9no mittere Spiritum Sanctum. Demum promissa fuit Mesiæ conversio Gentium. Isaiæ cap: 49. illudqué magnum opus perficere debuit per eos, qui in eum credituri erant Isaiæ cap: 66to. Judæorum autem cæcitas, dispersio, ac totalis à Deo reprobatio prænuntiata. Isaiæ cap: 8vo. Hæc veró omnia, & apprimè Christo Jesu conveniunt, ac in ipso adamussim adimpleta fuerunt, prôut ex Evangelica historia evidentissimè compertum est. Enimveró Christus Jesus est Filius Abrahæ & David de Spiritu S. conceptus, ex Maria Virgine in Bethlehem natus fuit, ad eum in cunabula Magi venerunt, aurum, & thus deferentes, Joannem habuit Præcursorem, qui in deserto pænitentiam prædicavit. In Judæa Christus Jesus Evangelium prædicavit, plurima miracula patravit, Asinæ insedens triumphaliter Jerosolymam ingressus est, pauló ante mortem novum Sacrificium instituit, à Juda discipulo suo traditus est, triginta argenteis venditus, à falsis testibus accusatus, sputis conspersus, & contumeliis affectus, Cruci inter duos Latrones affixus, felle & aceto potatus, in latere perfossus, vestibus spoliatus, & sortes super eas missæ sunt. Tandem post mortem ad inferos descendit, à mortuis tertia die resurrexit, Spiritum S. misit, per ipsum Gentes abjectis idolis, ad veri Dei cultum conversæ sunt. Judæi veró dispersi, ac reprobati, hucusqué captivi detinentur. Quæcunqué igitur de Messia Prophetæ prædixerunt, hæc in Jesu Christo adimpleta sunt, ipse itaqué verus Messias est.

Dices: Populus Judæorum propter varia sua crimina, & multiplicia scelera, quemadmodum antiquitus captivitate Babylonica, Civitatis Jerusalem vastatione, Templiqué excidio à Deo punitùs fuerit, ita & nunc dis-

per-

persione, exilio, variisquè infortuniis propter suas affligitur prævaricationes, inde ergo inferri nequit Christum Jesum Mefsiam efse, & propter illatam ipsi à Judæis mortem, hæc illos pati, ac tolerare mala.

Resp: Quod populus Judæorum à Deo reprobatus sit, per orbem dispersus, captivitati, variisqué calamitatibus subjectus, Civitas Templumqué Jerosolymitanum dirutum, ac solo æquatum, alia causa, ratioqué afsignari, & efse nequit nisi mors Mefsiæ Jesu Christo crudeliter à Judæis illata, & id apertifsimè constat ex Danielis Prophetia cap: 9no, postquam enim hic Propheta Mefsiam venturum, & à populo suo occidendum prædixerat, statim subdit, *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & Civitatem, & Sanctuarium difsipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & statuta desolatio*, quod longè ante Danielem Prophetam populo Judæorum comminatus est David Rex Psal: 68. qui totus est de Christo Mefsia. *Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ compræhendat eos, fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet, quoniam quem tu percufsisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, tota igitur, ac unica ratio, causaquè reprobationis, iræ ac furoris Divini contra populum Judæorum, desolationis, vastationis, excidii, terræ, gentis, Civitatis ac Sanctuarij eorum, Christus Mefsias ab ipsis abnegatus, atqué occisus, quia nempè illum, quem Deus propter scelus populi sui percufserat persecuti sunt, atqué eum subsanando, super dolorem vulnerum ejus, tristitiam, atqué merrorem addiderunt, undé & ipse Christus Jesus futuram ruinam, vastationemqué, ac totale excidium Civitati Jerusalem prænuntians, hanc solam omnium malorum, quæ illi obvenire debebant posuit rationem, causamqué quod non cognoverit tempus visitationis suæ. Lucæ cap: 19no. Quare id reipsa evenit Judæis, quod ipsi sibi consciverant, dum Christum morti tradendo acclamabant, *Sangvis ejus super nos, & super filios nostros*. Math: cap: 28. Equidem verum est, ob sua crimina Judæos multoties à Deo variis calamitatibus afflictos fuifse, captivitatibus addictos, omniumqué verò prolixior, atqué diuturnior fuit Babylonica captivitas, & quamquam horrenda erant Judæorum scelera, propter quæ illam immiserit ipsis Deus quia videlicet, inter alia filios, ac filias suas Dæmoniis immolabant, attamen nonnisi septuaginta annis perduravit, atqué Jsaias, Jeremias qui ipsam præ-

dixe-

dixerant, statim populum Judæorum consolando finem illius prænuntiârunt. Omnes itaqué Judæorum calamitates, captivitates, quibus à Deo propter sua scelera castigabantur, & temporales erant, & adêo diuturnæ non erant. Verum præsens captivitas, dispersio, afflictioqué, jam à septemdecim sæculis durat, & secundum Prophetarum Vaticinia in perpetuum duratura est, quia scilicet, juxta Danielem *usqué ad consummationem, & finem perseverabit desolatio*, ac tandem nefandissima illa idololatriæ scelera, quæ Deus olim in Judæis severissimè puniebat, jam à soluta Babylonica captivitate inter illos non apparent, alia ergo hujus captivitatis, afflictionisqué ratio, causaqué subesse nequit, quam hæc, quod Messiam Jesum Christum despexerint, mortiqué tradiderint.



CAPUT TERTIUM

De Jesu Christo, ipsius natura, atqué persona.

Quæres: Quæ præcipuæ erant erroneæ de Jesu Christo opiniones, atqué hæreses?

Resp: Multæ, ac sibi etiam oppositæ erant de Jesu Christo erroneæ opiniones, hæresesquè. Ex his aliæ naturam, modò Divinam, modò humanam, illi denegabant, aliæ unionem ipsarum hypostaticam, seu personalem inficiabantur, sicqué duas in Christo statuebant personas, aliæ duas in illo distinctas naturas inficiebantur, humanam à Divina absorptam, aut etiam utramque confusam ac permixtam fuisse arbitrantes atqué idêo in unitate Divinæ Personæ, unam Christo tribuebant naturam.

Primò. Quidem veram Christi humanitatem negârunt quidam primorum sæculorum hæretici, tribuentes Christo nonnisi phantasma quoddam corporis, seu speciem quamdam externam corporis humani, dicti propterêa Phantasiastæ, quem errorem longè, latèqué propagârunt Manichæi. Valentiniani negârunt Christum habuisse corpus ex Mariæ Matris suæ substantia, sed cæleste quoddam supernaturale, & æthereum. Appollinaristæ dictitabant, Christum corpus tantùm humanum assumpsisse, non animam, & animæ vices Verbum Divinum supplevisse. Tan-

dem

dem Monothelitæ heretici docebant, in Christo post naturarum Divinæ & humanæ conjunctionem, unam tantummodo fuiſse Divinam voluntatem, existimantes, animam Christi rationalem, voluntate humana destitutam fuiſse.

Secundò. Divinam Christo naturam abnegârunt adhuc Apostolorum tempore, Simon Magus, Cerinthus, & Ebion hæretici. Christum etiam purum fuiſse hominem blasphemabant Carpocrates, Theodoretus Byzantinus, Artemon, Paulus Samosatenus, Marcellus Ancyranus, & Photinus. Tandem Arius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, divinitatem Christi omni conatu impugnavit, quod & modo Sociniani admittuntur.

Tertio. Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, Divinæ ac humanæ cum Christo naturæ unionem hypostaticam, ſeu personalem ſustulit, Christum in duas dividens Personas, ita ut Divina Filii Dei natura, Christo homini ſe tantum aſsociaverit, & Divina Verbi persona, cum humana Christi persona amicitiæ nonnisi, & ſocietatis vinculo per unionem moralem ſese conjunxerit, ex quo consequebatur; illa quæ propria erant unius naturæ, propter defectum personalis unionis, alteri naturæ in Christo adscribi non poſse, & dici non amplius poſse Deum eſse natum, paſsum, mortuum, Mariam Virginem eſse Dei Genitricem, quæ peſsima consectaria Nestorius ipse non negavit, imo illa comprobare adnitebatur, Mariam Viginem rectiùs Christi Genitricem, quam Dei Genitricem eſse appellandam. Nestorianis adjungendi ſunt hæretici Adoptiani, qui ſæculo 8vo authore Felice Episcopo Urgelitano, & Elipando Episcopo Toletano exorti docuerunt, Christum ſecundùm humanam naturam eſse tantummodo Filium Dei adoptivum, ſcilicet nonnisi nomine, & adoptione.

Quarto, Nestorianæ hæresi opponitur error Eutychianorum, cujus auctor fuit Eutyches Monachus Constantinopolitanus, qui dum strenuè contrà Nestorium ageret, in oppositum prolapsus est errorem, docuitqué, sicut in Christo una est persona, ita quoqué post unionem naturæ Divinæ & humanæ, unica est, & remanet natura, nimirum Divina, ſeu Verbi, humana natura per Divinam absorpta. Porro Eutychiani in varias posteâ Sectas divisi ſunt. Ex his præcipua fuit Asephalorum dicta, quam Petrus Fullo Episcopus Antiochenus promovebat, affirmabatqué naturam humanam in Christo à Divina non fuiſse quidem absorptam, ſed tamen unam eſse in Christo naturam censebat, ex duplici compositam, atquè coagmen-

ta-

tatam, unde etiam Trisogio Græcorum, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis* adijciebat *qui paſsus est pro nobis, miserere nobis* volens per hoc innuere, ipsam Divinitatem, & totam Sanctiſsimam Trtnitatem pro nobis fuiſse paſsam. Præterêa Eutychianorum numerosa fuît ſecta à Severo Monacho Palæstino, ex post Episcopo Antiocheno, Severianorum dicta, qui docebant naturam humanam non quidem per Divinam absorptam fuiſse, duas tamen in Christo naturas in unam fuiſse commixtas, atqué confusas.

Et hos perniciosiſsimos errores magna ex parte, recentiores Hæretici his temporibus, maximè in Anglia atqué Germania renovârunt.

ARTICULUS 1mus.

De duplici Christi natura Divina & humana.

Quœres 1mo. Utrùm Christus Divinam habuit naturam?

Resp: Christus reipsa Divinam habuit naturam verusqué est Deus, non purus homo. Et istud primarium atqué fundamentale Religionis nostræ dogma, contrà Hæreticos, & infideles est comprobandum, ac stabiliendum. Et inprimis ex Sacris Scripturis. Apertiſsimè namqué constat ex Sacris litteris, Christum Filium Dei eſse. Cum enim Discipulos ſuos, Math: cap: 16to. interrogâſset: *Vos quem me eſse dicitis*, omnium nomine respondens Petrus dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, idem profeſsus est Nathaniel Joannis cap: 1mo: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.* Sed & ipse Christus apertê ſe Filium Dei eſse aſseruit. Cæcum à nativitate, à ſe curatum, & è Synagoga ejectum, cum inveniſset Joan: cap: 9no interrogavit illum: *Tu credis in Filium Dei. Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, ut credam in eum? & dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecûm, ipse est.* Tandem ante ſuam mortem, à ſummo interrogatus Pontifice Marci cap: 14to. *Tu es Christus Filius Dei benedicti* palâm respondit: *Ego ſum.* Porrò Filius Dei est verus Deus Patri consubstantialis quemadmodum iterum ipse dixerat Christus Joan: cap: 20. *Ego & Pater unum ſumus.* Ergo Christus verus est Deus, non purus homo, veramqué reipsa habet Divinitatem. Quare & Joannes Apostolus iu ſua

Epist: 1ma cap: 5to postquam edixerat in hoc consistere veram fidem, quæ vincit mundum, ut credamus, quia Christus est Filius Dei: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei;* continùo docet illum verum Deum, & vitam æternam esse. *Et scimus quoniam Filius Dei venit, Hic est verus Deus, & vita æterna*, atquê istud claris verbis professus est S. Thomas Apostolus Joan: cap: 20. qui postquam cicatrices Christi redivivi attrectaverat, exclamavit dicens: *Dominus meus, & Deus meus.*

Et hanc veritatem Sancti Apostoli, ab initio statim suæ prædicationis docuerant. S. Petrus Apostolus postquam claudum à nativitate in nomine Christi sanaverat, Actor: cap: 3tio, sic populum Judæorum affatur. *Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos tradidistis, & negâstis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum, & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, Auctorem vero vitæ interfecistis,* atqué hujus facti sui in consilio Principum, Seniorum, atqué Scribarum reddens rationem, cap: 4to sic illos (claudum à se sanatum indicans) alloquitur: *Notum sit omnibus vobis, quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, iste adstat coram vobis sanus. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ex quibus manifestissimum est, Christum esse Filium Dei, Auctorem vitæ, atqué nonnisi per nomen ipsius nos salvos fieri posse. Est igitur verus Deus. Hoc & Paulus Apostolus docuit, Gentibusquê prædicavit. In Epistola sua ad Philip: cap: 2do de Christo verba faciens, dicit illum in forma, seu in natura Dei esse æqualem Deo, atqué in nomine ipsius omne genu flecti oportere, cælestium, terrestrium, & infernorum. In Epist: ad Coloss: cap: 2do docet in Christo absconditos esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ, atqué in illo habitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter. In Epistola vero ad Titum cap: 2do & 3tio vocat Christum Deum Salvatorem, dicens: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus.* Præterêa in Epistola ad Romanos cap: 9no sic de Christo loquitur: *Ex quibus,* id est, antiquis Patribus, *est Christus secundum carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in sæcula* ac tandem in Epistola ad Hebræos cap: 1mo prolixe probat, deducitqué Christum super ipsos Angelos præeminere, quia scilicet Filius Dei est, à quo genitus fuit, quia

quia per illum Deus fecit ſæcula, quia est ſplendor gloriæ, & figura ſubstantiæ Divinæ, omnia probat verbo virtutis ſuæ, ac tandem, quia ipse in principio terram fundavit, & opera manuum illius ſunt cæli. Hæc autem omnia cum nonnisi vero Deo competere, & de eo dici poſsint, consequens inde manifestiſsimum est, Christum non purum hominem, ſed verum Deum eſse.

Obijcies 1mo. Christus alloquens Judæos Joann: cap: 10. innuit ſe non alia ratione dici Filium Dei, quam Judices, & Prophetæ olim dicti ſunt dij, ait siquidem: *Nonne ſcriptùm est in lege vestra, quia Ego dixi, dij estis. Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus est,.... quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blasphèmas, quia dixi, filius Dei ſum. 2do.* Paulus quoqué Apostolus in Epist: ad Romanos cap: 9no docet Christum ſanctificatione tantummodo eſse filium Dei sic enim inquit: *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis. 3tio.* Christus dicitur Dei Filius nonnisi propter prodigiosam conceptionem ac nativitatem ſuam, sic enim Angelus Mariam Virginem allocutus est, Lucæ cap: 1mo. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus A tiſsimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.*

Resp: ad 1mum. Christus ſe Filium Dei eſse non probat à pari, ducta ſcilicet paritate à Judicibus, qui ideò dicti ſunt dij, quia ad illos ſermo Dei factus est, ſed à minori ad majus, unde verborum Christi hic est ſensus. Si illi dicti ſunt dij, ad quos tantummodo ſermo Dei factus est, & non potest ſolvi, ſeu immutari Scriptura, *quomodo vos dicitis quia blasphemas, quia dixi Filius Dei ſum,* quoniam *me Pater ſanctificavit, & miſit in mundum,* non ſanctitate accidentaliter conceſsa, ſed ſubstantiali, Divina generatione communicata, unde statim ex identitate operum Divinorum, ſe consubstantialem eſse Patri probat. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.*

Ad 2dum. In textu Græco non legitur *qui prædestinatus est,* ſed *qui declaratus est Filius Dei* declaratum inquam virtute miraculorum, maximè resurrectionis â mortuis, ac testimonio ipsius Patris bis è cælo demiſsa voce præstito. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complaçui.* Sed retenta etiam lectione nostræ Vulgatæ,

 qui

qui prædestinatus est Filius Dei, hæc prædestinatio referenda est ad Christi humanitatem, quæ per unionem hypostaticam cum Verbo Divino evehenda erat ad naturalem Dei filiationem, & hoc optimè congruit verbis præcedentibus Apostoli de Christo dicentis, *qui factus est ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei.*

Ad 3tium. Eo ipso, quod Spiritûs Sancti, qui verus Deus est, operante virtute Verbum caro factum est, & Christus in utero Virginis Mariæ conceptus fuerit, maniſfestiſsimè apparet, quod sit verus Deus, ex Deo vero, & non purus homo, quare S. Mathæus Apostolus Christi ex Virgine Maria conceptionem prodigiosam, atqué exinde divinitatem ipsius, Isaiæ comprobat Vaticinio Capite 1mo sic inquiens: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est... per Prophetam dicentem. Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus*, ex ipso etiam nomine Emmanuel, quod Christo tributum est, ipsum Deum verum eſse commonstrans.

Quæres 2do. Quibus præterêa argumentis evincitur Christum verum eſse Deum, non autem purum hominem?

Resp: Id evincitur ex vaticiniis Prophetarum & ex multitudine miraculorum quæ Christus propria Divina ſua patravit virtute. Et quidem Prophetæ qui venturum Meſsiam prædixerant, illum Deum eſse prænuntiârunt. David Rex Psalmo 109. qui totus de Meſsia est, & Christus illum de ſeipso interpretatus est, Meſsiam futurum affirmat in ſplendoribus Sanctorum, ante Luciferum ex utero Dei Patris genitum eſse. Isaias cap: 54. sic inquit: *Dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus, & redemptor tuus Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur.* Baruch quoqué de Meſsia venturo loquens cap: 3tio ait: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero ſuo, & Israel dilecto ſuo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Daniel etiam Propheta cap: 2do & 7mo prædicens futurum Meſsiæ Regnum dicit de ipso *quod in æternum non diſsipabitur, comminuet, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*, de ipso vero Meſsia hæc inquit: *omnes populi, & tribus, & linguæ ipsi ſervient, potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur.* Quæ omnia Meſsiam Deum verum eſse manifeste osten-

dunt

dunt & probant. Porro Christus est verus Meſsias, verus igitur & Deus. Atquè utrumqué hoc ſe eſse, ipse attestatus est. Namqué dum mulier Samaritana dixerat Christo Joan: cap: 4to. *Scio quia Meſsias venit,* statim dixit illi Jesus: *Ego ſum qui loquor tecum.* Deum quoqué ſe eſse dixit Joan: cap: 14to. *Creditis in Deum, & in me credite* idqué multis argumentis probavit, ſcilicet tum identitate naturæ cum Patre. *Ego & Pater unum ſumus* tum identitate proprietatum atqué attributorum. *Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt*, tum deniqué unitate, atqué æqualitate operum. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor, quæcunque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Joan: cap: 5to. Ex ipsius ergo Christi testimonio, atqué ex Prophetarum vaticiniis, manet comprobatum Christum verum eſse Deum, non igitur purus est homo. Sed eandem etiam veritatem confirmant innumera Miracula quæ Christus propia ſuâ virtute patravit. Et quidem *1mo.* Christum innumera patráſse miracula indubitatum est. S. Mathæus cap: 4to testatur quòd Jesus circuibat totam Galilæam *ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo, &* statim ibidem ſubdit, *abijt opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis tormentis, & laboribus comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos.* Et iterum cap: 15to sic inquit: *Acceſserunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ante pedes ejus, & curavit eos, ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes et magnificabant Deum Israel.* 2do. Omnia Miracula fecit Christus propria ſuâ virtute, verbo ſcilicet & imperio, quemadmodum Sancti testantur Evangelistæ Mathæus cap: 8vo sic inquit: *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat Spiritus verbo, & omnes male habentes curavit,* & infra *imperavit ventis & mari, & facta est tranquilitas magna,* unde mirabantur homines, & dicebant: *Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei*, ſed etiam, ùt inquit S. Lucas cap. 6to. *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.* 3tio. Hæc verò miracula patravit Christus ad ostendendam, atqué demonstrandam Divinitatem ſuam. Unde dicebat Judæis Joan: cap: 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre,* idem & Apostolis dixit Joan: cap: 14to. *Non cre-*

ditis

ditis quia ego in Patre, & Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite, quare etiam incredulitatem Judæorum excusari non poſse, inde Christus probat, quod editis tot tantisqué miraculis in Eum non crediderint, Joan: cap: 15. *Si opera non feciſsem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem, & viderunt, & oderunt & me & Patrem.* Meritò igitur ex miraculis, quæ Christus patravit Ejus Divinitatem probamus, ipsumqué verum Deum eſse demonstramus.

Objicies 1mo: Opera Christi, quæ Miracula eſse putamus, ex causis naturalibus promanârunt, aut arte effecta sunt, Non ergo vera erant Miracula. *2do*: Christus bis à Judæis rogatus ut è Cælo signum aliquod ostenderet, nullum tamen ostendit.

Resp: ad 1mum: Omnia Miracula Christi ex causis naturalibus nullatenus provenire, nequé ulla arte, aut humana sagacitate effici poterant, sed erant operationes solius Divinæ potestatis. Enimverò, quòd projectos ad pedes suos mutos, cæcos, claudos, ac alios debiles, mox Christus omnes sanaverit, ita ut continuò omnes cum summa admiratione, viderint, & audiverint, mutos loquentes, cæcos videntes, claudos ambulantes, quòd ingentem hominum multitudinem, scilicet quinque millia, quinque panibus, & duobus piscibus ita saturaverit, ut plus postea supereſset, quam ab initio fuerat, & quod alia item occasione cibaverit quatuor millia hominum, septem panibus ac piscibus, quod obsesos à Dæmonibus liberaverit, læprosos mundaverit, omnis generis langvores, nullâ adhibitâ medicina, solo nutu, uno verbo, in uno temporis momento sanaverit quòd deniqué mortuos, atqué Lazarum jam quatriduanum, & in monumento fætentem, â mortuis suscitaverit, quæ ars, quæ humana sagacitas ad hæc perficienda inservîre poterat, ex quibus naturalibus causis hæc provenire poterant? Rectiùs, & ipse à nativitate cæcus, cujus postea Christus aperuit occulos his de rebus judicavit dicens Joan: cap: 9no *à sæculo non est auditum, quia quis apparuit occulos cæci nati*, unde etiam de Christo hoc protulit verifsimum judicium. *Nisi hic eſset à Deo, non poterat facere quidquam.* Divinæ ipsius virtuti suam attribuens curationem, quare & Nicodemus sic allocutus est Christum Joan: cap: 3tio. *Scimus quia à Deo venisti Magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ Tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

Ad 2dum: Postulatus à Judæis Christus, ut aliquod è Cæ-

ê Cælo signum eis ostenderet, renuit id facere, non quia non poterat, quia dum Baptisaretur, Cælum apertum est, & vox Patris intonuit, & Joan: cap: 12. dum ad populum concionem haberet, *venit vox de Cælo & clarificavi, & iterum clarificabo*, sed quia ipse noluit, noluit veró, quia ut Mathæus loquitur cap: 16to tentantes eum, quærebant ab eo signum, & quamquam tot jam signa præstiterit, & Miracula patraverit, propter quæ debuerant in illum credere, attamen malitiam, ac nequitiam illorum ipsis exprobrans; adhuc maximum illis appromisit signum, atquè Miraculum, suam scilicet à mortuis resurrectionem. *Signum non dabitur, nisi signum Jonæ Prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre cæti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.*

Quæres 3. Utrùm Christus verus sit homo?

Resp: Christus verus est homo. Et id apertissimè constat ex Sacris Scripturis, in quibus Christus expressis verbis dicitur homo. Sic in Epist: 1ma ad Timoth: cap: 2do: *Unus mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus*, sæpe etiam nominatur *Filius hominis* quemadmodum Math: cap: 8vo Præterea Christo tribuuntur partes hominis essentiales, corpus scilicet, & anima. Sic Petrus Apostolus in sua 1ma Epistola cap: 2do de Christo dicit: *Qui peccata nostra portavit in corpore suo super lignum*, & ipse Christus post resurrectionem suam à mortuis apparens Discipulis suis, dixit illis: *Videte manus meas, & pedes meos, quia Ego Ipse sum. Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Habuit ergo Christus veram humanam carnem, habuit & animam, de se ipso namquè Math: cap: 20. sic inquit: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Tandem in Scripturis Sacris Christo attribuuntur facultates, operationes, atquè etiam infirmitates humanæ, intellectus scilicet & voluntas, tristitia, dolor, fames, sitis. Est igitur verus homo, habetquè naturam humanam nobis consubstantialem. Atquè id in multis Conciliis definitum fuit, præcipue verò in Chalcedonensi Actione 6ta, ubi sic de Christo inquiunt Patres. *Docemus eundem perfectum in humanitate, Deum verum & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem.*

Dices:

Dices: Christus dicitur tantummodo in similitudinem factus, & nonnisi habitu inventus esse ut homo. Sic enim de ipso loquitur Paulus Apostolus Epist: ad Philip: cap: 2. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Non ergo verus fuit homo nobis quoad humanam naturam consubstantialis.

Resp: Per formam Dei, & formam servi, natura ipsa Divina & humana intelligitur, quemadmodum ergo Christus dicitur fuisse in forma Dei, quia verè naturâ Deus erat, undè etiam æqualis Deo reputatus est, ita etiam semetipsum exinaniendo, formam servi, seu humanam vere in se suscepit naturam, ac propterea per identitatem scilicet ejusdem nobiscum naturæ in similitudinem hominum factus, atqué habitu non exteriori tantummodo, sed etiam interiore, quoad partes hominis essentiales, animam & corpus, quoad facultates, operationes atquè etiam infirmitates, quæ homini sunt propriæ, inventus est ut homo, undè etiam factus obediens usqué ad mortem, mortem autem Crucis, quo illum verum fuisse hominem manifestissimè comprobatum fuit.

Quæres 4. An igitur duæ sint in Christo naturæ?

Resp: Reipsa duæ sunt in Christo naturæ Divina & humana, post unionem etiam distinctæ, & inconfusæ. Id probatur ex variis Scripturæ Sacræ locis. Joannis cap: 1mo dicitur. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Porrò verbum caro factum non est conversione Divinitatis in carnem, natura siquidem Divina incommutabilis est, ergo Verbum caro factum est assumptione humanitatis in Deum, quare meritò canit Ecclesia in Festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi. *Mirabile Mysterium declaratur Deus homo factus est, id quod fuit permansit, & quod non erat Assumpsit, non commixtionem Passus, neque divisionem.* Confirmat hoc alibi idem S. Apostolus, scilicet Epist: 1. cap: 1: ubi de Christo scribens duas naturas inconfusas, ac impermixtas in illo esse denuntiat, abinvicem etiam post unionem illius discernit, atqué distingvit, scilicet verbum vitæ, vitam æternam, quæ erat ab initio apud Patrem, & dein apparuit nobis, ac manifestata est nobis, & id quod occulis suis viderat, auribus audiverat, & quod manus ejus contrectaverunt, Deum videlicet verum & hominem verum Jesum Christum in duabus distinctis, & inconfusis naturis Divina, & humana. *Quod fuit ab initio; quod audivimus, quod vidimus occulis nostris, quod* per-

perspeximus, et manus nosræ contrectaverunt de verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis. Id ipsum clarius & expressius innuit Paulus Apostolus in Epist: ad Philip: cap: 2do ubi de Christo hæc habet. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Quibus verbis claré docet Paulus, etiam post unionem duplicem esse in Christo distinctam & inconfusam formam, seu naturam, Divinam juxta quam æqualis est Deo, & humanam secundum quam factus est obediens usqué ad mortem. Et veró Christus cum sit verus Deus, & verus homo, propterea præditus ipse est humanâ, & Divinâ natura, facta veró commixtione, aut confusione istiusmodi naturarum, vera natura humana, & vera natura Divina, non amplius daretur, sed tertia quædam prodiret natura ab utraqué priori diversa, adeoqué Christus nec verus Deus, nec verus homo ampliùs esset, consequentèr nequé naturam Divinam, nequé humanam haberet. Præterêa ubi naturæ permiscentur, aut confunduntur, fieri non potest ut utriusqué proprietates integræ permaneant. Jam veró in Christo utriusqué naturæ Divinæ, & humanæ proprietates integræ semper permanserunt, undé Christus secundùm Divinam naturam dicitur in Sacris Litteris Unigenitus Dei Filius, in sinu Patris existens, immensus, æternus, omnipotens, unum cum Patre, secùndum veró humanam naturam, doloribus, infirmitatibus obnoxius, mortalis, infirmus, minor Patre. Duæ ergo sunt in Christo distinctæ, & inconfusæ naturæ. Et istud Concilium Chalcedonense, contra Eutichem definivit, statuens. *Christum Dominum nostrum eundem perfectum in Deitate, et eundem perfectum in humanitate, in duabus naturis inconfusé, immutabiliter, indivisé, inseparabiliter agnoscendum esse.*

Quæres 5. Cum in Christo duæ sint naturæ, utrùm etiam duæ sint voluntates, atqué operationes?

Resp: Ex eo ipso quod Christus verus Deus sit, & verus homo, habeatqué Ipse & Divinam & humanam naturam, evidenter consequitur in illo duas quoqué esse voluntates atqué operationes Divinam & humanam. Christus namqué nec verus Deus, sine voluntate, operationibusqué Divinis ullatenùs concipi potest, nec verus homo sinè voluntate operationibusqué humanis intelligi valet.

Et

Et verò natura quælibet suas inconfusas habere debet proprietates, atqué, non aliunde melius ostenditur naturas nec confusas, nequé permixtas efse, quam ex proprietatibus distinctis, quæ inconfusæ permanent quoniam igitur voluntas, atqué operatio proprietates sunt tum Divinæ, tum humanæ naturæ, & Christus duplicem hanc perfectam, ac distinctam habeat naturam, Divinam scilicet, & humanam, duplicem quoqué habet voluntatem, atquè operationem, Divinam & humanam. Atquè id etiam ex Sacris Scripturis ostenditur. Math: cap: 26. sic inquit Christus. *Pater mi, si pofsibile est, transeat à me Calix iste. Verumtamen non sicut Ego volo, sed sicut Tu* & Lucæ cap: 22. *Non Mea voluntas fiat, sed Tua*, iterum Joan: cap: 6to ita inquit: *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit Me.* Ex quibus sic licet concludere, voluntas Christi, si spectetur ut Deus, eadem est ac voluntas Patris, eadem siquidem in utroque natura, eandem Divinam subinfert voluntatem, voluntas itaquè Patris, fuit etiam Divina voluntas Christi, quando itaquè dicit, *non sicut Ego volo... non Mea voluntas, sed Tua fiat... descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem Meam*, aliam in se voluntatem, à Divina distinctam designat, hoc est humanam, duplex ergo est in Christo voluntas, Divina, & humana. Undé S. Gregorius Nyfsenus in libro contradictionum sic argumentatur. *Alia est humana voluntas, & alia Divina, qui enim dixit, non Mea, humanam hoc sermone significavit. Addens veró Tua, ostendit conjunctionem suæ Deitatis ad Patrem, cujus nulla voluntatis est differentia propter communitatem naturæ. Nam Patris dicens voluntatem etiam Filii monstravit.* Et hoc de duplici in Christo voluntate, atqué operatione dogma judicio totius Ecclesiæ in Concilio generali 6to definitum fuit, & contrarius Monothelitarum error damnatus, Actione 18va ubi statutum est his verbis: *Duas naturales voluntates in Christo, et duas naturales operationes indivisé, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusé, secundum Sanctorum Patrum doctrinam prædicandas efse.*

Objicies 1mo: Voluntas est proprietas personalis, ergo quemadmodum una est in Christo persona, ita etiam una est voluntas, alias admitti deberent in Christo duo volentes, quia actiones sunt suppositorum, seu personarum. *2do.* In homine duplici natura prædito, spirituali, & corporea,

porea, quia unum datur suppositum, seu persona, una etiam voluntas, ergo etiam in Christo, non à naturis, sed à suppositis numerus voluntatum desumi debet cumquè unicum tantummodo in Christo sit suppositum, unica quoqué efse debet voluntas.

Resp: ad 1mum: Voluntas non est proprietas personalis, sed naturæ intelligentis, alias enim in Deo, qui in personis trinus est, tres voluntates realiter distinctæ admitti deberent. Voluntas itaqué naturam sequitur, & volens personam respicit, hinc in Deo dantur tres voluntates, unica veró nonnisi voluntas Divina. Equidem actiones sunt suppositorum, seu personarum, sed eo sensu, quod à supposito suam trahunt denominationem, & quia ad actionem ponendam suppositum prærequiritur ut natura pofsit agere, non verô eo sensu actiones suppositorum sunt, quasi ab ipsis producerentur suppositis, quia sola natura est principium actionum, personalitas veró & naturam complet, & operantem sustentat.

Ad 2dum: Ideo datur in homine una voluntas, quia corpus, & anima ita uniuntur, ut unam tantummodo constituant naturam humanam, & cum corpus volitionum caput non sit, necefsario nonnisi unica est in homine voluntas. Sed in Christo datur duplex distincta, & inconfusa natura, ergo non potest non adefse duplex etiam voluntas, & quamvis Christus unus est quoad personam, seu unum suppositum apparens, nihilo tamen minus, cum duplici gaudeat natura, & operationes dependeant à natura, ex unitate suppositi non legitimè infertur unitas voluntatis.

ARTICULUS 2dus

De Christi persona, dequé unione utriusqué in illo naturæ Divinæ ac humanæ.

Quæres 1mo. Quid, & quotuplex est unio?

Resp: Unio est conjunctio feu nexus à fe distinctorum. Triplex præcipuè est, *moralis*, *physica*, ac *hypostacica*, *feu personalis*. Unio *moralis* est illa, quæ consistit in consensu animorum, & affectuum, talis est unio amicorum inter fe. Moralis quoque unio est, quæ fit adoptione, & gratia. Unio *physica*, est unio realis, quâ â fe distincta ita fecùm conjunguntur atqué copulantur, ut u-

num

num totum constituant, talis est unio animæ humanæ cum corpore, ex quibus unum totum, nempe homo exurgit. Unio *hypostatica*, illa est, quâ duæ naturæ à se distinctæ in una persona conjunguntur, ita ut una hypostasi, seu personalitate subsistant.

Quæres 2do. Qualis est in Christo unio duarum naturarum, Divinæ & humanæ?

Resp: Est unio non moralis sed physica, ac hypostatica. Et quidem *1mo*. est physica. Divina siquidem & humana natura, ita secûm arctissimè conjunguntur, ut totum & unum constituant Christum Deum, & hominem, unde toties in Sacris litteris unus dicitur, *unus Dominus Jesus Christus*. 1ma ad Corinth: cap: 8vo, *per unum Jesum Christum*,.... *per unius justitiam*,.... *per unius obeditionem*. Ad Romanos cap: 5to, & alibi passim. Ex quo manifestè consequitur, unionem in Christo Divinæ & humanæ naturæ, non esse moralem. Moralis siquidem unio quantacunquè inter duo fingatur, nunquam efficere valet, ut unum tantum sit, unum dicatur alterum, quemadmodum id præstat unio duarum in Christo naturarum, propter quam & Deus dicitur homo factus, & Filius hominis, Filius Dei nominatur. Est ergo unio hæc physica, realis, & substantialis. *2do*. Est hypostatica seu personalis, ita ut una sit, & una dicatur Divina persona. Et id apertè constat ex Scripturis. Joannis cap: 1mo dicitur: *Verbum caro factum est* igitur Verbum, seu persona verbi Divini humanitatem induerat, adêoquê unio naturæ Divinæ, & humanæ facta est in persona Verbi, est proinde hypostatica, seu personalis. Paulus quoquè Apostolus in Epist: ad Philip: cap: 2do sic inquit de Filio Dei, qui est Christus Jesus: *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, at verò si in persona Filii Dei non fuisset facta unio naturæ humanæ cum Divina, non posset dici quod Filius Dei semetipsum exinaniverit aut formam servi acceperit. Quare indubitatum est, unionem duarum in Christo naturarum, Divinæ scilicet & humanæ hypostaticam seu personalem esse. Unde S. Augustinus libro de Incarnat: sic inquit: *Dum lego verbum caro factum est, in verbo intelligo verbum Dei Filium, in carne agnosco verum hominem, & utrumque simul in una persona Dei, & hominis ineffabili gratia conjunctum*. Denique Concilium Ephesinum approbavit sequentem S. Cyrilli contra Nestorium Anathematismum: *Si quis non confitetur, Dei Patris verbum carni secundum hypostasim unitum*,

tum, unumqué eſse Christum, eundem nimirum Deum ſimul & hominem, anathema ſit.

Dices. Unio humanæ ac Divinæ in Christo naturæ nonnisi moralis est. Namquè ipse Christus Joannis cap: 2do loquens de corpore ſuo illud ſuum templum appellat, & Paulus Apostolus in Epist: ad Coloſs. cap: 2do dicit in Christo plenitudinem Divinitatis inhabitare, ac proinde humanitas Christi, nonnisi Divinitatis habitaculum eſse. Porro inter templum, & existentem in templo, inter habitaculum, & inhabitantem moralis tantummodò intercedit unio. Quare etiam SS. Patres Christum vocant hominem Deiferum, hominem dominicum, humanitatem ipsius, instrumentum, templum Divinitatis appellant.

Resp: Reipsa humanitas Christi fuit templum, habitaculum, instrumentum Divinitatis, ſed cui ipsa Divinitas physicè, & hypostaticè unita, atquè conjuncta fuerit. Certè & ipsum nostrum corpus dicitur etiam in Scripturis Sacris domus, tabernaculum animæ, non tamen propterêa inter corpus & animam humanam unionem physicam ac hypostaticam eſse aliquis negare poterit. Pariter cum Sancti Patres appellant Christum hominem Deiferum, hominem dominicum, ipsius humanitatem, Divinitatis templum, instrumentum, per hæc inter utramquè naturam, physicam, ac hypostaticam unionem minimè excludant, Christus siquidem Deifer meritò dicitur, quia in illius persona ambæ naturæ Divina & humana hypostaticè unitæ ſubsistunt. Homo est dominicus, quia qui homo est in Christo, idem Dominus est, & Deus, Humanitas Christi est Divinitatis templum, instrumentum, non ab ipsa ſejunctum, aut quod in ea moraliter tantummodo inhabitaret, ſed physicè, & hypostaticè, atqué personaliter illi copulatum.

Quœres 3tio. An ergo una est in Christo persona?

Resp: Una est tantummodo in Christo persona. Enimvero unio duarum naturarum, quæ Christo competunt, Divinæ ſcilicet, & humanæ, hypostatica, ſeu personalis est, quia facta est in una persona Verbi Divini, utraque una personalitate ſubsistit, ex quo unus est Christus. Non ergo duæ, ſed una tantummodo in Christo est persona. Et vero Scriptura Sacra non de duobus, ſed de uno tantummodo Christo, eoque Deo, pariter, & homine ubiqué loquitur sic S. Paulus in Epistola 1ma ad Timoth: cap: 2do diserte docet unum tantum eſse mediatorem inter Deum & hominem, Jesum Christum, & 1ma ad Corinth:

cap:

cap: 8vo dicit unum nobis eſse Dominum Jesum Christum, per quem omnia, & nos per ipsum, ac in Epist: ad Roman: cap: 9no unus, idemqué Christus describitur tamquam homo, *qui est ex Patribus ſecundùm carnem*, & statim dicitur *Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula*. Tandem in Epist. ad Philip: cap: 2do idem in forma Dei, dicitur æqualis Patri, & in forma ſervi obediens usqué ad mortem. Unus idemqué Christus vocatur Verbum quod in principio erat apud Deum, & ipsum erat Deus, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, quem ipse ante Luciferum genuit, ſplendor gloriæ, & figura ſubstantiæ ipsius, Deus cujus thronus in ſæculum ſæculi, per quem omnia facta ſunt, & iterum dicitur Filius hominis, ex Maria Virgine natus, Puer qui crescebat, & confortabatur, proficiebatqué ſapientia, factus pro nobis maledictum, venit dare animam ſuam redemptionem pro multis cujus prætioso ſangvine quasi agni, immaculati redempti ſumus. Verbo, unus idemqué Christus & Deus, & homo est, Divina & humana natura ex æquo illi adscribuntur, proprietates, operationes utriusqué naturæ ipsi adjudicantur. Unus igitur est Christus, una in illo persona, de quo hæc omnia dici, atqué enuntiari poſsint. Cum enim omnis unius de alio prædicatio, in aliqua fundetur identitate, unum aliquid idemquè in Christo eſse omnino debet, de quo humana, & Divina prædicari poſsint, hoc unum, idemquè natura eſse nequit, quia in Christo duplex natura est, & neutra denominationum, atqué prædicatorum, adêo sibi contrariorum capax est. Ergo unum idemquè in Christo persona est, ad quam omnia, quæ de Christo enuntiantur, referenda ſunt. Atque istud unanimiter docuerunt Sancti Patres. S. Ignatius in Epist: ad Ephesios, ait: *Convenistis in una fide, in uno Jesu Christo ſecundùm carnem ex genere Davidis, Filio hominis, & Filio Dei.* S. Athanasius libro de Incar: inquit: *Christum unam eſse personam non duas.* S. Gregorius Nazian: Orat: 31. ait de Christo: *Non duplex factus, ſed unum ex duplici natura fieri ſustinens.* Quod etiam ab Ecclesia jam dudum definitum est in Concilio Chalcedonensi his verbis: *Confitemur, unum, eundemqué Christum Filium, Dominum unigenitum, nunquam ſublata differentia naturarum propter unitionem magisqué ſalva proprietate utriusquè naturæ, & in unam personam, atqué ſubſistentiam concurrente.*

Quæres 4to. Qualis ſit in Christo persona?

Resp: In Christo ſola, & unica est persona Divina.

Pro-

Probatur. Vel enim duæ ſunt in Christo personæ, Divina & humana, vel una nonnisi sive Divina ſola, sive humana tantum. Porro duæ in Christo personæ eſse nequeunt, quia unus est Christus, idem Deus & homo, si vero duæ eſsent in illo personæ, duo quoque eſsent Christi, alius Deus, alius homo. Sola persona humana in Christo ſubsistere non potest, tunc enim extincta foret personalitas Divina, atque Divina natura, ſubsisteret ſubsistentia humana, quod & impiiſsimum & impudentiſsimum est aſserere. Ergo ſola est in Christo persona Divina. Sanè persona Christi, est persona Filii Dei, quemadmodùm ex tota luculentiſsimè patet Scriptura. Jam verò persona Filii Dei est persona Divina. Ergo & persona Christi est persona Divina. Et certe in principio erat Verbum apud Deum, & ipsum erat Deus, adêoquè Verbum Divinum, in ſua propria Divina personalitate ab æterno persistebat, cum itaque in tempore caro factum est, illam omittere non potuit, quoniam incommutabilis est Divina natura, quarè neceſse erat, ut humana natura quæ in unionem hypostaticam à Verbo Divino aſsummebatur, ab illaqué, utpote longè imperfectior, perficiebatur, complebaturqué, ſuâ propria careret personalitate, & nonnisi personalitate Verbi Divini persisteret, unde & Christus in ſua Divina loquens persona, quæ ab æterno existit Joannis cap: 8vo dixit, *antequam Abraham fieret, ego ſum*, & cap: 17mo ad Patrem sic loquitur: *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui prius, quam mundus eſset, apud te,* quibus verbis manifestiſsimè Divinam ſuam demonstrat personam, quæ antequam mundus eſset omnem apud Patrem habuit claritatem, & à qua cum excidere non potuerit, eandem humanitati ſuæ dandam à Patre expostulat. Igitur & una est in Christo persona, & illa, non humana, ſed Divina.

Quæres 5to. Cum in Christo una ſit persona Divina estne etiam Christus unicus Dei Filius?

Resp: Quamquam in Christo duæ sint naturæ Divina & humana, quia tamen unica est in illo persona Divina, idêo Christus tum ſecundùm Divinam, tum etiam ſecundùm humanam naturam, unicus est Filius Dei. Quemadmodum enim Patris, ita & Filii nomen non naturam, ſed personam efficiunt. Cum itaque utraque Christi natura, Divina & humana in una Filii Dei persona ſubsistant, atqué propterêa una sit in Christo Filii Dei persona. Christus unicus est Dei Filius tum ſecundûm Divinitatem, tum

ſe-

ſecundùm humanitatem. Sed id etiam aliis argumentis comprobari potest. Enimverò Angelus Lucæ cap: 1mo Mariam alloquens sic inquit: *Quod nascetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei* de æterno Dei Filio hic ſermonem eſſe inde patet, quia à Mathæo cap: 1mo iste Filius vocatur *Emmanuel, nobiscum Deus*, igitur qui ex Virgine Maria nasciturus prædicitur, ille idem est Dei Filius, ab æterno genitus. Porro hic Filius Dei, qui ex Maria Virgine nasciturus prædicitur, est Christus humanam & Divinam habens naturam, igitur ſecundùm utramqué naturam unicus est Dei Filius. Atqué hoc nobis confitendum Ecclesia in Apostolico Symbolo proponit credere præcipiens *& in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto natus ex Maria Virgine*, atque rem hanc præclarè illustrat S. Augustinus in Enchiridio cap: 35. *Unus Dei Filius, idemqué hominis Filius, unus hominis Filius, idemqué Dei Filius, non duo Filii, Deus & homo, ſed unus Dei Filius, Deus ſinê initio, homo à certo initio, Dominus noster Jesus Christus.*

Quæres 6to. Christus qualis est Filius Dei, an naturalis, an adoptivus tantummodo?

Resp: Christus ſecundùm utramque naturam, Divinam & humanam est Filius Dei naturalis, Filius adoptivus etiam ſub expreſsa humanitatis restrictione dici nequit. *Probatur:* Filius Dei unigenitus, qui est in sinu Patris, quem Pater genuit, in quo ipse sibi tamquam in dilecto Filio ſuo benè complacuit, est Dei Filius naturalis, non adoptivus. Porrò Christus, Deus & homo, est idem unigenitus Dei Filius, est in sinu Patris, Pater illum genuit, in eo tamquam Filio ſuo dilecto benè sibi complacuit. Hæc namqué omnia in Scripturis Sacris de Christo, Deo pariter & homine enuntiantur. Igitur Christus ut Deus pariter & homo, Filius est Dei naturalis non adoptivus tantummodo, alias si Christus ſolùmmodò ut Deus, eſset Dei Filius naturalis jam verò ut homo nonnisi Filius adoptivus, tunc duo erunt in Christo Filii, unus naturalis, adoptivus alter, duæ proinde erunt personæ, quod aſserere hæreticum est.

Et verò proprius, ac verus Filius Dei, est Filius Dei naturalis, non adoptivus, adoptivus siquidem Filius, non reipsa, ſed tantum denominatione Filius illius dicitur, à quo est adoptatus. Jam vero Christus etiam ut homo, dicitur Filius Dei proprius & verus. Sic ad Romanos cap: 8vo. *Proprio*

prio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, dicitur etiam verus Filius Dei. Epist: 1ma Joan: cap. 5to. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus*, Filius namqué Dei, seu Christus ùt homo, & secundùm humanam naturam pro nobis ad mortem traditus est, ad nos venit, mundoqué apparuit, Christus ergo etiam ùt homo Filius Dei est naturalis, non adoptivus. Præterêa adoptio fit, dum is, qui extraneus est in Filium assumitur, ac proinde adoptio fit personæ jam existentis. Cum verò Divinum Verbum caro factum est, eôdem prorsus tempore, quô in utero Virginis Mariæ efformata fuit humana natura, eandem intimo nexu sibi copulaverit, propriam suam illi largiendo subsistentiam, inde palam fit, humanam Christi naturam, quæ nunquam per se subsistit, nec Filio Dei, seu Verbo Divino extranea fuit, aut prior Ejus Incarnatione extitit, adoptioni suscipiendæ haud capacem fuisse. Ipsa ergo etiam ratio ostendit, commentum esse, Christum secundùm humanam naturam, adoptivum nonnisi esse Dei Filium.

Sed & Sancti Patres unanimi consensu docent Christum, etiam secundùm humanam naturam non adoptivum, sed naturalem esse Dei Filium. Sic S. Hilarius in libro de Trinitate 6to docet Christum, *non ex nuncupatione Filium Dei esse, sed ex natura, neque ex adoptione, sed ex nativitate*, & libro 9tio, de Christo in Cruce moriente inquit: *Hic est verus, proprius est Filius, origine, non adoptione, veritate, non nuncupatione.* S. August: Tract: 82. in Joan: sic inquit: *Nos filii gratia non natura, unigenitus autem natura, non gratia.* Dein addit: *An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum?* & respondet, *ita sane.* Tandem Africani Patres in libello emendationis Leparij Presbyteri, dicunt: *In hoc maximê fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei, non adoptivum, sed proprium.* Hic accedunt variorum Conciliorum, contrà Felicis, & Elipandi errorem editæ definitiones, scilicet Narbonensis, Ratisbonensis, & aliorum. Postremo in Concilio Francofordiensi congregati Episcopi, latè & diligenter expensa Traditione, atquè à fraudibus Hæreticorum vindicata, in sua Synodica Epistola sic loqvuntur: *Nec Apostoli Eum sic* id est adoptivum *nominaverunt, nec Sancta Dei, & Catholica Ecclesia consvetudinem habuit sic Eum appellare, imò nec credere Eum adoptivum esse, sed proprium Filium.* Et infra: *Si Deus genera-*

neratus est, nequaquam adoptivus, ſed Filius, quia alia est persona proprii filii, alia adoptivi filii, ſervi, & ſcimus unam eſse personam in Christo Deo. Ex quibus postremis Concilii verbis, hæc decretoria ratio deducitur. Adoptio cadit in personam extraneam adoptanti, quæ non ex origine, ac natura, ſed favore, & gratia, ad hæreditatem vocatur. Atqui nulla est in Christo Domino extranea Deo persona, ſed unica, eaqué Divina, quæ ex natura, & origine ſua, jus habet ad hæreditatem paternam, ſeu cælestem, ergo Christus nulla ex parte est, aut dici potest filius adoptivus.

Objicies 1mo. Nonnulli ex veteribus Patribus, quemadmodum Irenæus, Theodoretus, Hilarius, Augustinus, adoptionis nomine utantur, cum de Christo agunt, docentqué hominem à Verbo Divino fuiſse aſsumptum. *2do.* Filiatio naturalis fundatur in generatione, Christus verò ùt homo, ex ſubstantia Dei per veram generationem non prodiit. Non ergo est Filius Dei naturalis.

Resp: ad 1mum: Citati Sancti Patres non de humana Christi Persona loquuntur, quæ nunquam extitit, ac proinde nec aſsumi, nec adoptari ullatenùs poterat, ſed de humana Christi natura agunt, quæ in unitátem Personæ à Verbo Divino aſsumpta fuit, & quia istiusmodi aſsumptio prorsùs fuit gratuita, & ex mera Dei liberalitate facta est, idêo, latiori ſensu illam adoptionem vocârunt, non strictè, & propriè.

Ad 2dum. Duplici modo potest quis eſse alterius filius naturalis, generatione ſcilicet, & hypostatica unione. Duo hæc in Christo stupendo, & admirabili modo reperiuntur. Secundùm naturam Divinam est Filius Dei naturalis generatione, ſecundùm naturam humanam, est Filius Dei naturalis hypostatica cùm Verbo Divino unione.

Quæres 7mo. Christi Mater, B. V. M. quomodo appellari debeat an Deipara, an tantummodo Christipara?

Resp: Beatiſsima Virgo Maria, verè & propriè Deipara est, & dici debet, ac proindè tantummodò Christipara nominari nequit. *Probatur.* Quæ verè Deum concepit, ac genuit: ex qua Filius Dei, factus est, illa verè & propriè Deipara est, & dici debet. Porro B. V. Marja verè Deum concepit, ac genuit, ex ipsa factus est Filius Dei, quod ex Sacris Scripturis manifestiſsimé constat. Sic Lucæ cap: 1mo dicit Angelus ad Mariam: *Ecce concipies in utero, & paries Filium.... Hic erit magnus. & Filius Altiſsimi vocabitur,* & S. Paulus Apostolus ad Galat: cap:

cap: 4to sic inquit: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Ergo B. V. Maria verè & propriè Deipara, atqué Dei Genitrix est, & dici debet.

Et certè generatio personam præcipué respicit, atqué ùt dici consvevit, terminus generationis, est suppositum geniti. Porro cum in natura humana, quam B. V. Maria concepit ac genuit, unica fuerit Divina persona, unicus scilicet Dei Filius, ac proinde Christus nequidem sub ratione humanæ naturæ dici potest Filius Dei adoptivus, sed omnino naturalis est, inde manifestum est, Christi Matrem B. V. Mariam, verè, & propriè Deiparam, Deiqué Matrem & esse, & dici debere, atqué istud honorificum Deiparæ nomen, ab ipsa Apostolorum ætate, B. V. Mariæ attributum est, illudque ex Apostolica traditione descendere probat Theodoretus libro 5to Hæret: fabularum. Cap: 18vo, & reipsa B. V. Mariam esse Deiparam, ac Deum vere genuisse, perpetua fuit Sanctorum Patrum doctrina, Justini, Irenæi, Dyonisii Alexandrini, Origenis, Athanasii, aliorumqué, ac deniqué hanc veritatem Concilia Generalia definiverunt. Ephesinum approbando Anathematismos S. Cyrilli, in quorum primo B. V. Maria dicitur & probatur esse Dei Genitrix, sic enim habet: *Si quis non confitetur Emmanuêlem vere Deum esse, & ob id Sanctam Virginem Deiparam, genuit enim illa incarnatum Dei verbum secundûm carnem, anathema sit*, et Constantinopolitanum 2dum Can: 6to declarat: *Si quis abusivé, & non veré Dei Genitricem dicit Sanctam, Gloriosam, semper Virginem Mariam, anathema sit.*

Dices. Quæ Divinitatem non genuit, Dei Genitrix dici non potest. Sed B. V. Maria Divinitatem non genuit. Ergo non est Dei Genitrix.

Resp: Ut B. V. Maria verè sit, & propriè dicatur Dei Genitrix, non est necesse ut Divinitatem genuerit, satis est, quod eum genuerit, qui Dei Filius est, ac verus Deus, quemadmodum & in humanis, ut mulier dicatur hominis mater, satis est quod eum pariat, qui homo est, tametsi præcipuam hominis partem, animam scilicet rationalem, ipsa non generet.

Quæres 8vo. Ex hac mirabili Divinæ & humanæ in Christo naturarum unione, quid consequitur?

Resp: Ex hac utriusqué Divinæ, & humanæ naturæ in una Christi persona admirabili unione, consequitur, quemadmodum Theologi loquuntur, Idiomatum communicatio, quæ in eo tota consistit, quod ea omnia, quæ Deo, &

homini ſunt propria, de Christo enuntientur, ipſiqué attribuantur, ac pariter de Deo enuntiantur, quæ conveniunt humanitati, & de homine, quæ propria ſunt Divinitati. Sic Joan: cap: 3tio Filio hominis tribuitur existentia in cælo, antequam illuc ascenderet, & Actor: cap: 3tio Authori vitæ mors tribuitur. Christus appellatur unigenitus, consistens in sinu Patris, ante Luciferum genitus, antiquior Abrahamo, ac pariter Deus dicitur acquisiviſse Ecclesiam ſangvine ſuo, animam ſuam pro nobis posuiſse, & similia. Hoc autem ex eo ſequitur, quod Christus sit unica persona in duabus naturis humana, & Divina ſubsistens, ſeu unum utriusquè naturæ ſuppositum, de eo igitur prædicari poſsunt utriusqué naturæ attributa, proprietatesquè. Quare ſequens ſervanda est regula. *Concreta naturarum de ſe mutuo, illarum propietates de ſe invicem, & de ipſis naturis, ac de persona prædicari poſsunt.* Veræ itaqué ſunt istæ propositiones. *Deus est homo. Homo est Deus. Christus est paſsibilis. Christus est impaſsibilis.* In his enim, & similibus, ob unitatem personæ, prædicatum, & ſubjectum, idem ſuppositum significat, & pro eodem accipitur. Verum proprietates naturæ Divinæ de humana, & viciſsim proprietates naturæ humanæ de Divina in abstracto prædicari nequeunt. Attributa siquidem, proprietatesqué unius naturæ, non communicantur alteri naturæ, & utraqué inconfusa permanet, ac ſuas ſervat sinè permixtione proprietates. Unde isthæc ſervari debet regula. *Abstracta de abstractis prædicari nequeunt.* Hinc dici nequit: *Divinitas est humanitas. Humanitas est Divinitas: Divinitas est paſsibilis, mortua. Humanitas Christi est ubiqué, est immensa.* Quemadmodum enim naturæ Divina, & humana in Christo, inter ſe distingvantur, ita pariter illarum attributa, proprietatesqué distinctæ ſunt.

Quæres 9no. Ad pleniorem notitiam, hujus admirabilis unionis Divinæ, & humanæ in Christo naturæ, quæ preterea ſcienda, atqué tenenda ſunt?

Resp: Sequentia ſcienda, atqué tenenda ſunt. *1mo.* Unionem hypostaticam Divinæ ac humanæ naturæ, non in Divina natura, ſed in persona Verbi Divini immediate factam fuiſse. Si enim in Divina natura immediate facta fuiſset, Pater, & Spiritus Sanctus, non minus quam Filius Incarnati fuiſsent, natura siquidem Divina una eademqué numero est in tribus Divinis Personis. Porro fide constat, nonnisi Filium Divinum Incarnatum fuiſse. Igitur unio Divinæ, & humanæ in Christo naturæ, non in Di-

vina natura immediaté facta est, sed in persona Verbi Divini. *2do.* Quo instanti humanitas in utero B. V. Mariæ concepta fuit, eodem momento & organa corporis, Spiritu Sancto operante, aptè conformata sunt, & animæ humanæ conjuncta fuerunt, atqué eodem quoqué instanti, tota humanitas Verbo Divino hypostaticè unita extitit. Si enim humanitas Christi, ante unionem cum Verbo Divino, aliquo tempore extitisset, propria personalitate donata fuisset, ac proinde post unionem, duæ essent in Christo personæ, humana & Divina, quod asserere hæreticum est.

CAPUT QUARTUM

De Anima, atqué Christi Carne.

Quœres. Ex quibus Christi constat humanitas?

Resp: Christi humanitas ex anima, atqué humana carne constat. Partes siquidem hominis essentiales sunt corpus & anima. Cum verò Christus verus fuerit homo, nobisqué consubstantialem humanam habuerit naturam, carnem, & humanam habuit animam.

ARTICULUS Imus

De humana Christi Anima.

Quœres Imo. Utrùm Verbum Divinum veram assumpserit animam humanam?

Resp: Verbum Divinum veram assumpsit animam, mentemqué humanam. *Probatur.* Id imprimis ex Sacris Scripturis. Joan: cap: 10. inquit Christus: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.... Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam*, & morti proximus, ait ad Discipulos suos Math: cap: 26. *Tristis est anima mea usqué ad mortem.* Veram igitur Verbum Divinum humanam assumpsit animam, cumqué animæ humanæ principalis facultas, atqué dos maxima sit mens, sive intellectus, illa Anima Christi carere

nen-

neutiquam potuit. Et certè facultates, quæ humanæ animæ competunt, Christo adscribuntur. Scilicet *Intellectus*, in Christo namqué ùt inquit Apostolus ad Colofs: cap: 2do omnes thesauri fapientiæ, & fcientiæ absconditi funt. *Voluntas*, ùt ipse de fe inquit Christus Joan: cap: 6to. *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, fed voluntatem ejus qui mifit me* Sed præterêa affectiones etiam animæ nostræ Christo adscribuntur: *Tædium*, & *pavor*. Marci cap: 14. *Cœpit pavere*, & *tædere*. *Dolor* & *tristitia*. Lucæ cap: 19. *Videns Civitatem flevit fuper illam*. *Fames* Math:cap: 4to. *Cum jejunnafset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit*. *Sitis* Joan: cap: 19no. *ut consumaretur Scriptura dixit, Sitio*. *Somnus* Marci cap: 4to. *Erat ipse in puppi fuper cervical dormiens*. Cum itaqué Verbum Divinum & facultates animæ humanæ afsumpserit, & affectionibus etiam ipsius, Christus fubjectus fuerit. Indubiè credendum est, Verbum Divinum veram animam, mentemqué humanam afsumpsifse.

Et verò indubiè Christus, postquam in Cruce pendens Patri Spiritum fuum commendâfset. Math: cap: 26. dicens: *In manus tuas commendo Spiritum meum*, tandem *inclinato capite tradidit fpiritum*. Joan: cap: 19no. Porro Christus Spiritum Divinitatis in morte non emisit, hic enim & animæ, & corpori ipsius inseparabiliter, etiam triduo mortis adhærebat. Ergo Spiritum emisit humanum, humanam videlicet animam, de illa siquidem prædicendo locutus est. Joan: cap 10mo. *Nemo tollet eam à me, fed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & iterum fumendi eam*. Quare Synodus Œcumenica fecunda, in Epistola ad Damasum Papam, & Romana contrà Macedonianos, & Apollinaristas convocata, anathema statuit contrà eos, qui vice animæ rationalis, afsumptæ carni, Verbum Divinum fuifse censent.

Dices. Anima humana Christo nullatenùs fuit necefsaria, Divinitate omnes operationes perficiente, aliàs duæ forent in Christo facultates directrices, Divinitas, & humana anima.

Resp: Anima humana in Christo omnino fuit necefsaria, quia tristitia, dolor, ceteræqué affectiones humanæ, quibus Christus fubjectus fuit, in naturam ipsius Divinam cadere nullatenùs pofsunt. Etiamsi verò Christi operationum in corpore directrix anima humana fuerit hanc ipsam tamen Divinitas regebat, atqué ideo Verbum Divinum, Divinaqué ipsius natura, una, & principalis fuit omnium

Chri-

Christi operationum moderatrix, quare sic inquit S. Joannes Damascenus libro 3tio de fide Orthodoxa: *Assumpsit carnem anima rationali, & intelligente animatam, quæ sicut carnis principatum tenebat, ita Divinitati parebat, ab eaquê regebatur.*

Quæres 2do. Utrùm anima Christi post illius mortem in infernum descenderit?

Resp: Anima Christi, post ipsius mortem verè in infernum seu in inferiores partes terræ, descendit, ut inde veteris Testamenti Sanctos educeret, ac liberaret. Et quidem *1mo.* Christi ad inferos descensum prædixit David Propheta Psal: 150 dicens in persona ipsius: *Non derelinques in inferno animam meam, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et diversa hic sunt posita, animam scilicet non derelinqui in inferno, & carnem requiescere in spe, ut non videat corruptionem, claris igitur verbis David prædixit, & corporis Christi post mortem in sepulchro depositionem, atqué inde sinè corruptione resurrectionem, & animæ illius ad inferos descensum. Atqué ad hunc Prophetæ locum provocans Petrus Apostolus istiusmodi prædictionem in Christo completam fuisse docet. Atcor: cap: 2do, ubi sic inquit: *Propheta providens locutus est de resurrectione Christi, quia nec derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem,* & hic iterum Apostolus duo distinctè ponit, & animam Christi non fuisse in inferno derelictam, nequé carnem ipsius in Sepulchro vidisse corruptionem. Quare descensus Animæ Christi ad inferos, à depositione corporis ipsius in Sepulchro secernendus est. Verè itaqué Anima Christi post mortem illius ad inferos descendit. Idem docet S. Paulus ad Ephes: cap: 4tò ubi sic ait de Christo: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ.* Quare in Symbolo Apostolico expressè confitemur de Christo: *descendit ad inferos,* atqué hoc dogma confirmat consentiens auctoritas Sanctorum Patrum, unde S. Augustinus non dubitavit pronuntiare in Epist: 164. ad Evodium dicens, *Quis nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christum.* 2do. Quod vero descenderit ad inferos, ad liberandas animas tantummodo Sanctorum, atqué veteris Testamenti justorum, id docet S. Petrus Apostolus in Epist: 1ma cap: 3tio ubi de Christo sic loquitur: *His qui in carcere,* seu ùt versio Syriaca legit, *in inferis erant, Spiritibus veniens prædicavit,*

libe-

liberationem ſcilicet ipſorum. *Qui increduli fuerunt aliquando quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur Arca*, ſed inundantibus aquis pœnitentiam egerunt, atque ſic ab æterna damnatione liberati ſunt. Certe quotiescunque in Sacris Litteris de descensu Christi ad inferos ſermo est, ſemper inde liberandi dicuntur illi, qui in Christum Redemptorem ſperabant. Sic Eccleſ: cap: 24. in perſona Christi dicitur: *Penetrabo omnes inferioris partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*, & Zachariæ cap: 9no dicitur de Christo: *Tu quoque in ſangvine testamenti tui emiſisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*, & statim additur, *Convertimini ad munitionem vincti ſpei.* Manifestum igitur est, quod Christus non descenderit ad locum damnatorum; ubi nulla ſpes est conſolationis, ac redemptionis, ſed descendit in Limbum, ſeu receptaculum justorum, ac ſanctorum, eos inde liberaturus.

Dices. Christus latroni pænitenti dixit Lucæ cap: 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo anima Christi, statim ac à corpore ſeparata fuit in Paradiſum evolavit, nec in infernum descendit.

Resp: Paradisi nomine in hoc textu, non ſedes Beatorum, ubi Deus ſeipſum intuitivé conſpiciendum exhibet, intelligitur, ſed locus pacis, & refrigerii, quem Limbum appellamus, in quem latronis pænitentis anima, cum anima Christi descendit.

Quæres 3tio. Anima Christi qualem & quantam habuit Scientiam?

Resp: Anima Christi, à ſui exordio perfectiſsimam statim habuit omnium rerum Scientiam, atque completam notitiam. De Christo namque prænuntiavit Isaias cap: 11mo. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis*, quod etiam in Christo completum eſse testatur S. Apostolus Paulus ad Coloſs: cap: 2do, docens: in ipſo absconditos eſse omnes theſauros ſapientiæ, ac ſcientiæ, atque hæc loquendi ratio, plenam ac cumulatiſsimam omnium rerum deſignat notitiam, unde S. Petrus dixerat Christo Joan: cap: 21. *Domine tu noſti omnia*, & alibi dicunt illi Discipuli ejus. Joan: cap: 16to. *Scimus, quia ſcis omnia.*

Dices. Christus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & apud homines. Ergo non statim perfectiſsimam habuit omnium rerum notitiam, ſed illam ſucceſsu temporis acquirebat.

Resp:

Resp: Proficiebat Christus ſapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum & homines, quia quemadmodum cum profectu ætatis, ſemper major statura, ac insignior forma coram Deo, & hominibus apparebat, ita etiam ſapientiam ſuam, ac gratiam, quâ præditus erat, ſemper magis ſplendidam, ac illustriorem reddebat. Pulcherrimè ad hanc rem S. Gregorius Nazian: Orat: 20. sic loquitur: *Ut ætate, ita & ſapientia proficiebat, non quod hæc in eo incrementum caperent, quid enim eó, quod à principio perfectum erat, perfectiûs eſse poſsit, ſed quod hæc paulatim detegerentur ac elucerent.*

Quæres 4to. Animæ Christi competebatné etiam omnimoda Sanctitas, atqué impeccantia?

Resp: Animæ Christi competebat omnimoda Sanctitas, atqué impeccantia. Sic enim Angelus Christi annuntians nativitatem, B. V. Mariam alloquitur Lucæ cap: 1mo. *Quod ex Te nascètur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et revera, ût loquitur S. Paulus in Epistola ad Hebræos cap: 7mo. *Talis decebat ut nobis eſset Pontifex ſanctus, innocens, impollutus.* Joannes quoqué Apostolus in 1ma Epist: cap: 3tio sic inquit: *Scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est,* quâpropter confidenter Christus ajebat Joan: cap: 8vo. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et hæc ſanctitas, atqué impeccantia, non gratiæ tantum, ſed naturæ, vi unionis hypostaticæ referenda est. Qui enim natura Deus est, & unâ cum Verbo Divino Persona, ille ex vi unionis hypostaticæ peccati capax eſse non potest, aliàs dici puſset, Deum ipsum peccare poſse, quod vel cogitare impium est, & abominabile. Porro Christus Deus est, una cum Verbo Divino Persona. Ergo ex vi unionis hypostaticæ Anima ipsius & ſancta, & imppeccabilis fuit.

Dices 1mo. Christus in Cruce pendens, verba impatientiæ, ac desperationis protulit Math: cap: 27. *Deus meus, ut quid dereliquisti Me.* Nævum enim aliquem hæc arguere videntur. *2do.* In Christo erant humanæ naturæ affectiones, tristitia, dolor, ira etiam, circumspiciebat enim Pharisæos cum ira, ût dicitur Marci cap: 3tio Ergo Christus peccare potuit.

Resp. ad 1mum. Verba Christi non impatientiam, aut desperationem indicant, quia & ſuis Crucifixoribus veniam à Patre postulabat, & illorum delictum imminuebat, sic orans Lucæ cap: 23. *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt,* ſed acerbitatem cruciatuum denotant, quos

quos in Cruce pendens pro ſalute nostra pertulerat, non itaqué quasi derelictus, ac desperans ad Patrem clamabat, ſed voluntatem ipsius in ſubeunda morte crudeliſsima adimplens, in manus illius Spiritum ſuum commendavit.

Ad 2dum. Erant in Christo affectiones naturæ nostræ, ſed ſeclusis imperfectionibus, quæ nobis adhærescunt, & quæ ex peccato, atqué naturæ nostræ corruptione ſequuntur, & ad peccatum trahunt: Unde inquit Apostolus Epist: ad Hebræos cap: 4to. *Non enim habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine absqué peccato.*

Quæres 5to. Utrûm Christus in ſubeunda Crucis morte fuerit liber?

Resp: Christus in ſubeunda Crucis morte verè liber fuit. Id manifesté constat ex Scripturis Sacris. Isaias cap: 53. de Christo prænuntiavit: *Oblatus est, quia ipse voluit,* & Joan: cap: 10. de ſe ipso Christus sic loquitur: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipso.* Quæ verba plenam indicant Christi libertatem in ſubeunda Crucis morte. Et vero Christus ſua morte promeruit nobis quidem ſalutem æternam, sibi vero nominis exaltationem, quemadmodum docet Paulus Apostolus ad Hebr: cap: 5to. *Consummatus factus est omnibus obtemperantibus ſibi causa ſalutis æternæ,* & ad Philip: cap: 2do. *Humiliavit ſemetipsum factus obediens usqué ad mortem. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est ſupra omne nomen.* Porro nisi fuiſset Christus in ſubeunda Crucis morte planè liber, nec sibi, nec nobis quidpiam illâ promeruiſset, ubi enim neceſsitas, ibi meritò locus eſse nequit. Cum itaqué Christus & sibi, & nobis tantum morte ſuâ promeritus fuerit, in illa perferenda planè liber fuit. Unde S. Ambrosius libro 4to de Fide cap: 10. *Potestatis ſuæ eſse ſignificat ponere animam, & liberæ voluntatis,* & S. Augustinus libro 4to de Trinitate cap: 13. *Qui poſset non mori, ſi nollet, procul dubio quia voluit mortuus est.*

Dices. Christus de ſubeunda Crucis morte, mandatum à Patre accepit, & ideô Joan: cap: 18. Petro, qui illum defendere voluit, dixit: *Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum.* Hoc autem Patris præceptum Christus transgredi non potuit, quia impeccabilis fuit. Ergo in ſubeunda Crucis morte liber non fuit.

Resp: Præceptum quod Christus de ſubeunda Crucis mor-

morte à Patre accepit, non fuit strictum, rigorosum, nequé absolutum, ſed ipsius voluntati permiſsum, atquè relictum. Et id constat ſatis manifestè ex Sacris Scripturis. Isaias cap: 53. mortem Christi prædicens: sic habet: *Si posuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Ipse quoqué Christus dixit Petro Math: cap: 26. *An putas quia non poſsum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.* Quare cum oraret Patrem, ut Calicem Paſsionis à ſe removeret, statim adjecit: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Math: cap: 26. Igitur absolute potuit Christus mortem Crucis, ac paſsionem declinare, si id voluiſset, ac omnino exoptaſset, ſed quia venit in mundum, non ut faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem ejus, qui misit illum, Patris, ideo voluntati illius ſponté ſe ſubmittendo, liberé mortem crucis acceptavit, illamqué pertulit. Et ſane ubi Christus affirmat mandatum ad ſubeundam mortem sibi à Patre traditum fuiſse, ibi etiam ſuam in illo exequendo, potestatem plenamqué libertatem aſserit, sic enim Joannis cap: 10. ipse loquitur: *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam â me, ſed ego pono à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum ſumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre.* Ex quo evidentiſsimè patet, mandatum à Patre de ſubeunda morte Christo datum non fuiſse absolutum, nequé rigorosum, ſed ejus voluntati plenè relictum.

ARTICULUS 2dus.

De Carne Christi.

Quæres 1mo. Utrûm Verbum Divinum veram humanam aſsumpserit carnem?

Resp: Verbum Divinum, non umbratilem, aut cælitus delapsam, ſed veram humanam aſsumpsit carnem. Enimvero Verbum Divinum veram, ac nostræ consubstantialem naturam humanam aſsumpsit, ergo & veram humanam carnem, ſolidumqué corpus, quod pars eſsentialis est humanæ naturæ, & sine quo totus non est homo. Certe qui de ſemine hominis est, ſecundum carnem, qui ex muliere factus est, non umbratilem, non de aere, nequè cælitus delapsam, ſed veram humanam habuit carnem

nem. Porro docet Apostolus Paulus Christum ſecundum carnem factum eſse ex ſemine David, Epist: ad Romau: cap: 1mo. *qui factus est ei ex ſemine David ſecundum carnem.* Epist: ad Galat: cap: 4to. *factum ex muliere.* Ergo Christus veram humanam habuit carnem, non umbratilem, nequé cælitus delapsam. Tandem corpus Christi fuit paſsibile, & doloribus obnoxium, ipse esuriit, ex itinere fatigatus est. Verum ergo humanum habuit corpus.

Dices. Joannis cap: 6to Christus dicitur de Cælo deſcendiſse: *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me;* descensus vero tamquam transitus de loco in locum, Christo tantum quoad corpus convenire potest Et Paulus Apostolus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 15. dicit: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus de cœlo cœlestis* de Cælo ergo ſecum delatum corpus habuit Christus.

Resp: Non ſecundum humanitatem, ſed ſecundum Divinitatem Christus de Cælo descendit, unde ibidem ſubjungit ipse: *Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.* Christus enim antequam mundo appareret, non erat in Cælo ſecundum humanitatem, ſed ſecundum Divinitatem, & prius apud eundem Evangelistam cap: 3tio dixerat: *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo.* Christus autem cum versaretur in terris, non erat tunc in Cælo ſecundum humanitatem, ſed ſecundum Divinitatem. Ergo & descendit de Cælo ſecundum Divinitatem. Descendiſse vero dicitur, non quia Cælum dereliquit, ubi eſse nunquam desierat, ſed quia inter homines ſecundum humanam naturam, quam Filius Dei aſsumpserat, visibilis apparuit, atqué humano modo eſse cæpit, ut inquit Baruch Propheta cap: 3tio. *in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Paulus autem Apostolus duos ibi nobis exhibet, ac proponit homines, primum quidem hominem Adam, quem vocat terrenum, atqué illos terrenos eſse dicit, qui imaginem ejus portant, ipsius ſequentes vestigia. *Qualis terrenus, tales & terreni,* quia caduca, & mundana ſapiunt. Secundum autem hominem, noviſsimum Adam, Christum Dominum cælestem appellat, quia de cælo venit, & cælestis vitæ formam nobis tradidit, & qui hanc tenent, atqué adimplent, ipsiusqué ſequuntur exempla cælestes nominat. *Qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Unde hortatur omnes, ut imaginem illius portemus, vestigia ſequamur. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Quare

non

non opponit Apostolus Christum Adamo secùndum carnem, quasi hæc è terra, illa è cælo sit, sed secùndum vivendi rationem, quæ in Christo tota cælestis, & Divina fuit, non vero in Adamo.

Et revera cælestis fuit Christus non secûndum humanitatem, sed secùndum Divinitatem; quamquam enim & Adam, nonnisi corpus de terra habuerit, Spiritum vero à Deo accepit, qui in illum inspiravit spiraculum vitæ, attamen de terra, terrenus dicitur, ita quoqué & Christus, etsi sola illius Divinitas è cælo fuerit, corpus vero de muliere, & ex semine David, tamen de cælo, cælestis meritò dicitur. Tandem Christus ex hac ratione dici potest *homo cœlestis de cœlo*, quia unica est in Christo persona Verbi Divini, quæ de cælo descendit.

Quæres 2do. Utrùm Christus carnem sumpserit ex B. V. Maria?

Resp: Christus carnem suam de B. V. Maria accepit. Id apertissimè ex Sacris constat Scripturis Luc: cap: 1mo inquit Angelus ad Mariam: *Ecce concipies in utero, & paries filium*, & ibidem Christus dicitur: *fructus ventris* Mariæ. Jam vero dici non posset, quod Maria Christum veré conceperit, ac pepererit, quod ille sit fructus ventris illius, si carnem suam aliunde, non ex Maria accepisset. Præterea Christus ubiqué in Scriptura vocatur Filius David, Filius Abraham, id vero dici de illo non ex alia ratione potest, nisi quia carnem humanam ex Maria acceperit.

Dices. Christus nuspiam Mariam vocat Matrem suam, sed tantum Mulierem, imo Math: cap: 12. apertis verbis negat se habere Matrem, aut fratres, annuntiantibus siquidem. *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant,* respondit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?*

Resp: Licetsi Christus nuspiam Mariam expressis verbis vocaverit Matrem, id tamen claré ostendit, dum se Filium hominis toties professus est, quare præclarè Venerabilis Beda in cap: 2dum Lucæ dixit: *Nec enim verè Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.* Præterea S. Joannes Apostolus, cap: 19no Mariam vocat Matrem Christi, dicens: *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.* Verbis autem ex Mathæo allatis, Christus non negavit Mariam esse Matrem suam, sed cognationem spiritualem, quæ consistit in conformitate voluntatis humanæ cum Divina, præferendam esse carnali, docuit, & id contextus docet, extendens siquidem manus

in discipulos dixit: *Ecce Mater mea, & fratres mei, quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & ſoror, & Mater est.*

Quæres 3tio. Utrùm Verbum Divinum carnem humanam aſsumpserit ex Maria, Virginitate ipſius inviolata permanente?

Resp: Verbum Divinum carnem humanam aſsumpsit ex Maria, Virginitate ipsius inviolata permanente. *Probatur.* Et quidem *1mo.* ex Scripturis Sacris. Isaias cap: 7mo sic dicit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et quamquam Judæi perfractè negent ab Isaia prædictum fuiſse Meſsiam è Virgine nasciturum, ſed imperitè id faciunt. Enimvero pertimescente Achaz Rege Judæ, ne à Syriæ & Israelis Regibus, qui adversùs eum pugnaturi venerant, tota ejus progenies deleretur, misit Deus Isaiam, ut de futura Regni liberatione certiorem eum redderet, promiſso signo, sive in excelsum cæli, sive in profundum terræ, quod cum Achaz petere recusâſset, Propheta ſermonem ſuum ad domum David convertens, dixit: *propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Hic ergo Propheta maximum prodigium, & admirabile signum in eo ponit, quia Virgo concipiet, & pariet filium, quale vero eſset signum, cum iis ſublimioribus comparandum, quæ vel in cælo, aut in terra fieri poſsunt, si Virgo nubat, & ex viro concipiendo pariet filium. Sed & ipsa emphasis hujus prædictionis, quæ tam in Hebraico, quam in Græco occurrit, non communem significat Virginem, ſed Virginem denotat peculiarem, quæ cum Matris honore, virginalem candorem conservavit. Hanc porro Isaiæ prophetiam in Christo Domino adimpletam fuiſse S. Mathæus Evangelista & testatur, & probat cap: 1mo sic inquiens: *Christi generatio ſic erat. Cum eſset desponsata Mater ejus Maria, Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Joseph *autem vir ejus cum eſset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Joseph Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu ſancto est,* ex hac vero generationis Christi bre iſsima descriptione, clariſsimè apparet, ipsum Spiritu Sancto operante in utero Virginis Mariæ conceptum, & inviolata ejus virginitate permanente natum fuiſse. Quare his enarratis sic con-

concludit S. Evangelista: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium.*

Et S. Lucas etiam cap: 1mo sic describit Angelicam falutationem, quæ ad Mariam facta est à Gabriele: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in Te, & virtus Altissimi obumbrabit Tibi.* Hæc salutatio facta est ad Virginem, licetsi desponsatam viro. Prædicit illi Angelus quia in utero habebit, & pariet filium, minime virum cognoscendo, sed quia Spiritus Sanctus in eam superventurus erat, & virtus Altissimi illi adumbrare debuerat. Mira igitur fuit, & supra consvetam naturæ legem Christi in utero Virginis Mariæ conceptio nonnisi Spiritu Sancto, & virtute Altissimi operante perfecta, atqué ex hoc concludit Angelus: *Ideoqué & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei,* scilicet ex admirabili, ac stupenda conceptione, ostenditur qualis futurus sit filius, quem paritura Maria erat, videlicet Filius Dei.

2do. Ex communi ac perpetua Ecclesiæ fide, quæ semper credidit B. Mariam, inviolata permanente virginitate Christum genuisse. Maria siquidem Christi Mater & à Græcis, & à Latinis Patribus semper Virgo appellatur. Concilia quoqué Chalcedonense, & Synodus quinta OEcumenica eandem veritatem confirmârunt. Unde S. Leo Magnus, Romanus Pontifex in Epistola quam Concilium Chalcedonense approbavit, sic inquit de Christo: *Conceptus est de Spiritu Sancto intra uterum Matris Virginis, quæ illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.* Atquè ex his planè conficitur, Mariam & ante partum Christi Virginem fuisse, & in partu illibatam ejus virginitatem permansisse, nam Virgo concepit, & Virgo peperit Christum, quare S. Augustinus in Enchir: cap: 4to sic inquit: *Si Christo nascentê corrumperetur Mariæ integritas, non jam ille de Virgine nasceretur, eumquê falso, (quod absit,) natum de Maria Virgine tota confitetur Ecclesia.*

Quæres 4to. Utrùm etiam post partum Christi B. Maria semper Virgo permanserit?

Resp: Etiam post partum Christi B. Maria semper Virgo permansit. Et id constat ex judicio totius Ecclesiæ,

siæ, quæ oppositam impietatem ſemper detestata est, unde non ſolum illos Hæreticos judicavit, qui Christum ex Josepho more communi genitum blasphemabant, verum etiam Apollinarem, Helvidium, Bonosum, nonnullosqué alios damnavit, qui post Christi partum, Mariam habuiſse filios aſserebant, quem errorem Origenes magnam insaniam vocat, Ambrosius ſacrilegium, Epiphanius blasphemiam eſse dicit, & Synodus quinta Generalis in allocutione ad Marcianum Augustum Mariæ virginitatem ante partum, in partu, & post partum interminabilem dixit.

Dices. Sæpius in Evangelio, Christi fratres commemorantur, Ergo Maria alios præter Christum filios habuit.

Resp: Ex consvetudine Scripturarum, qui propinqui ſunt, & consangvinei, fratres vocantur. Sic Abraham nepoti ſuo dicebat: *Nos fratres ſumus.* Fratres igitur Christi, consangvinei ejus ſunt.

Quæres 5to. Utrùm Christus verè in carne humana dolores, cruciatusqué paſsus fuerit?

Resp: Christus in carne humana dolores, cruciatusqué verè paſsus est. Isaias enim Christum prænuntians cap: 1mo sic de illo propheticè inquit: *A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo ſanitas,* & cap: 53. vocat illum: *Virum dolorum, ſcientem infirmitatem,* & infra: *Verè langvores nostros Ipse tulit, & dolores nostros Ipse partavit.* Prophetia verò hæc in toto decursu Christi vitæ plùs, vel minùs impleta est, ac ſub finem mortis & cruciatuum horrore percuſsus, ſangvineo etiam ſudore perfusus est, ùt ſcribit S. Lucas cap: 22. *Factus in agonia prolixiùs orabat & factus est ſudor ejus ſicut guttæ ſangvinis decurrentis in terram.* Nullum certe majùs documentum afferri potest, Christum verè, & non apparenter tantummodo in ſua carne humana dolores cruciatusqué pertuliſse.

Quæres 6to. Utrùm triduo mortis Christi, Verbum Divinum nequé à corpore, nequé ab anima ipsius receſserit?

Resp: Certum est, triduo mortis Christi, Verbum Divinum nequé à corpore, nequé ab anima Ipsius receſsiſse. Enimvero in Symbolo confitemur Dei Filium Jesum Christum, mortuum, ſepultum fuiſse, atqué ipsum ad inferos descendiſse. Neceſse igitur fuit ut Verbum Divinum aut cum tota simul Christi humanitate conjunctum tunc fuerit: aut cum singulis illius partibus copulatum, alias si

si vel ab anima, vel à corpore Christi ſeparatum fuiſset, Filius Dei, Jesus Christus non poterat dici ſepultus, ad inferos descendiſse, ſiquidem tunc, vel ſolum Christi corpus in ſepulchro jacuiſset, vel ſola anima Ipsius ad inferos descendiſset, quod cum dici nequeat, pro certò tenendum est, Verbum Divinum triduo mortis Christi; nec ab anima, nec à corpore Ipsius receſsiſse. Et id docent Sancti Patres. Sic Sanctus Augustinus Epist: 187. inquit: *Homo Christus illo die ſecùndum carnem, in ſepulchro, ſecùndum animam in inferno erat, Deus vero idem Ipse Christus ubique ſemper est*, & S. Leo Sermone 17mo de Paſsione ait: *In tantam unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec ſupplicio patuerit dirimi, nec morte disjungi*, ac tandem S. Joannes Damascenus libro 3tio de fide Orthodoxa cap: 27. hæc habet. *Quamvis Christus ùt homo mortem obierit, ſanctaqué ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit, Divinitas tamen à neutro, hoc est, nec ab anima, nec à corpore ſejuncta est*, atqué inde effatum prodiit omnibus celebrè: *Quod ſemel Verbum aſsumpsit, nunquam dimisit.*

CAPUT QUINTUM

De opere Redemptionis nostræ.

Quæres 1mo. In quo consistit opus Redemptionis nostræ?

Resp: Opus Redemptionis nostræ quod Christus perfecit, in eo positum est, quod humanum genus à statu miseriæ, in quem per peccatum Protoparentum nostrorum præcipitatum fuit, per paſsionem ac mortem ſuam Christus liberaverit, pro peccatis nostris Deo plenè ſatisfecerit, ab æterna damnatione, quam nostris delictis promeriti ſumus, redemerit, ſemetipsum pro nobis in Cruce ſacrificium obtulerit, atqué ita nos Deo reconciliavit, nobisqué ſalutem æternam, ac media ad illam consequendam opportuna promeritus sit. Hoc est opus redemptionis, ac reconciliationis nostræ, quod Christus perfecit, unde Redemptor, ac Salvator noster, Mediator inter Deum & homines est reipsa, & dicitur.

 Quæ-

Quæres 2do. Qui circa opus Redemptionis nostræ erraverunt?

Resp: Circa opus Redemptionis nostræ erraverunt præcipuè ex antiquis Hæreticis Pelagiani, qui peccatum originale inficiantes, docuerant Christum non ad liberandum à peccato genus humanum, in hunc mundum venisse, sed tantum ut viam salutis hominibus monstraret, partim sanctissimam doctrinam prædicando, partim præstantissimis virtutum exemplis præeundo.

Doctrinam Pelagianorum, sæculo 16to resuscitârunt Sociniani, quare asserebant Christum pro peccatis nequé satisfecisse, nequé ut satisfaceret opus fuisse. Satisfactionem tamen Christi quamdam impropriam, ac metaphoricam admittebant, quæ in eo tota posita est, quod ea adimpleverit, quæ à Deo Patre ad procurandam nostram salutem, ipsi imposita fuerant, quamvis satisfactioni veræ, imparia prorsus essent, quare affirmabant Christum gratuitam peccatorum nostrorum condonationem nobis obtinuisse, non autem quod soluto prætio pro peccatis nostris Deo satisfecerit, unde illum Redemptorem, Salvatorem dicunt consilio, exemplo, non autem opere, ac soluto prætio.

A fide quoqué Orthodoxa non minus illi deviârunt, qui universalitatem Redemptionis inficiati sunt, docentes Christum non pro aliis, quam pro prædestinatis, & electis redimendis sangvinem suum profudisse. Hujus erroris primus author communi sententia dicitur Goteschalcus Monachus, qui medio sæculo 9no in Gallia vixit. Sed hunc errorem, Jansenius, ejusqué Sectatores amplexati sunt. Famosa est hanc in rem sequens Jansenii propositio. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sangvinem fudisse:* quæ à Romanis Pontificibus damnata fuit, *tamquam falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eô sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans, & hæretica.*

Errores Pelagianorum, Jansenistarum, atquè etiam Socinianorum, multi ex Calvinistis, & Lutheranis adoptârunt, nequé multum ab illis distant ij, qui docent Christi satisfactionem à Deo Patre acceptatam fuisse, non propter inhærentem valorem, ac dignitatem, sed ex Divina acceptatione imperfectæ præstationis pro perfecta.

AR-

ARTICULUS Imus

De Christi ſatisfactione pro peccatis nostris præstita.

Quæres 1mo. Quid, & quotuplex est ſatisfactio?

Resp: Satisfactio est exsolutio prætij pro contracto debito, quando nimirum ad tollendum debitum, quidpiam datur, aut aliquid præstatur. Duplex est ſatisfactio, alia propria & condigna, cum exsolvitur tantum, quantum ſecundum strictæ justitiæ apices, ad tollendum debitum neceſse est, alia vero impropria, & metaphorica, cum per acceptationem partis læsæ, aut aliquid debíto minimè correspondens in ſatisfactionem acceptatur, aut prorsus gratuito, sinè ulla præstatione debitum remittitur. Est etiam ſatisfactio æquivalens, & ſuperabundans: Æquivalens illa est quæ debito strictè æquivalet, illiqué æquiparatur. Superabundans quæ debitum excedit, & ſuperat.

Quæres 2do. Utrùm ſatisfactione, pro peccatis nostris Deo præstanda, opus fuerit?

Resp: Satisfactione, pro peccatis nostris Deo præstanda, omnino opus fuit. Enimvero naturam peccati ſpectando, patet illud reatum pœnæ inducere, ſeu neceſsitatem perferendi pœnam, qua fit, ut Deo aliquid pro peccatis debeamus, ſcilicet perpeſsionem pœnarum: pro commiſsis peccatis infligendarum, unde peccatum habet rationem debiti, & peccator Dei debitor est. Cum præterea peccato Deus veré offendatur, iterum peccatum habet rationem offensæ, sive injuriæ Deo illatæ, & peccator est offensor, Deus offensus. Hinc Deus peccata aversatur, eaqué impunita non relinquit, ſcilicet non ſolum abominationem, & aversionem maximam adversus omnem impietatem exerit, verum etiam zelum, & vindictam ostendit, atquê peccatores pœnis prosequitur. Et id docemur innumeris Sacræ Scripturæ testimoniis, & exemplis peccatorum, qui etiam pœnitentes, à Deo puniti ſunt, atquê meritò. Nisi enim Deus peccatores, quibus toties pœnas comminatur, reipsa puniret, nec verax, nec constans, nec Zelotes adversus malum foret, imo nec justus, atquè tunc justitia punitiva eſset titulus sinè re, legumqué Divinarum auctoritas ſarta, tectaqué minimê remaneret. Peccatores igitur, aut Deo peccatis offenso pœnas dare debent, aut aliquid præstare, quo debitum ac offensa injuriaque Deo illata tollatur, resarciaturqué, ſeu Deo offenso ſatisfacere tenentur. Satis-

tisfactione ergo pro peccatis nostris Deo præstanda omnino opus fuit.

Quæres 3tio. Satisfactio pro peccatis nostris Deo præstanda, an ab ipso Christo præstari debuit?

Resp: Satisfactio condigna, & æquivalens pro peccatis nostris Deo præstanda, ab ipso Christo præstari debuit. Enimvero ut ſatisfactio pro peccatis nostris Deo præstanda, foret condigna, atqué æquivalens, neceſse fuit, ut tanti eſset meriti ac valoris, quanti demeriti fuit offensa, & gravitatis contractum debitum. Porro ſatisfactio cujuscunqué alterius, præter Christum, hominis, qui quibuscunqué tandem donis cælestibus instructus sit, ſemper purus remanebit homo, nunquam tanti meriti eſse poterit, quanti demeriti offensa, injuriaqué Deo peccatis illata, nequé illius opera, perpaſsionesqué tanti valoris, quantæ gravitatis debita peccatis cóntracta. Namqué offensa, ac injuria Deo illata, ac per illam contractum debitum, gravitatem contrahit, ex infinita Dei Majestate, quæ læditur, contra vero valor operis ſatisfactorij æstimatur ex ipsa Persona ſatisfaciente. Cum itaqué nulla actio omni ſensu finita, qualis eſset puri hominis, attingere, & multò minus plené adæquare potuerit offensam Dei infinitam, nequé debito per ipsam contracto æquivalere. Evidens est, ſatisfactionem condignam, & æquivalentem, Deo pro peccatis nostris præstandam, à ſolo Christo, qui verus Deus, & verus homo est, præstari potuiſse.

Et id docent Sancti Patres, S. Basilius Homil: in Psalmum 48. sic inquit: *Nequé fratrem in redemptionem quære, ſed aliquem qui tuam excedat naturam, nequé hominem nudum, ſed hominem Deum, Jesum Christum, qui ſolus pro omnibus nobis; Deo dare potest placationem.* S. Cyrillus Alexandr: Epist: 1ma ad Valerianum Episcopum ait: *Quo pacto unus pro omnibus prætium exsolveret, si illa paſsio puri cujuspiam hominis fuiſse putatur.* Tandem S. Leo Sermone de Nativitate hæc habet: *Nisi eſset Deus, non offerret remedium, nisi eſset homo, non præberet exemplum.* Idem docent & alij Patres.

Quæres 4to. Utrum Christus pœnas peccatis nostris debitas veré in ſe ſuscipiens, debita nostrorum peccatorum, persolvit, pretium ſangvinis ſui Deo Patri pro nobis offerendo?

Resp: Christus pænas peccatis nostris debitas verè in ſe ſuscepit, debita peccatorum ipse persolvit, pretium ſangvinis ſui Deo Patri pro nobis offerendo. *Probatur.* Id enim

enim longe ante prædixerat Isaias cap: 53, ubi de Christo Mesſia dicitur: *Vir dolorum. qui vere langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter ſcelera nostra, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Atquè hanc prædictionem in Christo Jesu adimpletam fuiſse docet S. Apostolus Petrus in ſua 1ma Epist: cap: 2do dicens: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore ſanati ſumus.* Christus itaqué Crucis ſupplicium pro nobis ſustinendo, pænas peccatorum nostrorum luebat, ut à peccatorum tyrannide liberati, virtuti deinceps ſerviamus. Et certe qui propter iniquitates ac ſcelera nostra vulneratus, attritus est, qui animam ſuam pro peccato posuit, qui peccata nostra tulit, in quo Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, quem propter ſcelus populi ſui percuſsit, ille pænas peccatis nostris debitas verê in ſe ſuscepit, ac debita per ipsa contracta persolvit. Sed Christus juxta allegatum Isaiæ vaticinium propter iniquitates ac ſcelera nostra vulneratus, & attritus est, animam ſuam pro peccato nostro posuit, peccata nostra tulit, in ipso Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, propter ſcelus populi ſui percuſsit illum. Ergo Christus pænas peccatis nostris debitas verè in ſe ſuscepit, ac debita per ipsa contracta pro nobis exsolvit. Et quidem id præstitit pretium ſangvinis ſui Deo Patri pro nobis offerendo, quemadmodum luculenter id docent Apostoli. S. Paulus in Epist: 1ma ad Corinth: cap: 6to sic inquit: *Empti estis pretio magno*, certè non alio quam ſangvine Christi, unde S. Petrus Epist: 1ma cap: 1mo ait: *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, ſed pretioso ſangvine quasi Agni immaculati Christi.* Ad ſolvenda itaquè peccatorum nostrorum debita, Christus verum ſangvinis ſui pretium Deo Patri obtulit. Acquisitio siquidem, quæ fit per emptionem non fit absqué ſolutione veri pretij, & res auro, aut argento empta, vero pretio empta dicitur. Igitur cum & empti pretio magno, & ſangvine Christi redempti dicamur, eô forè modô quô res venalis auro, aut argento emi ſolet, ſangvine ergo Christi tamquam vero pretio empti, ac redempti ſumus, quare & Apostolus Paulus in Epist: ad Epheseos cap: 1mo de Christo ſcribit: *In quo habemus redemptionem per ſangvinem ejus, remiſsionem peccatorum.*

Obijcies 1mo. Per langvores, quorum meminit Isaias, intelliguntur morbi corporales, non peccata, ut patet ex

Math:

Math: cap: 8vo, ubi vaticinium istius Prophetæ tunc in Christo impletum eſse dicitur, quando ægros ſanabat, & varios morbos curabat. *2do.* Christus peccatorum pænas eo ſensu pertuliſse dicitur, quod vitâ, & doctrinâ ſua mores hominum emendaverit. *3tio.* Repugnat justitiæ Divinæ punire innocentem, eidemqué peccata aliena imputare. *4to.* Pænæ peccatorum ſunt æternæ, quas Christus non ſustinuit.

Resp: ad 1mum. Ex peccatis morbos derivari, ipsi Judæi persvasum habuerunt, unde Joan: cap: 9no Christum interrogant Discipuli: *Rabbi quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur.* S. Mathæus Judæorum opinioni ſese accommodans, Christum Meſsiam eſse inde quoqué ostendere voluit, quod morbos etiam quæ peccatorum consectaria ſunt, ac consequenter & ipsa peccata tollat. Atqué hoc modo ipse Christus probavit ſe habere potestatem dimittendi peccata postquam enim Math: cap. 9no Paralytico dimisiſset peccata, Judæis ob id male cogitantibus, dixit: *Ut ſciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, conversus ad paralyticum dixit, *ſurge, tolle lectum tuum, & vade.* Præterea exploratum est, unum eundemqué Scripturæ Sacræ textum duplicem aliquando habere ſensum proût etiam & verba Isaiæ de Christo dicentis: *Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*: duplici ſensu accipi poſsunt, per ipsa namqué & indicatur Christum verè, atqué in ſeipso pro peccatis nostris, langvores, ac dolores, quibus nos ſabjacemus, portâſse, unde illum appellat Propheta: *Despectum, virum dolorum, ſcientem infirmitatem, quasi leprosum*, & prædicitur, quod ipse virtute ſuâ Divina, infirmitates, atqué ægrotationes ab hominibus ſublaturus sit, malè habentes curando, cæcis visum, ſurdis auditum, mutis loquellam restituendo, prôut jam aliàs capite 35. idem Propheta prænuntiavit, atqué ſecundùm hunc posteriorem ſensum S. Mathæus cap: 8vo verba Isaiæ allegavit verum per hoc, priorem ſensum illis non abnegavit, ambo enim & ſecúm compatibiles ſunt, & verbis Prophetæ maximè cohærent.

Ad 2dum. Istiusmodi expositio aperté Scripturæ Sacræ repugnat. Non enim quomodolibet portâſse peccata nostra Christus dicitur, ſed quia pro ipsis attritus ac vulneratus est, quia illa portavit in corpore ſuo ſuper lignum, ſcilicet patiendo, moriendo in Cruce pro peccatis totius mundi. Non ergo verbo tantummodo & doctrinâ Christus

pec-

peccata nostra portavit, ſed re, & opere, langvores, dolores, mortem ipsam ſustinens, unde inquit Apostolus Petrus Epist: 1ma cap: 3tio. *Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.*

Ad 3tium. Christo, ſuper quem Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, nulla illata est injuria, siquidem ipse vitæ ſuæ arbiter, liberè pro peccatis nostris mortem ſubiit, peccata nostra ſponté ſuscepit, illaqué ipse exsolvere voluit, oblatus ſcilicet, quia ipse voluit, à ſeipso in mortem animam ſuam tradidit.

Ad 4tum. Non oportebat, ut Christus pænas æternas ſustineret, quia pænæ, quas ipse, utpotè homo-Deus ſustinuit, propter dignitatem personæ ipsius, longè majoris pretij fuerint, quam fuerint pænæ peccatis nostris debitæ.

Quæres 5to. An ergo Christus verè pro nobis ſatisfecit?

Resp: Christus verè pro nobis Deo Patri ſatisfecit. Enimverò Christus pænas peccatis nostris debitas in ſe ſuscepit, atqué exsolvit. Ergo pro nobis verè ſatisfecit. Et verò *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Ad Galatas cap: 3tio. Maledictionem ſcilicet sive punitionem peccatis debitam in ſe ſuscepit, & pendens in ligno exsolvit. *Pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis.* 1ma Petri cap: 3tio. Tandem Christus dicitur, *dedisse ſemetipsum propitiationem pro peccatis nostris.* Ad Hebræos cap: 9no. Sed qui maledictionem peccatis nostris debitam in ſe ſuscepit, ac exsolvit, qui pro peccatis nostris mortuus est, qui ſemetipsum dedit propitiationem pro peccatis nostris, ille verè pro nobis ſatisfecit. Ergo Christus verè pro nobis ſatisfecit, & non alii certè, nisi Deo Patri, cujus debitores eramus.

Objicies 1mo. Deus gratis dimittit peccata, & gratis justificat, dicente Apostolo ad Rom: cap: 3tio. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* 2do. Si Christus ſatisfecit pro peccatis nostris, cur homines nihilominus ſatisfacere pro peccatis obligantur.

Resp: ad 1mum. Gratis nobis Deus peccata dimittit, quia pro illis plenè Christus ſatisfecit, & id luculentiſsimè patet ex toto contextu verborum Apostoli: *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in ſangvine ipsius ad ostensionem justitiæ ſuæ propter redemptionem delictorum.* Quia ergo Christus plenè, ac per-

perfectè, ad ostensionem etiam justitiæ pro nobis ſatisfecit, & nonnisi ex meritis ſatisfactionis ab ipso præstitæ, ipsi justificamur, & remiſsionem peccatorum consequimur, ideo gratis justificari dicimur.

Ad 2dum. Christus quidem perfectè pro nobis ſatisfecit, atqué ſub hoc respectu remiſsio peccatorum gratuitò nobis conceditur, ſed ut hujus gratuitæ remiſsionis participes reddamur, & ſatisfactio Christi nobis prosit, ex parte nostra, bona opera, quæ nostra ſatisfactio ſunt, intervenire debent. Hinc & Apostolus Paulus in Epist: ad Coloſs: cap: 1mo dicebat: *Adimpleo ea quæ desunt paſsionum Christi in carne mea.* Scilicet quia licét Christus omne pretium pro peccatis nostris ſolverit, ejus tamen merita, sic providè ordinante Deo, nobis non applicantur nisi per bona nostra opera.

Quæres 6to. Utrùm ſatisfactio Christi pro peccatis nostris præstita, fuerit æquivalens, & ſuperabundans?

Resp: Satisfactio pro peccatis nostris à Christo præstita & æquivalens, & ſuperabundans fuit. Enimverò pretium & valor actionis, aut paſsionis æstimari debet ex dignitate personæ agentis, aut patientis. Cum itaqué dignitas personæ Christi pro nobis ſatisfacientis omnem excedat modum, ac omnem ſuperet gradum, fuit enim verus Deus & homo, pretium igitur ac valor actionum, ac perpeſsionum, quibus ille pro nobis ſatisfecit omnem ſuperat modum, omnem excedit gradum. Ergo ſatisfactio Christi pro peccatis nostris præstita, non ſolum æquivalens ſed & ſuperabundans fuit. Et verò de Christo sic loquitur Apostolus ad Romanos cap: 5to. *Non ſicut delictum ita & donum, si enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis, Jesu Christi in plures abundavit. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Hic Apostolus cum Adæ delicto confert beneficium ac donum Redemptionis, atqué reparationis nostræ, quod Christus pro peccatis nostris ſatisfaciendo, nobis præstitit, docetqué illud abundantiùs eſse delicto Adæ, ac multò plùs, abundantiùsqué nos ex Christo, ipsiusqué redemptione, ſatisfactionequé accipere gratiæ, donationis atquè justitiæ, quam ex Adami delicto in nos promanaverit detrimenti damnationisqué. Ac tandem concludit: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Satisfactio igitur Christi pro peccatis nostris præsti-

ta,

ta, non ſolùm æquivalens, ſed & ſuperabundans fuit. Unde S. Joannes Chrysostomus in caput 5tum Epistolæ ad Romanos ſcribens, sic inquit: *Multò plura quam debeamus Christus pro nobis ſolvit, tantoquè plûra, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immensum.* Quare ſententia ab omnibus Catholicis recepta est, vel minimam guttam ſangvinis Christi pro redimendo toto genere humano ſufficere potuiſse.

ARTICULUS 3tius

De nostra Redemptione, atquè cum Deo reconciliatione.

Quæres 1mo. Quid ſit, & in quo poſita est nostra Redemptio, atquè cum Deo per Christum facta reconciliatio?

Resp: Per peccatum non ſolum contrahitur à nobis reatus pænæ, ſed præprimis reatus culpæ. Videlicet cum Deum peccatis nostris, maximè gravioribus, offendimus, Divinam per hoc indignationem incurrimus, quô fit ut jam non simus amici Dei, ſed facti inimici, æternæ damnationis rei, ab omni jure felicitatis nostræ consequendæ excidimus. In tam deplorandum statum, non ſolùm universum genus humanum per Adæ peccatum miserabilitèr prolapsum fuit, ſed etiam majoribus delictis in illum, ipsi infeliciter detradimur. Porrò ab hac deploranda ſorte ut liberaretur genus humanum, neceſse erat, ut expiatis peccatis, ira, indignatioquè Divina placabilis redderetur, atquè sic in gratiam, amicitiamquè Dei restitutum, cum ipso reconciliaretur, ſpemquè felicitatis consequendæ resumeret. Totum hoc Christum præstitiſse, ac perfeciſse confitemur, atquè credimus, nos nonnisi Ipsius meritis à peccatis justificari, ex inimicis amicos Dei fieri, ac felicitatis æternæ hæredes constitui. Et in hoc nostra posita est Redemptio, atquè cum Deo humani generis reconciliatio, quod ſcilicèt Christus peccata nostra expiaverit, ac ſustulerit, iram, indignationemquè Dei placaverit, atquè deperditum jus ad felicitatem æternam consequendam nobis restituerit.

Quæres 2do. Utrùm Christus verè nos redemit, peccata nostra expiavit, ac Deo Patri nos reconciliavit?

Resp: Christus verè nos redemit, peccata nostra expiavit, atquè Deo Patri nos reconciliavit. Et id Scriptu-

ræ

ræ Sacræ edocent nos. Et quidem 1mo. Christus nos verè redemit. S Paulus Apostolus ad Epheseos cap: 1mo sic inquit de Christo: *In quo habemus redemptionem per ſangvinem ejus, remiſsionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus,* & ad Timoth: Epist: 1ma cap: 2do. *Dedit ſemetipsum redemptionem pro omnibus.* Ipse quoqué Christus aſserit ſe ideô in mundum veniſse ut animam ſuam daret in redemptionem hominum. *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Math: cap: 20. Et vero 1ma Petri cap: 1mo non corruptibilibus aurô vel argentô redempti ſumus, ſed pretioso ſangvine Christi. Ad Romanos cap: 4to. *Christus traditus est propter delicta nostra.* Ad Galatas cap: 1mo. *Dedit ſemetipsum pro peccatis nostris, ut nos eriperet de ſæculo nequam* de statu ſcilicet corruptionis ac miseriæ nostræ. Ad Epheseos cap: 5to. *tradidit ſemetipsum pro nobis oblationem, & hostiam in odorem ſvavitatis.* Verè igitur Christus pretio ſangvinis ſui, ſeipsum pro peccatis nostris dando, in oblationem & hostiam tradendo, nos à peccatis liberavit, à statu corruptionis, ac miseriæ nostræ eripuit, ab æterna damnatione redemit, quemadmodum docet Paulus Apostolus Epistola ad Colos: cap: 1mo. *delens quod adversùs nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.*

2do. Christus verè peccata nostra expiavit. Et id etiam constat ex Scripturis Sacris. Epist: 1ma Joannis cap: 2do de Christo dicitur: *Ipsé est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, ſed pro totius mundi.* Cap: 3tio. *Ille apparuit ut peccata nostra tolleret, ut diſsolvat opera diaboli.* Et cap: 4to idem Apostolus docet, quia Deus misit Filium ſuum unigenitum, *ut vivamus per eum, propitiationem pro peccatis nostris.* Quare capite 1mo ejusdem Epistolæ affirmat, *quia ſangvis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato:* quia ſcilicet, ùt docet Apostolus Paulus in Epistola ad Ephesios, per ſangvinem Christi habemus remiſsionem peccatorum. Sed luculentiùs hanc veritatem tradit idem Apostolus in Epistola ad Hebræos cap: 9no, ubi sic inquit: *Christus aſsistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium ſangvinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. Si enim ſangvis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatus ſanctificat ad emundationem carnis, quantô magis ſangvis Christi, qui per Spiritum Sanctum ſemetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam no-*

nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Scilicet, Christus fuit verus Pontifex, ac Sacerdos, seipsum, ac sangvinem suum Deo Patri obtulit in expiationem peccatorum nostrorum, per sangvinem enim suum in sancta introivit, ut pér Crucis Sacrificium æternam nobis adinveniret redemptionem, immaculatum semetipsum, tamquam victimam obtulit, quare etiam sangvis ipsius emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, longè plùs ac magis, quàm sangvis hircorum aut cinis vitulæ inquinatus, sanctificabat ad emundationem carnis. Verè igitur Christus semetipsum in Cruce Deo Patri offerens, per sangvinem suum peccata nostra expiavit.

3tio. Tandem Deo Patri nos reconciliavit. Et id quoquè expressis verbis docet Paulus Apostolus Epist: ad Romanos cap: 5to dicens: *Reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus*, seu ipse Deus per Christum sibi universum genus humanum reconciliavit, ùt inquit Apostolus Epist: 2da ad Corinth: cap: 5to dicens: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Meritò itaquè ait idem Apost: Epist: ad Colos: cap: 1mo. *per sangvinem crucis sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt* pacificata fuisse quia scilicèt Christus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Ad Hebræos cap: 10mo.

Quæres 3tio.] Utrùm Christus veré nobis promeruit vitam æternam, ac remedia ad illam consequendam opportuna?

Resp: Christus verè nobis promeruit vitam æternam ac remedia ad illam consequendam opportuna. *Probatur.* Ex verbis Apostoli ad Romanos cap: 3tio dicentis: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Omnes videlicet peccatores sunt, & indigent misericordia Dei, consequuntur autem justificationem & alia Divina beneficia favore & gratia Dei, propter redemptionem, quæ est per Christum Jesum, misericordiam ergo Dei quâ salvamur, & justificationem, quâ à peccatis mundamur, Christus nobis promeruit. Et cap: 6to idem Apostolus inquit: *Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro:* scilicèt vitam æternam consequimur nonnisi gratiâ Dei quam nobis Christus promeruit. Et verò salus nostra fundatur in vocatione, justificatione, prædestinatione, atqué in gratiarum donis, sine quibus nihil salutare perficere possumus. Porrò hæc omnia nobis Christus promeruit. *1mo.* quidem vocationem dicente Apo-

Apostolo 2da ad Timoth: cap: 1mo. *Deus nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta; quæ data est nobis in Christo Jesu.* *2do.* Justificationem, docente Joanne Apostolo Epist: 1ma cap: 1mo. *Sangvis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*, & Paulus ad Roman cap: 3tio ait: *Justificati per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* *3tio.* Prædestinationem ùt inquit Paulus ad Ephesios cap: 1mo. Deus *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum ſecundùm propoſitum voluntatis.* *4to.* Dona gratiæ, quia ùt ait Apostolus: *Lex per Moysem data est, gratia per Jesum Christum*, & ipse dixerat Christus Joan: cap: 15to. *qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Meritò ergo pronuntiavit de Christo Apostolus Paulus Epist: ad Hæbræos cap: 5to. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa ſalutis æternæ*, quia ſcilicèt æternam ſalutem, ac media ad illam conſequendam opportuna nobis promeruit.

Quæres 4to. Utrùm Christus pro omnibus omninò hominibus mortuus fuerit, ac omnes omninò redemerit?

Resp: Christus non pro ſolis Prædestinatis, ſed pro omnibus omninò hominibus mortuus est, omnesqué redemit. Id constat ex Sacris Scripturis. Apostolus Paulus 2da ad Corinth: cap: 5to sic inquit de Christo: *Unus pro omnibus mortuus est. Pro omnibus mortuus est Christus*, & 1ma ad Timoth: cap: 2do. *Dedit ſemetipsum redemptionem pro omnibus.* Joannis 1ma cap: 2do de Christo dicitur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi* quare generatim, & sinè limitatione vocatur *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.*

Objicies 1mo. Christus dicitur mortuus pro ovibus ſuis. Joannis cap: 10. ut populum ſuum ſalvet. Math: cap: 1mo. Item dicitur Math: cap: 20. Animam ponere pro multis. Capite 26to. Sangvinem effundere pro multis. Ergo Christus pro Prædestinatis tantùm mortuus est. *2do.* Si Christus pro omnibus mortuus est, debent omnes ſalvari, quia aliàs Deus, aut non poſset, aut non vellet omnes ſalvare, atqué Christus frustra pro hominibus quam plurimis mortuus fuiſset, quæ omnia absurda ſunt.

Resp: ad 1mum. Dum dicitur de Christo quod sit propitiatio *pro peccatis totius mundi* evidenter innuitur Christum non pro ſolis Prædestinatis, ſed pro toto genere humano mortuum fuiſse. Cum itaqué dicitur Christus mor-

tuus

tuus pro ovibus ſuis, pro populo ſuo, declaratur ſpecialis amor ac benevolentia Christi erga electos, inde tamen non ſequitur ipsum reliquis redemptionis beneficium denegâſse, maximè cum nullibi in Sacra Scriptura legatur Christum ſolùm pro electis mortuum fuiſse, nihilqué ponatur, per quod ceteri homines à fructu paſsionis illius excludantur, Quod autem dicitur Christum animam dediſse, & ſangvinem fudiſse pro multis, ſignificationem hujus vocis optimè explicat Apostolus ad Romanos cap: 5to, ubi quos in priori versu dixerat omnes, in altero multos appellat, manifestum igitur argumentum est vocem *multos* tantumdem valere ac *omnes* cum in aliis Scripturæ locis Christus dicatur pro omnibus mortuus. Cur verò in nonnullis Scripturæ locis, ubi de morte, & Redemptione Christi ſermo est, vocabulum *multi* adhibeatur; ratio videtur eſse, ut indicetur, magnum eſse eorum numerum qui reipsa ſalvantur, & ut effectus mortis denotetur respectu eorum, quibus reipsa ad ſalutem applicatur, qui non omnes, ſed multi ſunt.

Ad 2dum. Per mortem Christi omnibus est patefacta via ad æternam ſalutem, nisi verò sibi applicent Christi merita, non ſalvantur, non idêo: quasi Deus aut non poſset, aut non vellet omnes ſalvare, ſed quia non omnes merita Christi sibi applicant, & multorum perditio paſsionem Christi inutilem non facit, cum etiam respectu reproborum sit argumentum evidens amoris & voluntatis ſeriæ ſolvandi omnes.

Quæres 6to. Quibus titulis inſignitus est Christus?

Resp: Christus multis insignitus est titulis. *1mo* enim est: *Mediator*. Enimverò Christus pænas peccatis nostris debitas in ſe ſuscepit, illas exsolvit, pretium ſangvinis ſui Deo Patri pro nobis obtulit, ac verè pro peccatis ſatisfecit, cum Deo genus humanum reconciliavit. Ergo verus est Mediator. Unde & Apostolus 1ma ad Timoth: cap: 5to inquit: *Unus Deus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem ſemetipsum pro nobis.* 2do est *Redemptor & Salvator* quia ſcilicet pro nobis mortuus est, nos verè redemit, nobis ſalutem æternam, atqué media ad illam consequendam opportuna promeruit. Hinc toties Apostolus Paulus in ſuis Epistolis, Christum Dominum Salvatorem appellat. 3tio est *Sacerdos & Advocatus* noster. *Sacerdos* quidem. Ut enim inquit Apostolus ad Ephesios cap: 5to. Christus, *tradidit ſemetipsum pro nobis oblationem, & hostiam in odorem ſuavita-*

vitatis, & ad Hebræos cap: 9no inquit: *per proprium ſanguinem introivit in ſancta, ſemetipsum obtulit immaculatum Deo.* Cum itaqué Christus verum pro ſalute nostra obtulerit Sacrificium verus Sacerdos est, hinc toties etiam in Scripturis & veteris & novi Testamenti Sacerdos, & Pontifex cognominatur, atqué non ſolûm Veteris Testamenti Sacerdotibus comparatur, ſed & præfertur, & multùm anteponitur. Non est veró Christi Sacerdotium temporale, ſed æternum est. In Veteri siquidem Testamento, ùt inquit Apostolus ad Hebr: cap: 7mo. *plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quód morte prohiberentur permanere. Hic veró eó quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, quia ſcilicet ad dexteram Dei in cælis ſedens, pretium ſemel â ſe oblati Sacrificij, Deo Patri continuò pro nobis repræsentat, ùt ibidem docet Paulus cap: 6to dicens: *Præcursor pro nobis introivit Jesus ſecundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum:* ex quo constat Christum non ſolûm Sacerdotem eſse, quia Sacrificio Crucis peccata nostra expiavit, nosqué Deo Patri reconciliavit, ſed etiam ipsum eſse *Advocatum* nostrum apud Deum, quia ſcilicet, ùt docet Apostolus ad Romanos cap: 8vo. *Jesus Christus qui est ad dexteram Dei interpellat pro nobis*: ſemper namqué in cælis vivens ad interpellandum pro nobis, ſalvare in perpetuum potest accedentes per ſemetipsum ad Deum. Hebræorum capite 7mo Quare Joannes Apostolus Epist: 1ma cap: 2do inquit: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*



TRA-

TRACTATUS

DE

ADORATIONE, INVOCATIONE, CULTUQUE RELIGIOSO, CHRISTO, SANCTIS, IMAGINIBUS, AC RELIQUIIS EXHIBENDO.

CAPUT PRIMUM

De Christi Adoratione, ac Mariæ Matris ejus veneratione, dequé contrariis erroribus.

**

ARTICULUS 1mus

Notiones præviæ Adorationis, cultûsqué religiosì explanantur, ac errores recensentur.

Quæres 1mo. Quid ſit Adoratio, & quotuplex?

Resp: Adorationis nomine generatim significatur quilibet cultus, qui alicui exhibetur propter ejus dignitatem, & excellentiam. Undé Adoratio in Scripturis Sacris, rebus valde diversis accomodatur, ſemper tamen Deo maximè propriè tribuitur, quapropter varia Adorationis significatio determinari debet ex re cui tribuitur, ac exhibetur. Porrò adoratio generatim dividitur in *Politicam*, ſeu *Civilem*, & *Sacram*, ſeu *Religiosam*. Adoratio *Politica*, ſeu *Civilis* impenditur propter aliquam civilem, & naturalem præstantiam, sive excellentiam, talis exhibetur Regibus, Principibus &c. *Religiosa* ea est, quæ motivo Religionis, propter aliquam ſupernaturalem excellentiam præstatur.

Quæres 2do. Quæ ſunt in Adoratione distingvenda?

Resp: In omni Adoratione duplex actus distingvi debet: *Internus*, alter *Externus*. Actus *Internus* includit

actum

actum mentis præstantiam rei adoratæ recognoscensis, & se illi submittentis, nequé enim sinè hac interiori submissione vera potest esse adoratio. *Actus Externus* est quodcunquè signum, quô exteriùs protestamur, ac manifestare adnitimur interiorem & præstantiæ rei adoratæ recognitionem ac nostram erga illam submissionem, Hæc autem signa externa varia sunt, pro varia Populorum, Temporum, ac Ecclesiarum disciplina. Alii quippe copertô capite adorant, ût Orientales, alii nudô, & inflexo ût Occidentales, alij recti, alij humi procumbentes, alij extensis manibus, alij complicatis orant.

Quæres 3tio. Quotuplex est cultus religiosus?

Resp: Cultus religiosi triplex est species, scilicet *Latriæ*, *Duliæ*, & *Hyperduliæ*. Cultus *Latriæ* uni, & soli Deo debetur, *Duliæ* exhibetur Creaturis maximè Sanctis. *Hyperduliæ* B. V. Mariæ propter eximiam ejus supra ceteras creaturas dignitatem impenditur. Et hìc cultus hyperduliæ à cultu duliæ non specie differt, sed tantummodò gradu distat.

Dividitur etiam cultus religiosus in *Absolutum*, & *Relativum*. *Absolutus* est, qui in propia rei, quæ colitur, excellentia sistit, ac hæret; nec ulterius assurgit. Ita Deum absoluto, & quidem supremo seu Latriæ cultu adoramus. *Relativus* ille est, qui rei alicui exhibetur ob excellentiam non propriam, sed alterius quem repræsentat, & ad quem refertur.

Quæres 4to. Qui circa cultum religiosum à nobis exhibéndum errârunt?

Resp: *1mo* quidem, Christum non solum ût Deum, verùm etiam ut hominem Divino, ac supremo cultu adorandum esse negârunt, quicunqué veram in Christo utriusqué naturæ unionem inficiati sunt, velùti Nestoriani, Apolinaristæ. Verùm Catholici omnes unanimiter docent, humanitatem Christi, quæ Verbi Divino hypostaticè unita fuit, cultu Divino adorandam esse, de eo tantum disputatur, an adoratio hæc absoluta, an vero relativa dici debeat, & utrùm non aliùs insuper cultus hyperduliæ, ob eximias gratiæ dotes, Christo homini exhibendus sit.

2do. Circa cultum Sanctorum errârunt Eustachius Episcopus Sebastiensis anno 350, qui docuit nec honorandos, nec invocandos esse Sanctos. Illum secutus est Vigilantius anno 406, ex post Sæculo duodecimo Hæretici Waldenses, sæculo 14to Wiclefus, ac tandem sæculo 16to exorti Calvinus, ac Lutherus docuerunt Sanctos pro no-

bis

bis non intercedere, nec absqué ſacrilegio, ac ſuperſtitione invocari poſse, nequé colendos eſse, hos Calvini, ac Lutheri errores adoptârunt Sociniani.

Quæres 5to Qui circa cultum Sanctarum Reliquiarum erraverint?

Resp: Circa cultum Sanctarum Reliquiarum errârunt imprimis Judæi, & Samaritæ, qui ùt Scribit S. Hieronymus corpora mortuorum, pro immundis habentes, eô ipso eorum reliquias detestabantur. Pari modo Gentiles corpora, & oſsa SS. Martyrum cum oſsibus & corporibus pecorum malitiosè commiscebant, & ignibus cremabant. Sed ſæculo 4to cultum Sanctarum Reliquiarum impugnârunt Eunomius, Basilicus Martyrum ingredi detrectans, & eorum corpora comburenda eſse affirmans. Idem docuit Vigilantius a S. Hieronymo confutatus. Sæculo vero 8vo Imperator Constantinus Copronymus omnes SS. Reliquias ubiqué deleri juſsit. Sæculo 14to Wiclefistæ, & ſæculo 16to Calvinus, & Lutherus dogma catholicum, de cultu SS. Reliquiarum impugnârunt.

Quæres 6to. Quinam Sanctorum Imaginibus cultum abnegârunt?

Resp: Sanctorum Imaginibus omnem prorsùs cultum abnegárunt. Leo Isauricus Imperator, qui circa annum 720. à Judæis incitatus, omnes Imagines ab Ecclesia éjectas, comburi juſsit. Eundem errorem tenuit filius ejus Constantinus Copronymus, Leo Armenus Imperator, Michael Balbus, & Theophylus. Sæculo 14to Wiclefistæ, & Huſsitæ usum & venerationem Imaginum aspernebantur. Ac tandem ſæculo 16to Carolstadius, Zwinglius, Calvinus, Imagines è Templis eijciendas & comburendas eſse aſseruerunt. Lutherani Imaginum usum admittunt, ſed religiosum cultum illis denegant.

ARTICULUS 2dus

De Christi adoratione ac Mariæ Matris ejus veneratione.

Quæres 1mo. Christus ùt homo, ſeu humana Christi natura, quô cultu adoranda est?

Resp. Christus ùt homo, sive humanitas Christi Verbo Divino hypostaticè unita unô eôdemqué Latriæ cultu adorari debet, quô Verbi Divinitas. *Probatur 1mo* ex Scripturis Sacris S. Apostolus Paulus Epist: ad Philip: cap:

2do ait: *Christus factus est pro nobis obediens usquè ad mortem.... Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est ſuper omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Hic Apostolus loquitur de Christo ùt homine, quia Christus tantum ùt homo, obediens fieri potuit usqué ad mortem, & tamen ſub hac ratione ſpectatus, adorandus, ac colendus dicitur, cultu Divino, qui illi genuflexione à cælestibus, terrestribus & infernis exhibendus est, manifestum igitur est quod Christus etiam ut homo Divino honore colendus sit. Præterêa Scriptura Sacra in pluribus locis nulla facta distinctione inter naturam Divinam & humanam, Christum utràquê natura præditum, simpliciter adorandum prædicat. Mathæi cap: 2do ad Hebræos cap: 1mo, signanter verò Joannis cap: 5to ubi Christus de ſeipso sic loquitur: *Neque Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum.* Christus hic de ſeipso ùt homine loquitur, quia loquitur de ſe ùt Judice à Patre constituto, constitutus verò fuit Judex ùt homo, ut ibidem ipse dicit: *& potestatem dedit ei Judicium facere, quia Filius hominis est.* Porro ibidem docet Christus ſe eôdem modo honorificandum eſse ac Patrem cælestem, qui certè Divino honore glorificandus est. Ergò & Christus etiam ùt homo, quia & Filius hominis, & Filius Dei est, Divino honore glorificandus est.

2do. Ex Patribus. S. Athanasius Epist: ad Adolphum sic inquit: *Nos creaturam non adoramus, ſed Incarnatum Dei Verbum. Quamvis enim caro ipsa per ſe pars ſit creaturarum, tamen Dei facta est corpus. At neque corpus hujusmodi à verbo dividentes adoramus, nequè verbum adorare volentes, ipsum longè à carne ſejungimus.* Et S. Ambrosius in illa verba: *Adorate ſcabellum pedum ejus.* Psalmi 98vi sic ait: *Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi quam hodie quoquè in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorârunt.* Et id docent etiam Conciliorum definitiones, ſcilicet Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani 2di & Lateranensis 1mi, quod Canone 9no sic statuit: *Si quis non una adoratione Deum verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod ſanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema ſit.*

Dices. Soli Deo Divinus Latriæ cultus debetur. Porro

ro humanitas Christi non est Deus. Ergo illi cultus Latriæ non debetur.

Resp: Quamquam propriè dici nequeat, quod humanitas Christi Deus sit, quia duæ ſunt in Christo inconfusæ, ac inpermixtæ naturæ, ſed verè dicitur Homo est Deus, Deus est homo, quia ſcilicet una est in Christo Verbi Divini persona, duplex autem natura. Porro cultus quem Christo exhibemus personam ipsius respicit, ut utramqué afficiat naturam, & humanitatem Christi hic ſpectamus quatenùs cum Divinitate in unitate personæ Verbi conjuncta est, unde simul cum Verbo Divino eôdem adorationis cultu prosequendam eſse affirmamus, non vero illam consideramus proût ſejunctam à Verbo Divino, quis enim Catholicorum ignorat, humanitatem, in ſe nudè, & simpliciter ſpectatam adorare non debere. Quare S. Augustinus Serm: 59. de verbis Domini dixit: *Si hominem ſeparaveris à Deo, nequé illi credo, nequé illi ſervio.* Totum ergo motivum adorandi Christi humanitatem, est Divinitas, cui ipsa hypostaticê conjuncta est, quia ſcilicet Christus ùt homo cultu Latriæ ſoli Deo debito idêo adorandus est, quia humanitas ipsius intimè unita est Deitati, & persona Verbi Divini adoratur, cujus humana natura quasi pars est. Quare S. Joannes Damascenus Libro 3tio de fide Orthodoxa cap: 8vo sic inquit: *Adoratur caro Christi in incarnato verbo Deo, non propter ſeipsam, sed propter unitum ſecundum hypostasim Verbum Dei.*

Quæres 2do. Utrùm Crux Christi adoranda ſit?

Resp: Crux Christi, in qua ipse pependit, uti etiam quælibet alia Crucis figura honoranda est. Et quidem *1mo.* Quantum attinet ipsam Crucem in qua Christus pependit, hæc omnino honoranda est. Illa enim fuit veluti Ara, in qua ſemetipsum Christus obtulit Deo Patri in Sacrificium pro ſalute humani generis, cujus virtute expiata ſunt peccata nostra. Quare Apostolus Paulus in Epist: ad Galatas cap: 6to monet nos, ut in Cruce Christi gloriemur. *Mihi abſit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Et certè res quælibet ſacra, veneratione digna est. Porro si terra in qua stetit Angelus ſancta erat, ùt habemus Exodi cap: 3tio & Josue cap: 5to. Cur non magis Crux, cui affixus est Christus. Sane Sepulchrum in quo Christi corpus depositum jacuerat, Isaias futurum prædixit gloriosum, & reipsa ab omnibus, etiam Infidelibus ſummæ venerationi erat, pari modo & Crux, in qua Christus pependit, omni veneratione digna est, & reipsa etiam

ab omnibus fidelibus femper fumma devotione veneratur. Unde & S. Paulinus in Epist: 11ma ad Severum fcripsit, Crucem Domini Hierosolymis die magno Veneris quotannis ostensam fuifse, & ab Episcopo priùs, dein ab omni populo adoratam.

2do. Quælibet etiam Crucis figura adoranda est. Quælibet namqué Crucis figura, aut imago, repræsentat, & in memoriam nobis revocat Christi pafsionem, & hòc ipso veneratione digna est, atqué hæc veneratio antiquifsimæ Ecclesiæ praxi, ac consvetudini conformis est, unde Theodoretus Sermone 6to contra Græcos fcripsit: *Græci, & Romani, ac Barbari crucifixum profitentes Deum, crucisqué fignum venerantur.* Et Rusticus Diaconus contra Acephalos inquit: *Adoramus omnes crucem, & ipsum illum, cujus crux est.* Neutiquam ergo lignum crucis in fe consideratum adoramus, fed illum adòramus, qui in ligno Crucis pro nobis pependit. Unde de S. Helena, quæ Crucem Domini Hierosolymis repererat, fcripsit S. Ambrosius in Orat: de obitu Theodosij: *Invenit ergo titulum, Regem adoravit non lignum, adoravit illum, qui pependit in ligno,* & S. Hieronymus de Paula in ejus Epitaphio hæc habet: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Quare cum Ecclesia feria 6ta in majori Hebdomada canit: *Tuam crucem adoramus Domine,* & iterum: *Ecce lignum crucis, in quo falus mundi pependit, venite adoremus,* verba hæc non ad crucem, fed ad crucifixum referenda funt, ut fensus sit. Venite adoremus, & procidamus ante Christum cruci affixum, atqué ût Patres Synodi Attrebatensis contra Manichæos declarârunt: *prosternimur corpore ante crucem, mente ante Deum.*

Quæres 3tio. An consvetudo fignandi frontem figno crucis, laudabilis, atqué utilis fit?

Resp: Consvetudo signandi frontem signo crucis, laudabilis, atquè utilis est. Namquè per signum Crucis, illud in fronte, vel pectore efformando, Christi pafsionem in memoriam nobis revocamus, atqué pro ratione fidei, pietatis, & devotionis nostræ, multiplices inde fpirituales fructus reportamus, dæmones etiam pellendo, & morbos curando, unde Sancti Patres Lactantius, Gregorius Nasianzenus, Chrysostomus, Athanasius, & Augustinus Crucis venerationem, atqué illa frontem signandi consvetudinem, multis miraculis à Deo cohonestatam fuifse affirmant. Sane â primis Ecclesiæ fæculis hanc consvetudinem obtinuifse, testis est Tertulianus, libro de corona militis cap,

3tio

3tio ubi hæc habet: *ad omnem progressum, atqué promotum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocunqué nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus* similia scribit S. Augustinus Tractatu 11mo in Joannem.

Quæres 4to. Utrum B. V. Maria peculiari cultu honoranda sit?

Resp: B. V. Maria, ex quo est Mater Christi, peculiari cultu honoranda est. Enimverò excellentissimis gratiarum donis super omnem aliam Creaturam fuit à Deo exornata. Sanctissima fuit, & gratiâ plena. Spiritûs Sancti Sacrarium, & Verbi Divini habitaculum. Atqué hunc peculiarem cultum quôvis sæculo B. V. Mariæ fuisse tributum, testantur Sancti Patres. Epiphanius Hæresi 79na enumeratis variis Sanctis, subjungit: *Maria adhuc honoratior.* S. Athanasius Orat: 3tia contra Arianos Mariam dicit: *Honoratiorem Cherubin, Sanctiorem Seraphin, & nulla comparatione ceteris omnibus superius excellentibus gloriosiorem.* S. Ambrosius libro 2do de Virginit: inquit: *Quid nobiliùs Dei Matre, quid splendidiùs ea, quam splendor elegit, quid castiùs ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit.* S. Cyrillus Alexand: in Apologia ad Theodosium refert, Synodum Ephesinam congregatam fuisse in Ecclesia B. V. Mariæ dicata. Tandem Proclus Cizicenus in Homilia Constantinopoli in Ecclesia majori eô tempore habita, quô Nestorius fidem turbabat, sic inquit: *Virginea panegyris, frequensqué, ac celebris hic conventus festa hac luce linguam ad laudem provocat. Ecce enim & terra, & mare Virginem honorant, Sacra Virgo Maria in unum nos cogit.*

Quæres 5to. An non solùm adoranda, sed etiam invocanda sit B. V: Maria?

Resp: Quemadmodum peculiari modo B. V. Maria colenda, & honorificanda est, ita etiam singulariter invocanda est. Et id probant antiquissimæ Liturgiæ, in quibus B. V. Maria invocatur, exoratur, atqué expostulatur, ut pro nobis ad Deum intercedat. Quare S. Irenæus libro 4to adversùs Hæreses cap: 9no B. V. Mariam vocat: *Evæ advocatam*, & S. Gregorius Nasianzenus Orat: 18va refert B. V. Mariam suppliciter invocatam fuisse, ut suppetias ferret. Hæc sane probant, & cultum, & invocationem B. V. Mariæ antiquissimam in Ecclesia esse, cumqué illius recens institutio nullibi introducta legatur, rectè ab ipsis Apostolis repetitur.

Quod

Quod vero salutatione Angelica B. V. Mariam veneremur, non est quid repræhendant Hæretici. Nam prima verba: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus Tecum, benedicta Tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui* in Sacris Litteris reperiuntur, nulla ergo est ratio cur iisdem Virginem Mariam salutare non liceat. Deinde cum intercesſio B. V. Mariæ sit efficacior intercesſione cujuslibet Sancti, quia nullus Angelorum, & Sanctorum tantam habet apud Christum gratiam, nequé tam arcto cum ipso vinculo conjunctus est, ratio manifesta est, cur in salutatione Angelica modo addamus: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ.*

Quæres 6to. Utrûm Festorum, ac Confraternitatum in honorem B. V. Mariæ institutio licita ſit?

Resp: Festorum, ac Confraternitatum in honorem B. V. Mariæ institutio, & licita est, & religioni conveniens. Enimvero B. V. Mariam debito cultu honorare, ipsam invocare, & licitum est, & laudabile, ac religioni conveniens. Porrò & Festa, & confraternitates B. V. Mariæ non aliô fine institutæ ſunt, quàm ut B. V. Mariam honoremus, atquè invocemus. Ergo hæc Festorum, ac Confraternitatum institutio, & licita, & laudabilis, ac religioni nostræ omnino conveniens est. Quod vero aliqui irrepserint abusus ſaluberrimæ institutioni abeſse non debet, ſed ût tritum fert adagium: *Servetur usus, tollatur abusus*, atquê optimê quadrat, quod de conviviis cantatis Christianorum olim usitatis S. Augustinus libro 20. contra Faustum cap: 21. dixerat: *Aliud est, quod docemus, aliud quod ſustinemus, alia est disciplina Christianorum, alia luxuria vinulentorum, vel error infirmorum.*

CA-

CAPUT SECUNDUM

De cultu, & invocatione Sanctorum.

ARTICULUS 1mus.

De Invocatione Sanctorum.

Quæres 1mo. Utrùm Sancti in Cœlis degentes pro nobis apud Deum intercedant?

Resp: Sancti in Cælis degentes pro nobis apud Deum orant, & intercedunt. *Probatur id 1mo* ex Sacris Scripturis. Zachariæ cap: 1mo dicitur Angelus pro Juda, & Jerusalem orare: *Domine exercituum usquequò tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es.* Libro 2do Machabæorum cap: 15to, Onias Pontifex, & Jeremias Propheta visi sunt a Juda orare pro populo Israelitico & urbe Hierusalem. Apocalipsis quoquè cap: 5to legitur, viginti quatuor Seniores in cælo procidisse coram Throno Dei *habentes phialas aureas plenas adoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*, quia scilicet in Cælo offerunt Deo orationes in terra viventium, suis intercessionibus, & patrociniis eos adjuvando. *2do.* Ex unanimi Sanctorum Patrum sensu. Origenes Homil: 3tia in Cantica sic inquit: *Omnes Sancti qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc caritatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos præcibus suis, non erit inconveniens.* S. Cyprianus Epist: 60. ait: *Si quis isthinc nostrum prior Divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cessat oratio.* S. Hieronymus Libro contra Vigilantium hæc scribit: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constitûti possunt orare pro ceteris, quandò pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos.* Atquè hæc fuit & in Veteri Testamento, si non omnium, saltem plurium Judæorum opinio, & in Ecclesia Christi constans omnium Fidelium sensus Sanctos post mortem pro viventibus Deum exorare.

Quæ-

Quæres 2do. Utrùm Deus ad præces Sanctorum nobis sua confert beneficia?

Resp: Deus ad præces & intercessiones Sanctorum sua nobis confert beneficia. Et id exemplis etiam è Scriptura Sacra petitis ostenditur. Ad præces Abrahæ pepercit Deus Abimelech. Genes: cap: 20. Propter orationes Job, promittit Deus parcere Eliphaz Themaniti, & amicis ejus. Job cap: ultimo. Ob præces Moysis placatus est Dominus *ne faceret malum, quod locutus fuerat adversûs populum suum.* Exodi cap: 32. 4to Regum cap: 19. inquit Deus: *Protegam hanc urbem & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.* 3tio Quoqué Regum cap: 15to de Abdia Rege legitur: Propter David dedit ei Dominus *lucernam in Israel*, id est filium, qui regnaret post ipsum. Unde S. Chrysostomus Homil: 42. in Genesim ait: *Multa Domini bonitas est, & sæpe solet etiam propter paucos multis dare salutem, & quid dico propter paucos justos. Sæpe quando in præsenti vita non est inventus justus, propter defunctorum virtutem, viventium miseretur, & curam habet.* Et hoc aperte docet Apostolus Epist: 2da ad Corinth: cap: 8vo, scilicet viventium orationibus, & bonis operibus, ac defunctorum intercessionibus nos apud Deum adjuvari, sic enim inquit: *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, & fiat æqualitas,* & id confirmat praxis antiquæ Ecclesiæ, quæ ad intercessiones Martyrum, pænas pænitentibus relaxabat.

Quæres 3tio. Utrùm licitum sit, ac utile Sanctos invocare?

Resp: Sanctos invocare & licitum, & maximé utile est. Enimvero licet implorare fideles viventes ut pro nobis intercedant, unde Jacobus Apostolus in sua Epist: cap: 5to inquit: *Orate pro invicem ut solvemini, multùm enim valet deprœcatio justi assidua,* & Paulus in Epist: ad Roman: cap: 15to enixè sese commendat præcibus fidelium viventium: *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Dominum.* Ergo multò magis fideles jam in cælis regnantes, neutiquam enim deterioris conditionis nunc sunt, quam fuerunt viventes, sed longè majoris. Quare S. Petrus Apostolus adhuc vivens appromisit Fidelibus se illorum nequaquam oblivisci: *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum.* Epist: 2da cap: 1mo. Et certè invocatio Sanctorum adeo est antiqua, ut semper, etiam ante Moysis legem à fidelibus in usu fuerit.

Ge-

Genesis cap: 19no Jacob Patriarcha, non solùm Deum, sed & Angelum, & Sanctos suos Parentes invocat super filios Joseph. Moyses Deum sic orat Exodi cap: 32. *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui, recordare Abraham, & Isaac, & Jacob servorum tuorum.* Judæi in captivitate sic orabant. Baruch cap: 3tio. *Domine omnipotens Deus Israel. audi nunc orationem mortuorum Israel.* Et hæc quoqué perpetua fuit Ecclesiæ Christi praxis, ùt patet ex antiquissimis & fere omnibus Liturgiis, in quibus cum laude, atqué reverentia Sancti appellantur, & invocantur, ut pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam veneramur in terris. Atqué istiusmodi praxis in Conciliis declarata, & laudata fuit, quemadmodùm Chalcedonensi, Nicæno 2do, & aliis. Hanc quoqué esse Ecclesiæ Christi fidem, atqué traditionem, testantur Sancti Patres Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, uterqué Gregorius Nasianzenus, & Nyssenus, Joannes Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus. Horum etiam nonnulli veluti SS. Ambrosius, Augustinus, Gregorius Turonensis, Theodoretus & alij innumeri Scriptores referunt plurima miracula ad invocationem Sanctorum à Deo facta, quæ omnia negare, aut in dubium revocare, planè esset omnem tollere fidem historicam. Jam verò quemadmodùm Deus editis miraculis non potest falsum dogma confirmare, quia id repugnat infinitæ sanctitati, sapientiæ ac veracitati Ipsius, ita etiam editis miraculis non potest confirmare consvetudinem ac praxim Ecclesiæ quæ pia & utilis non sit. Igitur invocatio Sanctorum, pia, utilis, ac Religioni nostræ consentanea est.

Quæres 4to. Utrùm Sancti particulares etiam necessitates nostras sciant, atqué præces nostras audiant?

Resp: Verisimile est Sanctos, particulares etiam, ac in singulari necessitates nostras cognoscere, atqué præces nostras, quas ad illos fundimus, audire. Enimverò ex Lucæ cap: 15to discimus, Angelos in cælo gaudium habere super uno peccatore pænitentiam agente, plùs quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pænitentia, Angeli ergo, & justos norant, qui non indigent pænitentia, & peccatores pænitentiam agentes cognoscunt. Si hæc in Cælis commorantes norant Angeli, cur non etiam Sancti in illorum consortio degentes. Sanè S. Petrus Apostolus confidenter appromisit Fidelibus, se post suam mortem curam ac sollicitudinem illorum habiturum. *Dabo operam & frequenter vos habere post obitum meum.*

Epist:

Epist. 2da cap: 1mo, ſperabat ergo fore ut illorum indigentias, atqué neceſsitates cognosceret. Atqué huic opinioni magno consensu favent SS. Patres. Origenes libro 8vo contra Celsum, ſcribit Sanctos, & Angelos *ſentire quinam sint Dei benignitatem promeriti.* S. Basilius de Virginitate inquit: *Incorporeis obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt.* S. Gregorius Nasian: Epist: 202. ait: *Illud persvasus ſum, Sanctorum animas res nostras ſentire.* & S. Gregorius Magnus libro 12. Moralium cap: 21. docet: *Nullo modo credendum est, quod foris ſit aliquid, quod ignorent.* Tandem S. Bernardus Epist: 78. dicit: *Martyres jubilare ad nostros clamores & præces.*

Verûm quomodò Sancti, neceſsitates nostras in particulari, atqué singulari intelligant, quomodò præces nostras audiant definiri nequit. Dici tamen potest illos haustam in vita rerum notitiam non amittere, ſed & perficere potiùs, & non incongruè affirmari potest, bestiarum animas, ab aliis, illuc posteriùs delatis, haurire notitiam rerum recentiûs in mundo gestarum. Neque improbabile est, ab Angelis, in hanc terram euntibus, & ad cælum redeuntibus, atqué fidelium neceſsitates perferentibus, beatos informari, imò & â Deo ipso, notitiam rerum mundi hujus, ipsos haurire, qui illis nostras singulares neceſsitates, particularesqué indigentias manifestat.

Sed & si daretur, Sanctos nostras particulares neceſsitates non cognoscere, nequé singulares præces nostras non intelligere, inde tamen minimè consequitur Sanctos non eſse invocandos, nequé exorandos. Namqué Sancti benè ſciunt, nos in magnis periculis versari, ac pluribus îndigere, orant igitur Deum, atquè depræcantur in communi, atqué in genere pro nostris neceſsitatibus ac indigentiis, & hoc ſatis est, ut utilitèr invocentur. Unde S. Augustinus, libro de cura pro mortuis cap: 16. respondens ad quæstionem quomodo opitulentur Martyres iis, quos certum est per eos adjuvari, respondet, id fieri poſse Martyribus *generaliter orantibus pro indigentiis ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non repræsentamur, nec ubi ſint, nec quid agant. ſcimus.* Scilicet quemadmoduûm pro mortuis oramus, eorum individuas neceſsisates ignorantes, aut etiam pro vivis, ſæpe nescientes, ubi sint, quid agant, & utrùm præcibus nostris îndigeant, ita quoquè Sancti in Cælo pro omnibus generatim orant, & præcibus ſuis adjuvant, licet etiam ignorent privatas cujuscunqué neceſsitates.

Quo-

Quæres 5to. In honorem Sanctorum licetné Misſarum Sacrificia celebrare?

Resp: In honorem Sanctorum Miſsarum Sacrificia celebrare licitum est. Enimverô Miſsæ Sacrificium non ſolùm est Eucharisticum, quô Deo gratias referimus, verùm etiam Impetratorium, quô obtinemus gratiarum beneficia. Ergo licet in honorem Sanctorum Miſsæ Sacrificia celebrare, ut Deo grâtias agamus pro conceſsis illis gratiarum donis, atqué ut eorum imploremus interceſsionem, ad consequenda à Deo nobis neceſsaria dona, & hoc utroqué modo in honorem Sanctorum Miſsæ Sacrificia celebramus, & per hoc primariô Deo ipsi, ſecundariô Sanctis venerationem, & honorem exhibemus, unde S. Chrysostomus Homil: 21. in Acta Apost: inquit: *Magnus honor est nominari Christo præsente, Dum mors illa perficitur & horrendum Sacrificium.* Docet hoc etiam constans & perpetua Ecclesiæ traditio, in Liturgiis enim tam Græcorum, quam Latinorum in Miſsæ Sacrificio memoriæ Sanctorum recoluntur. Quare Concilium Tridentinum Seſs: 22. Canone 5to tamquam dogma definivit, *non eſse impostu-rum in honorem Sanctorum Miſsas celebrare.*

Dices. Soli Deo Sacrificium offerri potest. Ergo in honorem Sanctorum offerri illud nequit.

Resp: Sacrificium ſoli Deo offeri debet, ideoqué nunquam Sanctis offertur, ſed ſemper Deo, licèt in honorem Sanctorum offeratur, quia ſcilicet Sacrificium fit in contestationem ſupremi Dominij in res creatas, quod Sanctis non competit. Offertur autem Sacrificium Miſsæ in honorem Sanctorum, quia in illo memoriam eorum recolimus, de illorum victoriis atquè conceſsis donis Deo gratias agimus, eorum patrocinium imploramus, illosquè intervocamus, atqué exoramus ut pro nobis apud Deum intercedere dignentur in Cælis, quemadmodûm illorum memoriam recolimus in terris. Ita Concil: Trid: Seſs: 22. cap: 3tio.

Quæres 6to. Quomodo Sancti à Deo nobis neceſsaria impetrant?

Resp: Quidquid Sancti nobis à Deo impetrant, per Christum, ipsiusqué merita impetrant. *Probatur.* Christus tamquam Mediator mundum Deo reconciliavit, Deo Patri pro peccatis nostris ſatisfecit, ipse, & non alius vitam æternam, & gratiarum dona ad eam obtinendam neceſsaria nobis promeruit, unde ſolus est Christus, quemadmodùm ipse dicit Joan: cap: 10. per quem ad ſalutem intramus:

mus: *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur.* Ergo quidquid Sancti nobis à Deo impetrant, per Christum, & merita ipsius impetrant. Et verò de plenitudine Christi omnes accipiunt omnia ad salutem necessària, ùt docet Apostolus ad Colos: cap: 1mò. dicens: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum omnia reconciliare in ipsum pacificans per sangvinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt:* videlicet voluit Deus ut Christus fons omnium bonorum esset, ergò quidquid boni per intercessionem Sanctorum percipimus, ex hoc fonte accipimus. Quare Concilium Trident: Sess: 25. Decreto de Invocat: Sanctorum declaravit, *quod ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad Sanctorum orationes, opem, auxiliumque confugere bonum atqué utile sit,* & id docent Orationes Ecclesiæ ad Sanctos, quos semper comitatur clausula: *Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Quæres 7mo. Præter merita Christi, danturné etiam merita Sanctorum?

Resp: Reipsa dantur merita Sanctorum, quod nemo in dubium revocare potest, sed *1mo.* merita Sanctorum omnem vim & valorem ex meritis Christi habent, ipsisqué innituntur. Christus siquidem omnia gratiarum dona, sinè quibus nullum meritum esse potest, promeruit, unde merita Sanctorum atqué intercessiones illorum, non alia ratione nobis prodesse possunt, nisi quia per merita & intercessiones eorùm participes reddimur meritorum Christi, atqué gratiarum, quæ inde proveniunt, & quemadmodùm piorum viventium imploramus orationes, ut meritorum Christi participes efficiamur, ita quoqué Sanctorum intercessiones invocamus, ut fructuum mortis ac passionis Christi consortes simus, & hoc sensu merita Sanctorum utilia nobis esse affirmamus, quare nihil meritis Christi demitur, nihil detrahitur, unde *2do* rectè etiam in Sanctorum meritis confidimus, quia scilicet Sancti sunt nostri apud Deum intercessores, eorumqué intercessionibus adjuvamur, quidquid vero illi nobis apud Deum impetrant, per merita Christi ea obtinent, & insuper per merita Sanctorum, meritorum Christi participes efficimur. Ergo rectè in meritis etiam Sanctorum confidimus, ita tamen ut primario, & principaliter, in meritis Christi fiduciam nostram collocare debeamus, quia scilicet merita Sanctorum,

non-

nonniſi meritis Chriſti innituntur, ab ipſisqué omnem vim, & valorem accipiunt?

Quæres 8vo. Invocatio Sanctorum nonné derogat titulo Mediatoris, qui Chriſto competit?

Reſp: Invocatio Sanctorum nihil quidquam derogat titulo Mediatoris, qui Chriſto omnimode competit. *Probatur.* Docent Scripturæ Deum ad intercefſionem juſtorum, plurima nobis beneficia conferre, aliunde etiam certum eſt Sanctos per ſuas intercefſiones nos adjuvare. Porró ſi invocatio Sanctorum Mediationi Chriſti aliquo modo detraheret, nequé Sancti unquam nobis opem ferre poſſent, nequé Deus ad illorum intercefſionem nobis beneficia præſtaret. Ex quo manifeſtè ſequitur, Sanctorum in cælis regnantium intercefſionem, atqué invocationem Mediationi Chriſti nihil quidquam detrahere. Et veró quidquid Sancti nobis impetrant, per merita Chriſti impetrant, ipſi nonniſi per Chriſtum pro nobis orant, nonniſi in ejus nomine exaudiuntur. Tandem Sanctos invocamus ut pro nobis intercedant, quatenùs meritorum Chriſti participes efficiamur, quæ ab ipſis expectamus, per merita Chriſti conſequi ſperamus. Solum Chriſtum ſalutis noſtræ Authorem, Salvatorem ac Redemptorem, omnium gratiarum largitorem eſse confitemur. Sanctos ùt Patronos, ac pulros apud Deum pro nobis intercefſores invocamus, & agnoſcimus, Præterêa ſi regnantes in cælo invocare Chriſti Mediationi efficeret, nequé etiam illos in terris viventes implorare, eorumqué ſe præcibus commendare liceret, non enim deterioris conditionis ſunt jam in gratiam confirmati, Divinoqué fruentes conſpectu, ac erant in terris. Porro pios, ac Sanctos veros, adhæc in mortali corpore degentes invocari poſse manifeſtum eſt. Nam Paulus in Epiſt: ad Coloſ: cap: 1mo ſe pro fidelibus orare ſcribit, quorum etiam ipſe ſe præcibus commendat, quod etiam facit in Epiſtolis ad Theſsalonicenſes 1ma cap: 5to, & ad Hebræos cap: 13. An ergo Chriſtum ſpernebat, cum aliorum præces aut petebat, aut iis ſe inſinuabat? Minimè nequè etiam ex fidei noſtræ imbecillitate contigit, quod Sanctos quaſi internuntios, ac Patronos ad Deum adhibeamus, nam Centurionis illius fidem ſummis laudibus Chriſtus extulit, qui ſeniores Judæorum, amicos ſuos ad eum miſit, ut pueri, quem diligebat, ſanitatem impetraret. Nihil ergo per Sanctorum invocationem detrahitur, aut quidquam derogatur titulo Mediatoris, quod Chriſto omnimodo competit.

AR-

ARTICULUS 2dus

De cultu, & veneratione Sanctorum.

Quæres 1mo. Utrùm Angeli, ac Sancti in Cœlis regnantes honore, ac nostra veneratione digni ſint?

Resp: Angeli, atquè Sancti in Cælis regnantes, honore ac nostra veneratione omninò digni ſunt. Enimverò Angeli, ac Sancti in cælis regnantes nostri ſunt apud Deum intercesſores, Deus ad eorum præces, & intercesſionem, varia gratiarum dona, ac diversa beneficiorum genera, hominibus concedere dignatur, cum Christo in Cælis regnant, Dei amici ſunt, æterna beatitudine jam perfruuntur. Ergo honore ac nostra veneratione omnino digni ſunt. Et verô honore ac veneratione digni ſunt Reges, Principes, aliiqué in potestate constituti, atqué etiam viri in terris degentes, qui eximiis naturæ & gratiæ donis à Deo exornati ſunt, & hujus rei exempla etiam in Scriptura Sacra habemus, sic Libro 3tio Regum cap: 18vo ante Eliam Prophetam Abdias inter Judæos nobilisſimus cecidit ſuper faciem ſuam. Nabuchodonosor Rex cecidit *in faciam ſuam, & Danielem adoravit.* Danielis capite 2do. Apostolus etiam Paulus Reges honorare præcipit, & illos, qui rectè in Ecclesiæ officiis ministraverint duplici honore dignos eſse censuit. Si ergo viri in terris excellentes honore ac veneratione nostra digni ſunt, cur non Angeli, atqué Sancti in cælis regnantes, propter eximias naturæ atqué gratiæ dotes, quibus à Deo exornati ſunt, honore, atqué nostra veneratione digni censeri non debeant?

Quæres 2do. Cultus Angelorum, atqué Sanctorum estné licitus?

Resp: Cultus Angelorum, atquè Sanctorum in cælis regnantium, & licitus, & laudabilis est. Cum enim Angeli ac Sancti honore ac nostra veneratione digni sint, illis exhibere cultum & licitum, & laudabile est. Et usus, atquè praxis colendi Angelos, atqué Sanctos, antiquisſima est, ſemperqué in Ecclesia Christi viguit. Sic Abraham Genesis cap: 18, & Loth cap: 19. Angelos ſub humana ſpecie apparentes proni in terram provoluti adoraverunt, pariter & Josue cap: 5to coram Angelo prònus in terram cecidit, & adoravit. Eusebius Libro 7mo Historiæ cap: 19. refert, ſumma reverentia ſervatam fuiſse S. Jacobi Hieroso-

rosolymitani Cathedram, *ſatis perſpicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum noſtri temporis Christiani viros Sanctos, ob ipſorum erga Deum amorem debito ſemper honore venerati ſunt, & hactenùs venerantur.* S. Hieronymus Epist: ad Riparium de erroribus Vigilantij ſcribens, sic inquit: *Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, quia ait: qui vos ſuscipit, me ſuscipit.* Unde Patres Concilii Nicœni 2di in Decreto, articulo 4to sic inquiunt: *Salutamus & Dominicas, & Apostolicas, & Propheticas voces, per quas honorare, & magnificare didicimus primo quidem & propriè ac veraciter Dei Genitricem, cœlestibus cunctis virtutibus ſuperiorem, Sanctasqué & Angelicas virtutes, atqué Beatos, & laudabilisſimos Apostolos, Prophetas, & glorioſos Martyres victores, qui pro Christo certârunt, atqué Sanctos, & Deiſeros Doctores, & omnes Sanctos Viros.*

Tandem praxis & usus colendi Sanctos, in illorum honorem, sive ſub illorum invocatione Templa & Aras exstruere, eorum Imagines, Reliquias venerari, apud Latinos & Græcos ſemper viguit, atqué etiam modo viget, nequé ipſius initium aſsignare poſsumus, ac proinde ad Apostolicam traditionem, meritò referri debet. Patres quoqué ſæculi quarti, pro Hæreticis habuerant Manichæos, Eunomianos, Eustachium, ac Vigilantium, qui nec honorem Sanctis deberi, nec illos invocandos eſse docebant. Ergo indubitatum est cultum Angelorum, atqué Sanctorum in cælis regnantium, & licitum & laudabilem eſse.

Objicies 1mo. S. Paulus in Epist: ad Coloſ: cap: 2do admonet ne quis ſeducatur in religione Angelorum. *2do.* Sanctorum cultus non fuit in usu apud primitivam Eccleſiam. *3tio.* Cultus Sanctorum Idololatriam ſapit. Ergo licitus, & laudabilis eſse nequit.

Resp: ad 1mum. Observante S. Chryſostomo, Teophilactó, Theodoreto, aliisqué, jam tunc, cum S. Apostolus ad Coloſsenses ſcribebat, in Phrygia hæresis Simonianorum graſsabatur, qui neglecto Christo, ſpem ſuam in Angelis collocabant, eosqué quasi minores Deos, Christo quem purum hominem blasphemabant, nobiliores eſse statuebant, tum quod eſsent puri Spiritus, tum quod censebant illos eſse mundi Opifices, unde Apostolus toties Christum ſuper Angelos extollit, eumqué docet rerum omnium Opificem eſse. Non igitur Apostolus reprobat cultum, quem nos Angelis exhibemus, ſed illum condemnat, ac respuit,

quem

quem Simoniani Hæretici illis exhibebant, qui planè idolatricus ac superstitiosus fuit.

Ad 2dum. Sanctorum cultum in primitiva Ecclesia fuisse in usu certissimum est, quod ex antiquorum Sanctorum Patrum qui sæculo 3tio, 4to & 5to vixerunt, testimoniis manifestissimum est. Id etiam comprobatur ex Epistola Ecclesiæ Smirnensis apud Eusebium libro 4to Histor: Eccles: cap: 14to de Martyrio S. Polycarpi, quod anno 147. contigit, scripta, in qua legitur fideles illius Ecclesiæ, velle in locum, in quo passus est, convenire, *ut celebrem ejus Martyris natalem cum exultatione, & gaudio, quantùm fieri potest, maximò recolamus, idqué tum ad Athletarum istorum memoriam, tum ad eorum exercitationem, & præparationem, qui postea certamen hujusmodi sunt subituri.*

Ad 3tium. Idololatria, si propriè sumatur, illa est, quæ idolis, seu simulacris honorem summum, soli Deo debitum, reddit, latiori vero significatione venerationem cujuscunqué rei denotat, quæ instar Dei habetur, & colitur. Porro supremum cultum, qui Latriæ dicitur, nos soli Deo exhibemus, Sanctis vero honorem aliquem longè inferiorem, quem duliæ nuncupamus, exhibemus. Nequé etiam Sanctos, adinstar Dei habemus, & planè alio, atqué diverso modo Deum adoramus, & Sanctos honoramus. Cum autem de intentione, quâ Deum, & Sanctos colimus, apertissimè constat, frustra paritas, & identitas cultûs quæritur in externis actibus, genuum flexione in terram prostratione, quæ Deo & aliquando etiam Sanctis exhibentur, alias & Abraham qui filios Heth, & Jacob qui fratrem suum Esau, Loth qui Angelos, Abdias qui Eliam adoraverunt Idololatræ fuissent, quod dicere nefas est. Sed ex actibus internis quibus ad exhibendam venerationem impellimur, cultus æstimandus est. Quia itaqué soli Deo cultum exhibemus propter infinitam ipsius excellentiam, Sanctos vero nonnisi propter dona à Deo ipsis concessa, non servitute, sed observantia honoramus, atqué in ipsis solum Deum, omnium bonorum auctorem glorificamus, ab Idololatriæ labe quam maximè alieni sumus.

Quæres 3tio. Qualis sit iste cultus, quem Sanctis exhibemus?

Resp: Cultus quem Angelis, & Sanctis in Cælo regnantibus exhibemus. 1mo. Non est cultus latriæ, ille enim soli Deo debetur, & ipsi soli exhibetur, quare & Apostolus Epist: 1ma ad Timoth cap: 1mo inquit: *Soli Deo honor,*

nor, & gloria, ſupremus ſcilicet cultus, ac veneratio, & talem cultum detractavit Angelus à Joanne in Apocalipsi cap: 22. ubi hæc ſcribit Apostolus: *Postquam audiſsem, & vidiſsem cecidi ut adorarem ad pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat, & dixit mihi, ne feceris, conservus enim tuus ſum, Deum adorò.* Verum est alius cultus qui duliæ dicitur, ab hoc planè diversus, quo Abraham, Loth, Josue, & ipse quoque Joannes Apostolus in Apocalipsi Angelis detulerunt, quemqué Angeli acceptare non recusârunt. Talis est cultus quem Angelis & Sanctis in Cælo regnantibus deferimus, longè minor & inferior cultu Latriæ, quem ſoli Deo exhibemus. *2do.* Iste cultus, quem Angelis & Sanctis exhibemus meritò religiosus dicendus est. quia ex motivo Religionis exhibetur, ob præclara ſupernaturalia, Divina dona, quæ in Sanctis elucescunt, atqué ad ipsum Deum ultimo dirigitur. Non tamen istud est ab Ecclesia definitum, quare multi ex Theologis docent hunc cultum eſse tantum Christianæ erga Sanctos observantiæ, nequé per illum plus tribui Sanctis in Cælo jam cum Christo triumphantibus, quam cuivis justo in terris nobiscûm militanti, & huic opinioni favet S. Augustinus, qui libro 20, contra Faustum cap: 21. sic inquit: *Colimus Martyres eò cultu dilectionis, & ſocietatis, quô & in hac vita coluntur ſancti homines Dei.* Et Adrianus Papa in Epistola ad Constantinum Imperatorem, & Irenem ejus Matrem ait: *Qualis est enim adorationis honoratio, nisi tantum quemadmodum & nos peccatores ſalutamus, & adoramus alterutrum per honorem, & dilectionem.*

Quæres 4to, Utrùm invocatio, & veneratio Sanctorum, aliqua lege præcepta ſit?

Resp: Invocatio, & veneratio Sanctorum, nulla lege præcepta est. Nullum enim nequé in Scriptura Sacra, nequé in Traditione, nequé in Statutis Ecclesiasticis, hac de re extat præceptum, & Concilium etiam Tridentinum nihil aliud constituit, ac definivit, nisi invocationem, ac cultum Sanctorum licitum, atqué utilem eſse. Verùm tamen idem Concilium eos omnes damnavit Seſs. 25. *qui negant, Sanctos æterna felicitate in Cælo fruentes, invocandos eſse, aut qui aſserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem Idololatriam eſse, vel stultum eſse in Cælo regnantibus voce vel mente ſupplicari.*

Objicies 1mo. Catholici colunt Sanctos, de quibus an vere Sancti sint, certum nequaquam est. *2do.* Cultus Sancto-

ctorum est merus Gentilismus. Sicuti enim Ethnici viros bene meritos in numerum Deorum referebant, ita Catholici per Canonizationem referunt Defunctos in numerum Sanctorum, ut ab omnibus invocentur, sicut Ethnici diversas Provincias diversis aſsignabant Patronis, contrà diversos morbos, diversis ſupplicabant Diis, ita quoqué Catholici alios Sanctos, aliis præficiunt Provinciis, Urbibus, morbis, tandem *3tio.* Ethnici Diis ſuis exstruebant Altaria, & Templa, instituebant illis festa, vota nuncupabant, dedicabant Statuas, Imagines, idem in honorem Sanctorum faciunt Catholici.

Resp: ad 1mum. Catholici colunt Sanctos, de quibus legitimè constat, quod tales sint, qua in re tantam diligentiam, omnemqué adhibet cautionem Ecclesia ut major illâ dari vix queat, atqué omnino de Divina præsumendum est bonitate, pièqué credendum, Deum nunquam permittere, ut inter Sanctos relatus, atqué ab Ecclesia receptus, Sanctus reipsa non sit. Sed quamvis daremus in facto aliquo particulari errorem intervenire poſse, id dogmati, quo credimus invocare Sanctos bonum & utile eſse, minimè efficeret, quia factum particulare errori conjunctum, veritatem dogmatis non labefactat, & in ipso erroneo facto, cultus putativo Sancto exhibitus, adhuc ſuo non frustraretur principali objecto, quia nimirum præces nostras, quas ad Sanctos fundimus, principaliter ſemper ad Christum dirigimus.

Ad 2dum. Cultus quem Catholici Sanctis exhibent toto cælo distat à Gentilismo, quoniam non adoramus Sanctos, veluti Deos, ſed tamquam Dei amicos, ac nostros ad ipsum interceſsores, illos honoramus, unde S. Cyrillus libro 6to contra Julianum jam pridem pronuntiavit. *Sanctos Martyres nequé Deum eſse dicimus, nequé Divino cultu illos adorare ſolemus, ſed affectus, & honoris.* Nequé inconveniens est, ut quædam Regiones, & Urbes ſpeciatim quosdam colant Sanctos, cum per eorum interceſsionem varia à Deo obtinuerunt beneficia, atqué hac ipsa de causa in ſpecialibus angustiis, ac neceſstitatibus, ſpeciales Sanctos à fidelibus invocari, congruum est. Nullus autem dubitat poſse Deum per quemlibet Sanctorum, omnia concedere, sicut & sinè Sanctis, multa, imo omnia dare, cur autem ad hujus potiùs, quam alterius interceſsionem præstet hoc vel illud beneficium, nos ignoramus, unde S. Augustinus Epist: 137. ad Clerum & Seniores Ecclesiæ Hippon: ait: *Quis potest ejus conſilia perscrutari, quare in*

in aliis locis hœc miracula fiant, in aliis non? Nunquid non & Africa Sanctorum corporibus plena est, & tamen nusquam hic ſcimus talia fieri.

Ad 3tium, S. Augustinus Libr: 22. de Civitate Deî cap: 23. jam dudum respondit; docens: Martyribus Templa non ædificari ut Diis, ſed memorias ut defunctis hominibus, quorum ſpiritus vivunt apud Deum, & Altaria non èriguntur, ùt ipsis ſacrificetur, ſed ùt in illis Sacrificia Deo offerantur. Vota quoqué non facimus Sanctis, ſed Deo in honorem Sanctorum. Tandem Festa in memoriam ac honorem Sanctorum institui, antiquiſsima, quæ à temporibus cæpit Apostolorum, fert consvetudo, etiam primarius harum ſolemnitatum ſcopus sit, ut Deus in Sanctis ſuis laudetur, & glorificetur, nihil hic inconvenientiæ eſse potest.

CAPUT TERTIUM

De Cultu ac veneratione Imaginum, atqué Sacrarum Reliquiarum.

ARTICULUS 1mus

De Cultu Sanctarum Imaginum.

Quœres 1mo. Quid nomine Imaginis intelligendum ſit?

Resp: Per Imaginem intelligitur similitudo rei cujusdam reipsa existentis, arte elaborata. Res ipsa, quæ per Imaginem repræsentatur exemplar, ſeu *protatypon* dicitur. Est itaqué Imago cum exemplari connexa. Cum vero exemplar aut profanum, aut ſacrum est, ita quoqué Imagines aut profanæ, aut ſacræ ſunt. Itaqué illarum rerum veræ Imagines efformari nequeunt, quæ nullam formam, nullamqué habent, figuram, ſed quia Angeli, & ipse etiam Deus ſub variis figuris, ſe hominibus conspiciendum præbuit, atqué in Sacris Litteris ipsis facies, oculi, aures, humanæ quoqué actiones, tribuuntur, ideo Angeli, & Deus ſub his figuris depingi poſsunt.

Quœres 2do. Primis tribus Ecclesiœ Sœculis fuitné frequens Imaginum usus?

Resp: Primis tribus Ecclesiæ ſæculis, Imaginum usus admodum rarus fuit. Id constat vel ex ipso silentio veterum Patrum, ſed & cum Gentiles Christianis objicerent, quod nulla haberent simulacra, id ingenue confitebantur, nullamqué nisi in animo exprimendam eſse Imaginem, aſserebant. Et hæc habent Origenes libro 8vo contra Celsum. Minutius Felix in Octavio, & Arnobius libro 6to contra Gentes. Ratio vero cur Sacrarum Imaginum usus, tunc quasi ſupprimebatur, hæc fuit, quia primitiva Ecclesia, ex Judæis simul, & Gentilibus coalescebat. Judæis, cum ex legis antiquæ præscripto ab Imaginibus admodum alieni eſsent, offensio danda non erat. Gentiles autem cum toti simulacris eſsent immersi, & ab iis avocandi, ut verum Deum, in ſpiritu, & veritate colerent, neceſse erat, ab eorum occulis Imagines removere.

Quamvis autem tribus primis Ecclesiæ ſæculis adeo rarus apud Christianos fuerit Imaginum usus, fuit tamen aliquis, & id constat *1mo.* ex Tertuliano, cujus ævo in Calicibus pingebatur Christus ſub habitu Pastoris, ovem perditam ad ovile humeris ſuis reportantis, quam Imaginem Christum, & non alium quemdam pastorem representáſse ex eodem Tertuliano discimus, qui libro de pudicitia cap: 7mo. de hac Imagine loquens, ait: *Ovis proprie Christianus, & grex Domini, Ecclesiæ populus, & Pastor bonus, Christus.* Et quamvis Tertulianus; jam Montanista factus hunc pingendi Pastorem usum, qui in mentem revocabat, veniam fore lapsis concedendum, omnino non approbet, praxim tamen Ecclesiæ ſui temporis ſatis ostendit. *2do.* Narrat Eusebius libro 7mo Histor: cap: 8vo mulierem quam Christus à profluvio ſangvinis liberavit, in ejus honorem æneam statuam erexiſse, quam etiam ipse Eusebius conspexit, ad cujus statuæ pedes enata planta quædam ignota, depellendis omnis generis morbit, præsentiſsimum remedium extitit. Idem quoqué Eusebius libro 3tio de vita Constantini, aſserit hunc Imperatorem curâſse ut Imagines boni Pastoris, & Danielis Prophetæ in fontibus collocarentur. Ergo licet primis tribus Ecclesiæ ſæculis Imaginum usus rarus fuerit, dici tamen nequit, nullum prorsùs fuiſse, imo ex adductis momentis constat illum etiam Apostolorum tempore aliquo modo cæpiſse, ac proinde Ecclesiæ penè coævum fuiſse.

Qaœres 3tio. Imaginum usus estnè licitus?

Resp: Christi, Deiparæ Virginis Mariæ, aliorumqué Sanctorum habere, ac retinere Imagines præcipuè in Templis

plis, licitum est. *Probatur 1mo.* Usum Sacrarum Imaginum probant & laudant, SS. Patres Gregorius Nyſsenus, Joannes Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, aliiqué quam plurimi. Unde & Adrianus Papa in Epistola ad Constantinum & Irenem Imperatores inquit: *Sanctorum figuræ ab ipsis Sanctis fidei nostræ rudimentis, apud omnes fuerunt Christianos, atque in Eccleſiis Sanctorum, Sacræ figuræ expreſsæ, atque depictæ hactenus fuerunt.* 2do. Quia usus Sacrarum Imaginum, nulla lege in novo Testamento, nequé Ecclesiastica, nequé Civili prohibitus fuit, nullaqué istiusmodi prohibitio aut unquam extitit, aut modo existit. Quare meritò Concilia Nicænum 2dum, Constantinopolitanum 4tum, ac tandem Tridentinum Sacras Imagines retinendas, ac in Templis etiam usurpandas eſse definiverunt.

Dices: In veteri lege Deut: cap: 5to Deus omne ſculptile fieri prohibuit.

Resp: Prohibuit Deus in veteri lege omne ſculptile fieri, ne illud adoraretur more Ethnicorum, unde dicitur: *Non facies tibi ſculptile, nec similitudinem omnium, quæ in Cœlo ſunt desuper, & quæ in terra deorsum non adorabis ea, nequé cœlos. Ego enim ſum Dominus tuus. Deus æmulator.* Prohibuit ergo Deus Judæis omne ſculptile, omnemqué similitudinem, ſeu Imaginem fieri, quia ad idololatriam proni erant, attamen ſatis constat & tunc etiam figuris Cherubinorum Arcam & Sanctuarium exornatum fuiſse, proinde illa in veteri lege prohibitio nequé absoluta fuit, nequé ad novam legem protendebatur.

Quæres 4to. Utrùm etiam Dei, ac SSmæ Trinitatis Imagines efficiendæ ac retinendæ ſint?

Resp: Dei, ac SSmæ Trinitatis Imagines ſatis diuturno tempore, in Ecclesia usitatæ non erant, imo graſsente hæresi Iconomachorum, Gregorius 2dus Papa Epist: 1ma ad Leonem Isauricum ſcripsit, Patrem Domini nostri Jesu Christi nec pingere, nec occulis, ſubijcere. Verum cum istiusmodi Imagines, non ad exprimendam, ut in ſe est, Divinam naturam, ſed ad ſpecies visibiles repræsentandas, quibus Divinæ Personæ aliquando apparuerunt, adhibeantur, illarum usus, & licitus est, & nihil ſuperstitionis in ſe habet. Certè Deus Pater ſe manifestavit ſub ſpecie Principis in ſolio ſedentis, Isaiæ cap. 6to, & ſub imagine antiqui dierum, Danielis cap: 7mo. Spiritus quoqué Sanctus ſub ſpecie Columbæ. Mathæi cap: 3tio.

Qua-

Quare nunquam vetuit Ecclesia, his Imaginibus SSmam exprimere, ac repræsentare Trinitatem.

Quæres 5to. Usus Sanctarum Imaginum affertné aliquam Fidelibus utilitatem?

Resp: Usus Sacrarum Imaginum magnam Fidelibus affert utilitatem. *1mo.* Enim per Imagines docentur rudiores, ut qui litteras nesciunt, saltem in picturis videndo legant. *2do.* per Imagines vocantur in memoriam, quæ absentia sunt. *3tio.* Imagines movent, & excitant animos. *4to.* in Imagine honoratur Christus, & honorantur Sancti ejus.

Quæres 6to. Utrùm Sacris Imaginibus, honor ac veneratio exhiberi debeat?

Resp: Sacris Imaginibus honor, ac veneratio exhibenda est, & hoc ex Apostolica habemus Traditione. Namqué ab exordio Ecclesiæ honor quidam, & veneratio Imaginibus exhibita est, atqué perpetua hæc veneratio ex eo rectè concluditur, quod afsignari nequeat tempus, quô Imaginibus honor deferri cæpit, nec nominari pofsunt Authores, qui eundem in Ecclesiam introduxerint. Venerationem quoqué Imaginum expreſsê docent Sancti Patres 4ti & 5ti sæculi, qui doctrinam hanc certè à Majoribus suis acceperunt, atqué ex antiquifsima traditione hauserunt. Sic S. Basilius, qui Epist: 360. sic inquit: *Characteres Imaginum honoro, & exosculor eximiè, cum hæc traditæ sint à Sanctis Apostolis, nec sint prohibitæ, imo in omnibus Ecclesiis nostris depictæ.* S. Athanasius libro quæst: & respons: ad Antioch: cap: 38. ait: *Absit, ut nos Christiani tamquam Deos Imagines adoremus. Affectionis dumtaxat, & caritatis nostræ studium erga figuram personæ per Imaginem expreſsê declaramus.* Merito itaqué Theodorus Studita apud Sirmondum Tomo 5to contra Leonem Isaurum ita prologuitur: *Non locus ullus est, non Regio, non domus, in qua Divinæ Imagines affixæ non sint, quippe omnibus veneranda res est, cui temporis lapsus, & authoritas honorem conciliârunt. Annis igitur octingentis, & eo ampliùs promulgatam, & ab omnibus receptam, atqué confirmatam Imaginum venerationem, jamqué una cum Christianismo auctam, & propagatam, uno siquidem pariqué greſsu intercefserunt Christianismus & Imaginum efformatio, tu nunc temporis momento, solaqué pro animi libidine tollendam è medio censuisti, & cum dedecore explodenda, quæ laudem honoremqué merebantur.* Hic strenuus Sacrarum Imaginum afsertor, cultúsqué ipsarum in-

victus

victus defensor, illarum usum, atqué venerationem, & universalifsimam in Ecclesia Christi, & antiquifsimam efse affirmat. Propterêa cultum, ac venerationem Sacrarum Imaginum, Concilia Generalia Nicœnum 2dum, Constantinopolitanum 4tum, ac deniquè Tidentinum confirmârunt, ac corroborârunt. Deniqué Sacras Imagines venerandas efse, probant quoqué miracula, quibus Deus, aut punivit Sanctarum Imaginum contemptores, aut eas piè venerantes est remuneratus, quæ legi pofsunt in veterum monumentis, quæ in Synodo generali 7ma adducuntur, & illa quæ apud S. Joannem Damascenum, & Evagrium reperiuntur.

Quœres 7mo. Qualis Sacris Imaginibus exhiberi potest cultus?

Resp: Sacris Imaginibus exhibendus cultus. 1mo. non est absolutus. Si enim cultus Imaginum efset absolutus, ac proinde Imagines propter fe, & ratione fui colerentur, id fieret vel propter materiam ex qua constant; vel propter aliquam virtutem, quæ illis inest, vel propter repræsentationem rei Sanctæ. Sed nihil horum dici potest. Materia siquidem, quæcunqué illa sit, ex qua Imagines constant, non est capax venerationis, nequé illa ratione fui coli potest. Virtus quoqué Imaginibus nulla inest; quod verum est de illis etiam Imaginibus, quæ Thaumaturgæ vocantur, quis enim ligno, lapidi vim patrandi miracula tribuat? Tandem repræsentatio rei Sanctæ, non est excellentia Imaginis, propter quam ipsa foli deberet, fed Artificis, qui ipsam congruè efficit. Quare Concilium Nicœnum 2dum Actione 2da declaravit: *Nos pro amore, & dilectione, quam apud Dominum & Sanctos habemus, honorabiles eorum effigies Imaginibus depingentes, non tabulis, & coloribus honorem exhibemus, fed illis pro quorum honore consistunt*, & Concil: Trident: Sefs: 25. constituit, Sacris Imaginibus debitum honorem, & reverentiam impertiendam efse, fed non idêo, *quod credatur inefse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, propter quam sint colendœ.* Unde 2do cultus qui Sacris Imaginibus exhibetur, totus respectivus, ac relativus est, fcilicet refertur ad Protopypa illorum, id est: ad eos qui per Imagines repræsentantur. Ita declarârunt Concilia Nicœnum 2dum Actione 7ma *Imaginis honor in prototypon resultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoquè depicti personam*, & Concil: Trident: Sefs: 25. sic de Imaginibus Sacris inquit: *Honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quœ illœ repræsentant, ita ut per imagines*

quas

quas osculamur, & *eorum quibus caput operimus*, & *procumbimus*, *Christum adoremus*, & *Sanctos*, *quorum illæ similitudinem gerunt*, *veneremur*. Non ergo, ùt idem docet Concilium, in Imaginibus fiducia aliqua figenda est, nequé ab iis aliquid petendum est, veluti olim fiebat à Gentilibus, qui in Idolis suis spem suam collocabant, sed omnia à Deo per intercessionem Sanctorum, quorum Imagines veneramur, expostulanda, atquê expectanda sunt.

Obijcies 1mo. Nec præceptum, nec exemplum venerationis Imaginum occurrit in Scriptis Apostolorum, aut ipsorum ævo. *2do.* Distinctio cultùs in absolutum ac relativum, est inanis, & vanum inventum. *3tio.* Concilia Francofordiense, & Pariense anno 826. celebrata, & Acta Concilii Nicœni 2di in quo cultus Imaginum approbatus fuit, reprobârunt, & cultum Imaginum respuerint.

Resp: ad 1mum. Dogma Catholicum hoc unum docet, usum Imaginum licitum esse, illas, ut loquitur Concilium Trident: Sess: 25. *in Templis præsertim habendas, ac retinendas, eisqué debitum honorem*, & *reverentiam impertiendam esse.* Quare si Imaginum adversarij aliquid adversum nos evincere volunt, debent ostendere usum Imaginum illicitum, & venerationem illarum superstitiosam esse. Imagines verò tempore Apostolorum non fuisse in usu, contra dogma Catholicum nihil probat, nisi simul probetur ideo eas non fuisse in usu, quia illarum usus reputabatur illicitus, & veneratio censebatur esse superstitiosa. Porro non propterêa Apostolorum tempore Imaginum non fuit usus, quia illicitus esset, aut veneratio illarum superstitiosa, sed quia agebatur de Judæis ad Religionem Christianam adducendis, quibus interdictus erat Imaginum cultus, & de Gentilibus pariter res erat ad Christum pertrahendis, qui Idolorum cultores erant, ne igitur Judæi paterentur scandulum, neve Gentilibus idololatriæ daretur periculum, conveniens fuit, spectatis his circumstantiis abusu & cultu Imaginum abstinere. Et si verò in Scriptis Apostolorum non occurrat textus pro usu & veneratione Imaginum, sed nullus etiam occurrit qui prohibeat usum ac venerationem illarum, & hoc sufficit, ut illa licita: & à superstitione aliena esse. merito censentur.

Ad 2dum. Distinctio hæc necessaria est, evertit enim totam Idololatriæ calumniam, quam Hæretici cultui Imaginum affingere solent. Cultus namqué absolutus illi tribuitur, cui de se debetur, relativus vero ei defertur, cui ratione alterius honor præstatur, quia ergo Imaginem cul-

tu relativo venerari, idem est; ac illam venerari non ex eo, quod ipsa sit, seu quod sit opus manuum hominum, quod tamen Idololatria unicè spectabat, sed ex eo, quod alium, qui cultu dignus est, repræsentat, jam manifestum est, à cultu Imaginum, crimen Idololatriæ longè abesse, eumqué hac nonnisi ratione, ut expositum est, Catholici Imagines venererentur, nihil prohibet specialibus terminis cultus absoluti, & relativi id exprimere. Prætereâ licetsi verba cultus relativi & absoluti, recenter inventa sint, sed res ipsa illis designata antiquissima est, cultûs namqué relativi in veteri etiam Testamento multa vestigia habemus, Terra in qua è medio Rubi locutus est Deus, sancta dicitur, & nonnisi detractis calceamentis Moyses super illam stare permissus est. Exodi cap: 2do. Arca fœderis sancta dicitur â Davide, atqué illam Josue cum Senioribus Israel adoravit. Josue cap: 7mo. Certè hic cultus relativus, non absolutus fuit, rèbus enim inanimatis, ob solam cum rebus Sanctis, & honore dignis habitudinem, atqué relationem, tribuitur, res ergo nomine cultûs relativi designata, jam tunc erat. Quod si itaqué in lege veteri, nec superstitiosum fuit, nec idololatrium res inanimatas, ob solam cum rebus Sanctis habitudinem, competente honore colere, pariter in lege nova, nec superstitio est, nec idololatria, Imagines ob solam ad personas sanctas, quas repræsentant, habitudinem, atqué relationem, competenter cultu relativô venerari.

Ad 3tium. Concilia Francofordiense, & Parisiense, Acta Concilij Nicœni 2di reprobârunt errore facti seducti, putantes per illud, cultum absolutum Imaginibus deferendum, approbatum fuisse. Error verò iste inde manavit, quia versionem Actorum Concilii Nicœni è Græca in Latinam fidelem, & authenticam minimè habuerant. Utraqué autem Ecclesia Latina, & Græca in substantia dogmatis conveniebat, scilicet Sacras Imagines retinendas, & venerandas esse, atqué nequé Concilium Francofordiense, nequé Parisiense negârunt, imo talem cultum Imaginibus deferendum esse agnoverunt, qualem S. Gregorius Magnus in suis Epistolis ad Severum, Januarium, ac Secundinum, illis competere docuit. Tota igitur controversia apud Latinos erat de modo, quo Imagines colendæ sint & quidem à principiô, nonnulli æstu abrepti, non solum Concilium Nicœnum 2dum, sed & Adrianum Summum Pontipcem, qui idem Concilium ratum habuit, erroris accusare ausi sunt. Verum sedatis animis, Actis Concilii Ni-

Nicœni 2di benè intellectis, ac omnibus maturè perpensis, in eandem ſententiam omnes convenerunt, Sacras ſcilicet Imagines, cultu relativô venerandas eſse.

ARTICULUS 2dus

De cultu, ac veneratione Sacrarum Reliquiarum.

Quæres 1mo. Utrùm veneratio Sacrarum Reliquiarum licita, & Religioni nostræ conveniens ſit?

Resp: Veneratio Sacrarum Reliquiarum, licita & Religioni nostræ conveniens est. *Probatur 1mo.* ex Scripturis Sacris, tum Veteris, tum novi Testamenti legitur Exodi cap: 13tio Hæbreos ex Egypto demigrantes oſsa Josephi ſecum reverenter, & honorificè detuliſse, igitur Sacri quidpiam in his oſsibus agnoverunt, illaqué honoraverunt, atqué de ipsis Eccleſ: cap: 49. dicitur: *Oſsa ipſius viſitata ſunt, & post mortem Prophetaverunt.* 2do- Regum cap: 13. tactu Oſsium Eliſæi Prophetæ mortuus revixit, & Eccleſ: cap: 48. de eo dicitur: *mortuum prophetavit corpus ejus* digna itaqué honoris ſunt oſsa illa, quæ â Deo electa fuerunt instrumenta digna tantorum miraculorum. Preterea Deuter: cap: 34. legimus Deum ipsum Moysis corpus ſepeliiſse, quæ ſepultura manifestum honoris signum est, & dum additur, illud ſepeliviſse in loco abscondito, ne adoraretur â populô, certè plùs quam expediebat, eo ipso significatur, Hebræos corpora Sanctorum honore digna reputâſse. Deniqué Josias Rex 4to Regum cap: 23. combustis multorum oſsibus, Eliſæi Prophetæ oſsa intacta reliquit, quod rursus signum reverentiæ erga reliquias Sanctorum erat. Sed & Christus venerationem Sacrarum Reliquiarum approbâſse videtur, dum mulierem ſangvinis fluxu laborantem, quæ magna fide ad eum acceſsit ut vestem ipsius tangeret, & illos qui rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, non repræhendit tamquam homines ſuperstitiosos, ſed & fidem ipsorum laudavit, atqué ſanitatem impertitus est. Insuper ex gratia ipsius, positis ſuper ægrotos, Pauli Apostoli ſudariis, & ſemicinctiis, *recedebant ab eis langvores, & Spiritus nequam egrediebantur*, prout legimus Actorum cap: 19no, pariter quoqué habemus Actorum cap: 5to, quod positi per plateas infirmi. S. Petri Apostoli transeuntis umbra illos attingente ſanitatem recuperârunt. Sanè si ſudaria S. Pau-

li,

li, & umbra S. Petri prætereuntis tantùm valuere dum adhuc viverent, certè non minùs valere debent eorum ossa, ac vestes, cùm jam modò, cum Christo regnant in cælis. Credibile quoqué est, dum sudariorum ac vestimentorum contactus sanavit infirmos, abegit dæmones, fideles tanta beneficia recognoscentes honorarios amplexus, & cùm reverentia oscula, illis salutis ipsorum instrumentis exhibuisse.

2do. Id quoqué probat constans, & perpetua traditio, quæ manifesta est ex antiquissima praxi Ecclesiæ, & ex unanimi Sanctorum Patrum consensu. Epistola Ecclesiæ Smirnensis apud Eusebium Hist: Eccles: libro 4to cap: 16to de Martyrio agens S. Polycarpi, qui sæculo 2do passus est, narratur quod fideles collegerint S. Martyris cineres tamquam omni gemmâ pretiosiores, eosqué loco decenti reposuerint, atqué postea singulis annis convenerint ad celebrandam natalem S. hujus Martyris. Acta etiam S. Ignatij Antiocheni Martyris, qui eodem 2do sæculo obiit, ab illius discipulis conscripta, referunt, solas duriores Sanctarum ejus Reliquiarum partes remansisse, quæ Antiochiam delatæ, Romæ siquidem passus fuerat, quasi inæstimabilis thesaurus reconditæ fuerunt. Sæculo 3tio de Sancto Cypriano Martyre Acta Proconsularia testantur, quod ne sangvis ejus defluens à terra absorberetur, linteamina à fidelibus ante eum posita sunt, post mortem vero ejus, corpus ipsius in proximo loco cum cereis, & magno triumpho repositum fuisse. Sed Reliquiis Sanctorum venerationem, honorem, ac reverentiam semper â fidelibus exhibitam fuisse testantur quoqué Sancti Patres Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nansianzenus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, quare cultus, ac veneratio Sacrarum Reliquiarum, antiquitati, & doctrinæ Apostolicæ conformis, unde cum primum Vigilantius contra venerationem Sacrarum Reliquiarum insurgere cæpit, eum statim S. Hieronymus: tamquam Novatorem confutavit.

Tandem venerationem Sacrarum Reliquiarum, licitam esse, Deo acceptam, atqué religioni nostræ competentem, probant innumera miracula, in Sanctorum invocatione, Reliquiarumqué veneratione à Deo patratâ, simulqué divinitùs beneficia, illas colentibus, concessa de quibus testantur SS. Patres Ephrem, Hilarius, Joannes Chrysostomus, Gregorius Turonensis, & alii multi. Quod autem istiusmodi miracula vera fuerint non imaginaria, aut supposititia, inde patet, quia non fuerunt pauca, sed per mul-

multa, non ab obscuris, stupidisque hominibus, ſed ab illustribus Eccleſiæ Doctoribus visa, audita, & ſcriptis consignata, eaqué tam multiplicia, ut si ea ſolum, quæ ad Reliquias S. Stephani, in una, alterave Provincia Patrata ſunt ſcriberentur, teste S. Augustino Libro 22. de Civitate Dei cap: 8vo plurimi conscribendi forent libri. Igitur quod Deus ipse honorandum eſse miraculis ostendit, id venerari licet. Et vetui etiam in Concilio Tridentino Seſs. 25. decisum, atqué definitum est, ſcilicet *Sacrarum Reliquiarum cultum & venerationem licitam eſse, & illarum contemptum impium, & damnatum.*

Quæres 2do. Qua ratione coli debeant Sanctorum Reliquiæ?

Resp: Reliquiæ Sanctorum 1mo. non ſunt colendæ ea veneratione, qua Sancti quorum ſunt Reliquiæ, honorantur, quemadmodum enim Imagines, ita & Reliquiæ Sanctorum, utpote res inanimatæ, cum Sanctis qui in Cælis regnant, comparari nequeunt, & Sanctæ dicuntur, honoranturqué, quia, ùt inquit Concilium Trident: corpora Sanctorum *viva membra fuerunt Christi, & Templum Spiritûs Sancti.* Unde etiam 2do. Reliquiæ Sanctorum non ſecundum ſe honorantur, ſed ſolum prout relationem habent ad Sanctos, quorum Reliquiæ ſunt, proindequé quemadmodûm Imaginum, ita etiam Sacrarum Reliquiarum cultus, non est absolutus, ſed relativus, quia totus refertur ad Sanctos, quorum Reliquiæ honorantur. Quare certum & indubitatum est, sicuti Sacris Imaginibus, ita nequé Sanctorum Reliquiis ullam ineſse vim, aut virtutem, miracula itaqué quæ ad Sanctorum Reliquias, ad illarum contactum patrantur, à Deo patrantur, & per Sanctorum interceſsionem à Deo impetrantur. Unde Concilium Nicœnum 2dum Art: 3tio sic inquit: *Martyrum oſsa morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impertiunt, lepros mundant, tentationes & mærores ſalvant, atqué id per Christum, qui habitavit in illis.*

Quæres 3tio. Quæ fuerit in Eccleſia circa Sacrarum Reliquiarum venerationem observata disciplina?

Resp: In exordiis Eccleſiæ, persecutionibus afflicti Fideles, SS. Martyrum corpora in occultiſsimis locis ſepeliebantur, ad quæ ſecreto conveniebant Deum oraturi. Sedatis verò persecutionibus, ſub altaribus collocari cæperant, atqué jam ætate S. Hieronymi, erectæ ſunt Basilicæ in memoriam Martyrum, Altarisqué ſuper eorum tumulis. Eodem ſæculo 4to cæperunt fideles SS. Marty-

tyrum ofsa, è tumulis effodere, ofsium particulas ad collum pendentes de ferre, prout S. Augustinus testatur. Et praxis recondendi Sacras Reliquias fub Altaribus ita deinceps invaluit, ut nullæ ædificari permifsæ funt Ecclesiæ, in quibus corpora, vel Reliquiæ Sanctorum non reperirentur. Posterioribus fæculis Reliquiæ Sanctorum cæperant exponi in Altaribus, imponi langventibus, & Energumenis, atqué piæ peregrinationes institui. Quæ omnia jam à multis fæculis in usu funt.

Quæres 4to. An Sanctorum Reliquiæ licitê & utilitêr in publicis fupplicationibus deferuntur, fidelium conspectui exponuntur, in Altaribus reponuntur, atqué ægris, & Energumenis applicantur?

Resp: Hæc omnia licitè, & utiliter frequentari. Cum enim generatim licitum sit, atqué utile Sanctorum Reliquias venerari, eo ipso licitum est easdem publicè deferre, in Altaribus recondere, ægris, & enurgumenis admovere, quia hæc omnia nihil aliùd funt, quam diversi modi venerandi Sanctorum Reliquias, atqué ejusmodi rituum exempla, in antiquiori Ecclesia, multa habemus exempla. Sic S. Ambrosius folemnitêr transtulit Reliquias SS. Gervasij & Protasij, Ofsa S. Stephani Protomartyris teste S. Augustino in plurima Africæ loca delata funt. Reliquias Sanctorum ægrotis ad recuperandam fanitatem admotas fuifse referunt Sancti Augustinus, & Gregorius Nyfsenus. Tandem per Reliquias Sanctorum fugatos fuifse dæmones, apud SS. Patres innumera extant exempla. Ergo praxes fidelium circa venerationem Sacrarum Reliquiarum à tot fæculis in Ecclesia usurpatæ, licitè, & utilitèr retineri pofsunt.

Obijcies 1mo. Nullum in Sacra Scriptura extat præceptum de venerandis Sanctorum Reliquiis, & Catholici venerando Sacras Reliquias incurrunt crimen Phariseum, qui fepulchra Prophetarum ornabant. *2do.* Pafsim etiam ad venerationem exponuntur Reliquiæ falsæ. Ergo venerari non debent.

Resp: ad 1mum. Nullum quidem in Sacra Scriptura extat præceptum de Sanctorum Reliquiis venerandis, unde etiam id ad falutem necefsarium efse minimè arbitramur, fed quiá tam in Scriptura Veteris Testamenti, quam etiam Novi multa hujus venerationis habemus exempla, & praxis atqué usus illius in Ecclesia Christi perpetuo viguerit, ideo dicimus Sanctorum Reliquias licitè, & utiliter coli, ac venerari pofse: Nequé per hoc crimen Pharisæ-

risæorum incurrimus, quia non ut ipsi Sanctorum Sepulchra ornando, larvam falsæ pietatis offertamus, moribus, & internis affectibus similes illis facti, qui Sanctos persecuti ſunt, illosqué occiderunt.

Ad 2dum. Omnis adhibetur cautio, atqué diligentia ne falsæ Reliquiæ pro veris obtrudantur, multaqué eâ fide ab Ecclesia constituta funt, quæ si accuratè observentur, error atqué deceptio timeri non debet.

Quæres 5to. Utrùm religiosæ peregrinationes ad ſacras Imagines, Reliquiasqué licitæ & utiles ſint?

Resp: Istiusmodi religiosas peregrinationes, & licitas, & utiles eſse. Praxis primorum Ecclesiæ ſæculorum id probat, jam enim tunc moris fuit ut fideles proficiscerentur ad ſepulchra Martyrum, & ad loca Mysteriorum operatione consecrata, prout legere est apud Eusebium Hist: Eccleſ: libro 6to cap: 11mo, & in vita Constant: libro 3tio cap: 42. Licètsi ergo Deus per ſuam immensitatem ubiqué præsens sit, nihilo tamen minus, pium & laudabilè est, piô affectu ſacra loca invisere, quia istiusmodi peregrinationes, ſunt quasi fidei Christianæ profeſsio, atqué carnis maceratio, quæ pars est ſanctæ pænitentiæ. Tandem quemadmodum Deus singulari modô populi Israelitici præces ſe in Templo velle exaudire appromisit, ita quoqué donorum ſuorum arbiter, uno potiùs quàm in alio loco ex Sanctorum interceſsionibus, gratias, ac beneficia ſua vult dispensare.

TRA-

TRACTATUS
DE
DIVINA GRATIA.

CAPUT PRIMUM

De notione, divisione Gratiæ, erroribusqué oppositis.

**

ARTICULUS 1mus

De notione ac divisione Gratiæ.

Quæres 1mo. Quid nomine gratiæ intelligendum sit?

Resp. Gratiæ nomen non uno ſensu in Sacris Scripturis accipitur, propriè tamen, id, quod gratis datur, gratia vocatur, & germanam hujus vocis significationem hanc eſse, à Paulo Apostolo discimus ad Romanos cap: 11. ſcribente: *Si gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Gratia si in ſuo fonte, atqué principio, quod Deus est, ſpectetur, nihil aliud est, quam ipsamet Dei bonitas, ac amor quo nos diligit, atqué nobis vult benefacere. Et tali ſensu consideratam gratiam, vocant Theologi æternam, increatam. Si vero gratia consideretur, proût à Deo collata, nobis inest, est effectus Divini amoris, bonæqué Dei erga nos voluntatis, qua hominibus vult benefacere, & hujus gratiæ nomine comprehenduntur omnia beneficia, quibus humanum Genus Deus largè & liberaliter cumulatus est. Quia verò dona, ac beneficia nobis â Deo collata, alia ordinem naturalem ſpectant, veluti bonum ingenium, constans valetudo, alia vero reſpiciunt statum hominum ſupernaturalem, ideo istiusmodi Dei dona & beneficia vocantur modò gratiæ naturales, modò ſupernaturales, proût vel ordinem hominis naturalem, vel statum ipsius ſupernaturalem ſpectant.

Quæ-

Quæres 2do. Quotuplices ſunt gratiæ ſupernaturales?

Resp: Multiplicis generis ſunt gratiæ ſupernaturales. Externæ & Internæ. Gratis datæ, & gratum faciêntes. Gratiæ *externæ* ſunt, per media externa, extra hominem posita quæ homini ad consequendam ſalutem auxilium præstant, talia ſunt, lex, prædicatio Evangelii, Christi exemplum, & alia. *Internæ* illæ ſunt, quæ hominem intrinsecus afficiunt, illumqué ad bona facienda permovent, quales ſunt mentis illustrationes, & voluntatis inspirationes. *Gratis datæ* ſunt dona ſupernaturalia ad aliorum præsertim ſalutem ordinata, ac proinde ad ejus, cui dantur, ſpiritualem profectum ſpeciatim non ordinantur. Istiusmodi gratias novem enumerat Paulus Apostolus Episp: 1ma ad Corinth: cap: 12mo ubi inquit: *Alteri per ſpiritum datur ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides, in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio ſpirituum, alii genera lingvorum, alii interprætatio ſermonum.* Has porro gratias ad utilitatem Ecclesiæ à Deo conferri certiſsimum est. Gratiæ *gratum facientes* ſunt dona ſupernaturalia, atqué interna. ad hominis, cui dantur, ſanctificationem, ſpiritualemqué profectum, a Deo liberaliter collata.

Quæres 3tio. Gratia gratum faciens quomodo dividitur?

Resp: Gratia: hominem Deo gratum, acceptumqué faciens, alia est habitualis, alia actualis, alia Creatoris dicitur, alia Redemptoris. Gratia *habitualis*, quæ etiam ſanctificans dici consvevit, illa est, quæ in cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffunditur, eisqué inhæret, ex injustis faciens justos, ex inimicis amicos Dei. *Actualis* illa est, quæ ad quoslibet in particulari actus ſalutares, qui naturæ nostræ ſuperant vires, à Deo elargitur. Gratia *Creatoris* illa dicitur, quæ Angelis & primo homini ante ipsorum lapsum à Deo collata fuit, ut in accepta justitia perseverare poſsent. Gratia *Redemptoris* est illa, quæ hominibus peccato Adami infectis, confertur, & quam Christus nobis promeruit, dicitur etiam medicinalis, quia nobis peccati vulneribus ſenciatis conceditur.

Quæres 4to. Quotuplex est gratia Redemptoris?

Resp: Gratia Redemptoris multiplex est, præveniens, & ſubsequens, operans, & cooperans, excitans, & adjuvans, *Præveniens* gratia illa dicitur, quæ omnem bonum voluntatis nostræ actum antecedit. *Subsequens* verò ea est, quæ vo-

voluntatis nostræ actum à gratia jam exercitatum subsequitur, quare gratia præveniens, omnis boni operis initium est, subsequens verè operi bono incrementum dat, & perfectionem. Utriusqué gratiæ meminit David Propheta, dicens Psalmo 68. *Misericordia ejus præveniet me*, & Psalmo 22. *Misericordia ejus subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* Gratia *operans* primum bonæ voluntatis nostræ affectum in nobis producit, *Cooperans* verò illa est, quâ, voluntas nostra jam bene gratia affecta, ipsum bonum opus exequitur. *Excitans* gratia illa est, quà nos, veluti profundo somno pressi, & de bono opere nihil cogitantes, ita excitamur, ut Sanctæ cogitationes, & pia desideria nobis inspirentur. *Adjuvans* verò ea dicitur, quâ homo inceptum bonum opus perficit. Postremæ duæ gratiæ divisiones nomine potiùs quam re, à præcedente differunt, unde gratia operans, & excitans, præveniens etiam est, & gratia cooperans & adjuvans, non minùs subsequens est. Ex eo autem quod gratia operans, excitans, atqué præveniens dicatur in nobis primum bonæ voluntatis affectum operari, omnemqué illius salutarem antecedere actum, inferri minimé potest, sub præveniente, atquè excitante gratia humanam voluntátem, veluti quoddam inanime esse. Quia scilicet voluntatis nostræ actus, quamvis omnes reipsa à voluntate agente procedant, attamen alii sùnt indeliberati, qui à nobis fiunt, nobis minimè consciis, alii deliberati, qui à nobis fiunt, nobis per intimam conscientiam sibi præsentibus. Gratia itaquê operans, excitans, ac præveniens, dum primos voluntatis nostræ salutares producit affectus, sinè nobis quidem deliberatè agentibus, & minime nobis consciis id efficit, unde in nobis, sinè nobis operari dicitur, quia scilicet nullum deliberatum præcesserat desiderium, petitio, sed non sinè nobis agentibus, & ad actum salutarem, licèt insciis, verè tamen activè concurrentibus.

Quæres 5to. Quæ est præcipua actualis Gratiæ divisio?

Resp: Hæc est præcipua, quod alia sit efficax, alia solum sufficiens. *Gratia efficax* illa est, quæ effectum suum sortitur, & cujus virtute homo illud perficit opus, ad quod perficiendum à Deo homini collata fuit. *Sufficiens* quæ effectum non obtinet, nequé cum opere, ad quod perficiendum data fuit, conjungitur. Porro efficacia gratiæ, si ex virtute ipsi intrinseca habeatur, dicitur efficax ab intrinseco, si aliunde repetatur; exg. ex con-

gruis circumstantiis, aut à voluntatis humanæ consensu, tunc erit efficax ab extrinseco. Gratia autem sufficiens, est & dicitur inefficax, non ideo tamen sic nominatur, quasi nullum ipsa in homine pareret effectum, semper enim & aliquam efficit mentis illustrationem, atqué aliqualem voluntatis motionem, seu boni cupidinem, sed debilem, ac imperfectam, unde pleno & completo opere ac effectu caret. Nonnisi verô à tribus sæculis conaverant Theologi gratiam inefficacem vocare sufficientem, nam apud veteres raro idem nomen usurpatum legimus, & plerumqué in sensu, ab eo, qui modo obtinet, admodum diverso. Imo quò sensu gratia inefficax dici queat sufficiens, nec Ecclesia definivit, nec ipsi Theologi inter se conveniut.

Quæres 6to. Sed in quo consistit natura Divinæ Gratiæ?

Resp: Communi hodie sententia, Gratia Divina, prout homini inest considerata, reponitur in illustratione intellectûs, & pia voluntatis nostræ motione, ita ut per illustrationem mentis oriatur in nobis cognitio illius, quod ad salutem conducit, & per motionem voluntatis inclinatio ad bonum salutare amplectendum. Scilicet inter maximas calamitates, quas originale peccatum induxit, meritó connumerantur ignorantia, & concupiscentia, illa facit ut homo, quæ Spiritûs Dei sunt non percipiat, concupiscentia verô plurium malorum causa est, quarè mala dicitur, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, Quamobrem cum Christi gratia ad sanandas animi nostri infirmitates data sit, ejus muneris est ignorantiæ dispellere tenebras, & inspirata superna dulcedine, ac svavitate, concupiscentiæ impetus comprimere, atqué ad mandata Dei observanda, exercitiumqué virtutis nos commovere. Et hoc definivit Concilium Carthaginense contra Palagianos Canone 5to. *Quisquis dixerit, gratiam Dei, propter hoc tantum nos adjuvare, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus, & valeamus, anathema est.* Attamen etsi gratiæ Divinæ attribuendum sit, quod mens intrinseca illustratione percipiat ea, quæ credere, sperare, agere debet, nihilominùs gratia Christi maximè in motione voluntatis ad bonum sita est.

Quæres 7mo. Quid sit ista motio voluntatis ad bonum, in qua præcipuè Christi Gratia consistit?

Resp: Secundum Sanctum Augustinum libro 4to contra

tra Epistolas Pelagii, *est inspiratio sanctæ dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus.* Verùm hic dilectio, & amor non sumitur pro amore benevolentiæ quô Deum propter se diligimus, qui etiam peculiari modo caritas nuncupatur, sed tantummodò sumitur pro pia animi affectione, qua bonum quodlibet prosequimur. Compertum siquidem est, fidem, spem, timorem, ceterasqué virtutes absquê benevolo Dei amore elicitas, dona esse Dei. Ideo autem omnis bonæ voluntatis motus, amor nuncupatur, quia ab amore derivatur, & ad amorem ducit.

Quæres 8vo. Gratia estné æqualis in omnibus?

Resp: Gratia non est æqualis in omnibus, sed diversos habet gradus, quod indé manifestissimê apparet, quod homo modò gratiæ Divinæ resistit, modò eidem cooperatur, concupiscentiæ etiam & tentationum vis non eadem est in omnibus hominibus, & modò à gratia vincitur, & superatur, modò non. Non eadem est ergo etiam gratiæ Divinæ vis, atque energia, habet itaquè gradus suos. Et id satis apertê innuit S. Augustinus libro 3tio de peccat: merit: ubi sic inquit: *Cur Deus illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantùm, illum autem non tantùm, penes ipsum est æquitatis tam secretæ ratio.*

ARTICULUS 2dus

De erroribus circa Gratiam exortis.

Quæres 1mo. Ex antiquioribus, qui circa Gratiam errant?

Resp: Dogma Catholicum est, gratiam Christi ad quemlibet actum salutarem, imo ad ipsum fidei initium necessariam esse. Dogmatis hujus hostes primi erant Pelagiani sæculo 5to exorti, quorum author fuit Pelagius. Sectatores ejus præcipui fuerant, Julianus Celanensis in Campania Episcopus, & quidam Cælestius Monachus. Ex errore Pelagianorum eodem sæculo 5to originem habuit error Semipelagianorum. Semipelagianismo originem dederunt Præsbyteri Massilienses sic dicti, quod in Urbe Massiliæ in Gallia congregati, docuerunt initium boni operis non à Deo, sed ab homine provenire, & hominem posse ad gratiam, quà in Christo renascimur pervenire, per facultatem naturalem, petendo, quærendo, pulsando, ut ideo homo accipiat, ideo inveniat, quia bono naturæ bene

nè usus est. Præcipui hujus erroris Authores fuerunt, Præsbyteri Maſsilienses, & inter hos nominatim Caſsianus Abbas, Faustus Episcopus Reinensis, Gennadius, & Vincentius Lirinensis.

Quæres 2do. Qui errores Pelagianorum, aut Semipelagianorum renovârunt?

Resp: Semipelagianorum errores renovârunt ſæculo 9no Scotus Erigena, & ſæculo 12mo plures alii, quemadmodum testantur Sancti Anselmus, & Bernardus. Sæculo autem 16to Lutheri Sectatores, errores Semipelagianorum foverunt. Eodem ſæculo 16to errores Pelagianorum, & Semipelagianorum adoptârunt Hæretici ex Calvinistis, Ariminenses dicti, tandem Sociniani, & nonnulli ex modernis Acatholicis. Per istiusmodi verò Pelagianorum, ac Semipelagianorum errores gratia Christi deprimebatur, & Liberum hominis arbitrium multum extollebatur. Verùm alij ex adversò exorti ſunt errores: qui nimis gratiam Christi extollentes, liberum hominis arbitrium tollebant.

Quæres 3tio. Quinam Gratiam Christi nimium extollendo, liberum hominis arbitrium ſupprimebant?

Resp: Elevando vires gratiæ, libertatem humanam tollebant, precipuè Jansenistæ docentes, voluntatem humanam ſub motione gratiæ neceſsario agere, nequé in potestate hominis eſse, gratiæ refragari. Jansenistarum Author fuit Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis, cujùs famosæ ſunt quinqué Propositiones à Romanis Pontificibus, acceptante: ac plaudente universa Ecclesia condemnatæ, ac proscriptæ. 1ma est: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, ſecundum præsentes, quas habent vires, ſunt impoſsibilia, deest quoqué illis gratia, qua poſsibilia fiant.* Damnata est ût temeraria, impia, blasphema, & hæretica. 2da est: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* 3tia hæc est: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à neceſsitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Ambæ istæ propositiones damnatæ ſunt ût hæreticæ. 4ta est! *Semipelagiani admittebant prævenientis interioris gratiæ neceſsitatem, & in hoc errant Hæretici, quod vellent eam talem eſse, cui poſset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Hæc proscripta fuit ût falsa, & hæretica. 5ta tandem est ista: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſse.* Hæc vero propositio proscripta est ût falsa, temeraria, ſcandalosa, atquè intellecta eo ſensu, quod Christus

stus pro ſalute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumelioſa, Divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur: Jansenio præiverat Michael Bajus, Jansenii vero Sectatores præcipui erant Paschasius Quesnel, & Antonius Arnald.

CAPUT SECUNDUM

De necessitate Gratiæ Divinæ.

ARTICULUS 1mus.

De neceſsitate Gratiæ Divinæ ad opera ſalutaria.

Quæres 1mo. Quid per opera ſalutaria intelligendum ſit?

Resp: Opera hominis bona duplicis generis ſunt. Alia ſunt ordinis naturalis, quæ nequè ex ſupernaturali procedant motivo, nequè ad finem ſupernaturalem ordinantur, ſed intra naturæ humanæ limites sistunt, talis est ex instinctu humanitatis, ac condolentiæ pauperi data eleemosina, ad ſublevandam ejus indigentiam: Alia ſunt opera ordinis ſupernaturalis, quæ ſcilicet ex motivo ſupernaturali fiunt, & ad finem ſupernaturalem diriguntur, talis est datio eleemosynæ pauperi ex charitate proximi nobis à Christo præcepta, & in verbo ipsius facta, *quicunque potum dederit uni ex minimis istis, non perdet mercedem ſuam.* Math: cap: 10. Porro hæc ordinis ſupernaturalis bona opera, ſalutaria dicuntur, sive à justis fiant, sive à peccatoribus, quia ad ſalutem æternam quoquo modò hominem disponunt, ad illam consequendam conducunt, atquè conferunt. Et de istiusmodi operibus ſalutaribus præcipua erat inter Catholicos, & Pelagianos controversia unde S. Augustinus libro 4to contra Julianum cap: 3tio inquit: *Scito, nos illud bonum dicere, per quod homo potest ad æternum Dei donum, regnumquè perduci.*

Quæres 2do. Utrùm gratia Divina ſit homini omnino neceſsaria?

Resp: Gratia Divina, ad omne opus ſalutare adeo est homini neceſsaria, ut sinè illa nullum opus ſalutare per-

agere

agere posſit. Idqué ex Sacra Scriptura patet luculentiſsime. Joannis cap: 15to inquit Christus: *Sinê me nihil potestis facere*, unde Apostolus Paulus Epist: 2da ad Corinth: cap: 3tio ait: *Nonquod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, ſed ſufficientia nostra ex Deo est.* Nullum ergo opus ſalutare sinè Christo, sinè Ipsius gratia perficere poſsumus, ſed nequé illud inchoare propriis viribus valemus, quoniam etiam ſalutariter cogitare à nobis, quasi ex nobis non ſumus ſufficientes, ſed ad bona ſalutaria inchoanda atquê perficienda tota ſufficientia nostra ex Deo, gratiaqué ipsius est. Meritò itaqué dixit Apostolus ad Philip: cap· 2do. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et vero quidquid ad nostram Salutem vel disponit, vel perducit, id omne ex Dei liberalitate recipimus, unde in nulla re ſalutari quasi ex ſolis naturæ viribus proveniente gloriari poſsumus, ut docet Paulus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 4to. *Quis te discernit, quid habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Igitur omne initium, progreſsum, finemqué cujuslibet boni operis ad ſalutem conducentis, à Christi gratia repetere neceſse est, atqué ideo idem Apostolus in Epist: ad Rom: cap: 9no affirmat Salutis nostræ opus. *Non valentis, nequé currentis, ſed miserentis Dei eſse.* Quare Concilium Arausicanum 2dum, cui universus Catholicus Orbis ſubscripsit, sic statuit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalutari, id est Evangelicæ prædicationi consentire poſse confirmat, absqué illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, hæretico, fallitur ſpiritu.* Et ſanè felicitas ad quam tendimus, ſupernaturalis est, media igitur etiam ad illam consequendam ſupernaturalia eſse debent, quæ alia non ſunt nisi opera ſalutaria, ad illa vero cum vires naturales minimè ſufficiant, gratia Christi omninò opus est. Concludendum itaqué est cum S. Augustino Libro de gratia Christi cap: 26. *Gratiam Dei ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſiné illa, quod ad pietatem pertinet, veramqué justitiam, fieri poſse non dubitet.*

Quæres 3tio. Utrùm Gratia Christi non ſolùm in genere ad ſalutariter agendum neceſsaria ſit, ſed etiam ad singulos actus ſalutares requiratur?

Resp: Gratia Christi non ſolûm in genere ad ſalutariter agendum neceſsaria est, ſed etiam ad singulos actus ſalutares omnino prærequiritur. Namqué Isaiæ cap: 26. de

de Deo dicitur: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, quod etsi de omnibus generatim operibus dictum sit, potiori tamen jure de operibus salutaribus intelligi debet, quæ specialiter Dei opus sunt, unde Jacobus Apostolus in Epistola sua cap: 1mo ait: *Omne donum perfectum de sursum est.* Et vero nec semper ad id, quod bonum agendum est, serio attendimus, aut etiam si compertum nobis est, quid agendum sit, aliquando tamen non ita erga illud affecti sumus, ut facere velimus. Ergo tunc Divina gratia necessaria est, ut illius illustratione nobis innotescat bonum, quod agendum est, & ipsius motione excitati, reipsa illud apprehendamus. Ad singulos ergo actus salutares gratia Dei necessaria est. Et id à Conciliis definitum est. Africanum, teste S. Prospero in Responsionibus ad 8vum Caput Gallorum sic statuit: *Gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari, ut sine illa nihil veræ, sanctæque pietatis dicere, cogitare, agere volamus.* Unde S. Augustinus in Epist: 217. ad Vitalem scribens inter fidei Catholicæ dogmata recenset. Gratiam Dei ad singulos actus dari.

Quæres 4to. An etiam justis ad singulos actus salutares Gratia Dei sit necessaria?

Resp: Etiam justis ad singulos actus salutares, gratia Dei actualis est necessaria. Cum enim gratia Dei generatim homini necessaria sit ad opera salutaria, inde consequitur ipsam justis etiam esse necessariam, illos siquidem ab hac excipere necessitate, nulla cogit ratio, imò satis expressè Christus Math: cap: 6to justis quoqué ad opera salutaria necessariam esse gratiam insinuavit, ipsis injungens ut petant *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, quibus docemur Sanctos etiam, dum in mortali corpore degunt, Divinâ gratiâ indigere, ut tentationes ad peccata trahentes vincere possent. Certè Propheta David jam per pænitentiam justificatus, ad Deum tamen clamat Psal: 26. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Unde Concilium Arausicanum 2dum Canone 10. definivit: *Adjutorium Dei etiam renatis, & sanatis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire & in bono possint opere perdurare.*

Objicies 1mo. Si gratia necessaria est ad actus Salutares, eo ipsô, quia gratia non est in nostra potestate, Deus nobis præcipit impossibilia. *2do.* Posito quod siné gratia

tia nullum opus ſalutare fieri poſsit, tunc actus ſalutares nequeunt dici actus noſtri.

Resp: ad 1mum. Deus, ad peragenda illa, quæ præcipit, neceſsariam non denegat gratiam, quare non ſunt impoſsibilia ea, quæ nobis Deus præcipit.

Ad 2dum. Quàmvis ad quèmlibet actum ſalutarem Deus per gratiam concurrat, nihilo tamen minùs, quia actus ſalutaris noſtram requirit cooperationem, & cum illa per gratiam Divinam perficitur, omnis actus ſalutaris noſter eſt.

Quæres 5to. An non ergo in justis ad benè operandum ſufficit Gratia habitualis?

Resp: Non ſufficit, ſed præterea neceſsaria eſt gratia actualis. Habitus enim quicunquè nunquàm in actum prorumpunt niſi moveantur, unde S. Thomas Doctor Angelicus multis probat, gratiam actualem moventem & excitantem eſse neceſsariam, ut gratia habitualis in actum prorumpat. Et certè etiam in juſtis ſemper adeſt difficultas ad benè operandum, ſeu ex tentationibus, quæ ſemper ingruunt, ſeu ex concupiscentia, & naturæ infirmitate. Cum verò facultas, etiam habitu inſtructa operari nequeat, niſi impedimentum, ac difficultas, ſi quæ eſt tollatur, ut ergò gratia habitualis in juſtis operetur, per gratiam actualem, impedimenta, difficultates, quæ ad bene operandum occurrunt, tolli debent. Unde S. Auguſtinus libro de natura, & gratia cap: 26. inquit: *Sicut occulus corporis etiam pleniſsimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cerrnere, ſic homo etiam juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere.*

Quæres 6to. Utrùm etiam ad fidem, atquè ad ipſum quoquè fidei initium, gratia Dei ſit neceſsaria?

Resp: Ad ipſam etiam fidem, imo ad initium quoque fidei, ac primos credulitatis affectus, gratia Divina eſt omninò neceſsaria. Dogma hoc manifeſtum eſt ex Sacris Scripturis. Sic Apoſtolus Paulus ad Eph: cap: 2do de fide ait: *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt. Non ex operibus, ut ne quis glorietur,* & ad Philip: cap: 1mo inquit: *Vobis donatum eſt à Chriſto, non ſolùm ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini.* Fides ergò à Deo donatur, & quidem gratis, quia non ex operibus eſt, nequè propter opera, ne quis glorietur, Dei bonum eſt, conſequentèr & gratia ipſius. Ergo nonniſi ex Dei liberalitate haberi poteſt. Ad fidem igi-

igitur gratia Divina omninò necessaria est. Et certè sinè gratia Divina fidem haberi non posse, ac proinde ad fidem gratiam omninò esse necessariam, ipse Christus expressis asserit verbis Joan: cap: 6to. *Nemó potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, eum traxerit:* ex quo apparet neminem posse in Christum credere, fidemqué in Eum habere nisi gratia cælesti attractus fuerit, undè ibidèm statim subdit Salvator. *Nemó potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre.*

Verùm etiam ipsum fidei initium, ac pios credulitatis affectus, â gratia Divina provenire, & sinè illa ea haberi non posse ex eo luculentissimè constat, quia Divina gratia omnem pium voluntatis nostræ prævenit motum, illum in nobis efficit, quia ipsum etiam velle Deus in nobis operatur, mentem nostram quasi somno sopitam, ipse excitat, cunctaqué pia desideria nobis inspirat. Tandem quidquid boni habemus ex sola beneficentia Dei descendit, cum itaqué ipsum etiam fidei initium, atqué pij credulitatis affectus, & boni, & salutares sint, nullum est dubium illos sinè Divina gratia haberi non posse. Certê expressè docet Apostolus Epist: 2da ad Corinth: cap. 3tio, quod non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est- Igitur quodlibet pium desiderium, quælibet pia cogitatio à Deo est, evidentèr ergo concluditur initium quodvis fidei, atqué pios credulitatis affectus gratiæ Divinæ esse tribuendos.

Et verô juxta doctrinam Apostoli mòx laudatam fides, qua in Christum credimus, non est ex nobis, non est ex operibus nostris, ne quis glorietur, sed donum Deì est, à Deo nobis donatum. Porro si initium fidei, si pij credulitatis affectus essent à nobis, & sinè gratia ex nobis, jam fides esset êx operibus, conatibus nostris, jam homo haberet, unde gloriari posset, jam fides non donum, & datum Dei esset, sed opus nostrum. Hæc verò cùm fidei Catholicæ contraria sint, firmiter tenendum est, ipsum etiam initium fidei, atqué pios credulitatis affectus à Deo esse, & sinè Divina gratia illos haberi non posse. Atqué id à plurimis Conciliis definitum est; Arausicanum 2dum Canone 5to sic statuit. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumqué credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, non per gratiæ donum, idest per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis esse dicit, adversarius Apostolicis dogmatibus probatur.*

Ve-

Verum tamen dum gratia Dei ad fidem necessaria esse dicitur, sensus est, sinè auxilio gratiæ Divinæ neminem posse habere fidem salutarem, neminem scilicet posse credere fide Divina quæ est propter authoritatem Dei revelantis, & ex pio in ipsum affectu procedit, qua homo sese Deo submittit ad obediendum fidei in rebus etiam quæ humanam superant rationem. Hinc nuda veritatum religionis cognitio, lectione & studio acquisita, quæ adjunctum non habet pium credulitatis affectum, non gratiæ Divinæ, sed hominis opus est, qua redditur homo sciens, non veró credens, atqué ejusmodi religionis Christianæ notitiam etiam Mahumetanus habere potest.

Objicies 1mo. Aput Isaiam cap: 30. dicitur: *Expectat Dominus ut misereatur.* Zachariæ cap: 1mo inquit Deus: *Convertimini ad me, & Ego convertar ad vos.* In Proverbiis etiam Cap: 16to: scriptum est, *Hominis est præparare animam:* tandem Paulus ad Roman: Cap: 7mo: asserit: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio,* & Jacobus Apostolus Cap: 4to: ait: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Fidei ergo & sanctificationis nostræ, ac omnium bonorum operum initium, voluntati nostræ ad benè agendum se præparanti, ac disponenti adscribendum est. *2do* nequé etiam de sunt in Sacris litteris exempla, quibus ostenditur per opera moralitèr bona, solis naturæ viribus patrata, fidem non paucos obtinuisse, sic Cornelius Centurio Actorum Cap: 10mo: Zachæus Luce Cap: 19no desiderio animatus Christum videndi, arborem Sycomorum ascendit, & ab ipso audire meruit: *Hodie in domo tua oporter me manere,* Nathanael non minus, quoniam in eo dolus non erat, à Jesu ad fidem vocatus est.

Resp: ad 1mum. Nos conamur, volumus quod bonum est, nostramqué preparamus voluntatem, gratiæ prævenientis auxilio, cujus meritô fit, ut uberiores à Deo recipiamus gratias, quibus bonum ipsum perficere valemus. quare quemadmodum dicitur: *Convertimini ad me,* ita quoqué legimus Psal: 79. *Deus converte nos,* & libro Thren: cap: 5to. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Apostolus etiam dum dixerat velle adjacet mihi, ipse ad Philippenses ait Deum in nobis etiam velle, operari.

Ad 2dum. Cornelius Centurio inter Judæos commorans, unius Dei habebat notitiam. & non sinè aliqua fide eleemosynas donabat, & orabat, ut docet S. Augustinus libro

libro de prædestin: Sanctorum cap: 7mo Zachæus quoqué bonum Christum videndi desiderium, ex gratia obtinuit, unde subjungitur. *Hodié huic domui salus facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ* per fidem nempè in Christum Salvatorem, quam exemplo Abrahæ ex gratia habebat. Nathanaelem quoqué Divina gratia fuisse præventum; ostendit S. Bernardus Serm: 78. in Cantica, ubi sic inquit: *Invenit quoque Philippus Nathanaelem, sed priùs Dominus illum, cum esset sub ficu viderat, quæ Domini visio nunquid non præparatio fuit?*

Quæres 7mo. Qualis est ista Gratia, quæ ad opera salutaria omnino necessaria esse dicitur?

Resp: Gratia Divina, quæ ad omnia salutaria opera necessaria est, non est gratia externa, quæ consistit in libero hominis arbitrio, lege, doctrina, exemplis atqué præceptis Christi: sed est gratia interna, quæ non solum mentem illustrat, sed etiam voluntatem excitat, & movet. *Probatur.* Illa gratia ad opera salutaria est omnino necessaria, qua Deus, secundum Apostolicam doctrinam velle & perficere in nobis operatur, & ex cujus non nisi auxilio sufficientes sumus cogitare illa quæ recta, ac nobis salutaria sunt. Porro talis gratia interna est, mentem nostram, ac voluntatem ipsa afficit. Ergo ad opera salutaria non sufficit gratia externa, sed interna omnino necessaria est, atqué istiusmodi gratiam ad opera salutaria semper requirebat Ecclesia, unde Concilium Diospolitanum referente S. Augustino libro de gestis Pelagij cap: 14. damnavit Pelagianos, quia gratiam Divinam in libero hominis arbitrio, in lege atqué doctrina reponebant, Concilium Milevitanum can: 4to sequentem Pelagianorum damnavit sententiam: *Non aliam dari gratiam in adjutorium, quam illam, quæ revelatur & aperitur intelligentia mandatorum Dei, ut sciamus quid appetere, quid evitare debeamus.* Unde S. Augustinus libro de gratia Christi cap: 24. sic inquit: *Gratia interna atqué occulta mirabili, atqué ineffabili potestate operatur in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et certè omnia Concilia contra Pelagianos, & Semipelagianos celebrata, gratiam Divinam ad opera salutaria necessariam, in illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti reponunt, interna ergo est, non externa, nequé in lege, doctrina, aut in Christi exemplis, sive præceptis constitui ipsa potest.

Quæres 8vo. Forté Gratia Divina non ad simpliciter, *salu-*

ſalutaritèr operandum, ſed ad faciliùs opera ſalutaria perficienda erit neceſsaria?

Resp: Non ad facilius tantùm opera ſalutaria perficienda utilis est Divina gratia, ſed ad simplicitèr illa peragenda, omninò neceſsaria. Et id in Conciliis definitum est. Carthaginense Canone 4to. *Quicunque dixerit ideò nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere jubemur per liberum arbitrium, faciliùs poſsimus implere per gratiam, tamquàm etsi gratia non daretur, non quidem facile, ſed tamen poſsimus etiam ſinè illa implere mandata Dei, anathema sit.* Concilium quoqué Tridentinum Seſs: 6ta Can: 2do sic statuit: *Si quis dixerit, ad hoc ſolum Divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut faciliùs homo justè vivere, ac vitam æternam promereri poſsit, quaſi per liberum arbitrium sinè gratia utrumquè, ſed ægrè tamen, & difficulter poſsit, anathema sit.* Et certè Joan: cap: 15. Christus dixit: *Sicut palmes non potest facere frustrum à ſemetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis* quemadmodum igitur absolutè neceſsariùm est palmiti ad proferendos fructus, ut maneat in vite sic & nobis ad bona ſalutaria perficienda absolutè neceſsariùm est, ut in Christo maneamus, & cum auxilio gratiæ ipsius benè operemur, quia ut ibidem ſubjungit Salvator, sinè illo nihil prorsus facere poſsumus, *sine me nihil potestis facere.* Apostolus quoqué Paulus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 3tio docet absolutè & sinè ulla limitatione, aut restrictione nos non eſse ſufficientes ut etiam ſalutaritèr aliquid cogitemus ex nobis, quasi ex nobis, ſed totam nostram ſufficientiam ex Deo eſse docet, ex auxilio gratiæ ipsius. Ergo gratia Divina ad opera ſalutaria absolutè neceſsaria est, adeo ut sinè illa, ipsa nullatenus fieri poſsint. Unde Augustinus in fine libri de gratia Christi sic inquit: *Si consenserit nobis Pelagius non ſolùm poſsibilitatem in homine, ſed etiam ipsam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, ut sinè illo adjutorio nihil benè velimus, & agamus, nihil de adjutorio gratiæ Dei, inter nos controversiæ relinquitur.* Ipsa ergo poſsibilitas operis ſalutaris, illius velle, atqué executio ipsius, gratiæ Divinæ tribuenda ſunt. Non igitur ad faciliùs tantùm operandum ſalutaritèr neceſsaria est gratia, ſed prorsus & absolutè ad opèra ſalutaria ipsa prærequiritur.

Quæres 9no. Ut homo in bono usqué ad finem vitæ perſeveret, estnè Gratia neceſsaria?

Resp: Ut homo in bono usqué ad finem vitæ perseveret,

veret, atqué stabiliter permaneat, opùs est gratia Divina. *Probatur* id *1mo* ex Scripturis sacris. Jeremiæ cap: 42. dicitur: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me*, in quem locum S. Augustinus libro de dono perseverantiæ cap: 2do sic ait: *Talis, ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant*, & S. Paulus ad Philip: cap: 1mo inquit: *qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu Christi.* Ex quibus manifestùm est Deum specialitèr justis sanctum immittere timorem ut non recedant ab eo, sed ut perseverantèr ipsi adhæreant, ipsi quoqué Deo tribuitur, bona nostra opera usqué ad diem Jesu Christi perficere. Igitur ut homo in bono usqué ad finem vitæ perseveret, gratia Dei omnino necessaria est; quare Ecclesia semper reprobavit errorem Semipelagianorum, qui teste S. Augustino libro de dono perseverantiæ cap: 17. docebant, Perseverantiam in bono usqué ad finem, viribus humanis non verò gratiæ Dei adscribendam esse, et ideo Concilium Arausicanum 2dum Can: 10. expressè definivit: *Adjutorium Dei etiam renatis, & annatis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono opere possint perdurare.*

2do: Id quoqué ex constanti Ecclesiæ sensu atqué non interrupta traditione confirmatur. Et traditionis testes sunt Sancti Patres, ac præsertim Augustinus, qui ut perseverantiam in bono, donum Dei esse ostenderet, specialem ea de re scripsit librum. Sensus veró Ecclesiæ liquet ex Orationibus, ab illa usurpari solitis, in quibus perseverantia in bono à Deo continuò postulatur, & hoc argumento usus est S. Augustinus, unde inquit libro de dono persev: cap: 6to. *Cur autem perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo, an & illa irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante, esse in hominis potestate.*

Quæres 10mo. Perseverantia in bono usqué ad finem vitæ, estné donum Dei speciale?

Resp: Perseverantia in bono usqué ad finem vitæ, est donum Dei speciale Hoc Concilium Tridentinum Sess: 6ta. Canone 22: expressè definivit. *Si quis dixerit, justificatum vel siné speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*, Et Can: 16to perseverantia usqué in finem appellatur *magnum donum*. Unde & S. Augustinus libro de Correp: & gratia cap: 6to sic inquit: *Negare non possumus perseverantiam in bono*

pre-

proficientem usqué in finem; magnum esse Dei munus. Et certè quemadmodum Jeremiæ cap: 42. dicitur, Deus specialitèr immitit justis Sanctum sui timorem, ut ab ipso non recedant, sed in accepta justitia permaneant, peculiari igitur gratiæ suæ auxilio efficit, ut in finem usqué vitæ suæ in bono perseverent, nequé frustra Deus hoc peculiare justis auxilium concedit, est ergo ipsis ad perseverandum usqué in finem necessarium. Præterea singulari Divina Providentia sæpè fit, ut justi, quamdiu justi sunt, & beneplacita est Deo anima illorum ex hac vita discedant, ne malitia immutet intellectum ipsorum, & ne fictio decipiat animas illorum, undé dicitur Sapientiæ cap: 4to: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, & ne fictio deciperet, animam illius. Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Singulari ergo Dei protectione justi usqué ad finem vitæ præcaventur à malo, in statu justitiæ ex hac rapiuntur vita, singulari etiam, ac speciali adjutorio usque ad finem vitæ in bono perseverant. Perseverantia igitur finalis in bono, singulare est donum Dei, sane quod non est commune omnibus justis, & quod nonnisi ex inscrutabilibus judiciis Dei procedit, singulare ac speciale donum est. Porrò perseverantia in bono finalis, non est omnibus justis communis, multi siquidém qui toto vitæ tempore justi erant, in fine defecerunt: & Augustinus libro de dono Perseverantiæ cap: 8vo cur uni perseverantia detur, alteri non detur, ad inscrutabilia judicia Dei recurrit, sic inquiens. *Ex duobus piis cur huic detur perseverantia, illi autem non detur, inscrutabilia sunt judicia Dei.* Ergo finalis in bono perseverantia singulare, ac speciale donum Dei est.

Dices: Si donum perseverantiæ finalis speciale sit, in culpa non erit justus si non perseveret, quia speciale perseverantiæ donum à Deo non accepit.

Resp: Quod justus reipsa in bono non perseveret, semper ipsius culpa est. 1mo: Quia cum ordinariis gratiæ auxiliis potest in bono perseverare, quia cum illis tentationes superare & peccata evitare potest. Quare Apostolus Paulus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 13tio inquit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere,* qui autem adjuvante Deo possunt tentationes superare, possunt etiam perseverare. Undè etiam S. Augustinus libro de Corrept: & gratia cap: 7mo de homine justo

sto sic inquit. *In eo quod audieras, & tenueras, in eo perseverares, si velles.* Ergo justus per ordinaria gratiæ auxilia potest in bono usqué in finem perseverare. Si itaqué iis auxiliis non rectè utatur, atqué reipsa non perseveret, ipsius culpa est. *2do*: Auxilium speciale ad perseverandum in bono usqué in finem, justus supplicitèr promereri potest. Id docet S. Augustinus libro de dono Perseverantiæ cap: 6to dicens: *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest,* & cap: 7mo inquit: *Poterat etiam non orantibus dari, sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia.* Nequé frustra Ecclesia pro impetrando dono perseverantiæ orationes multiplicat, nisi quia supplicibus orationibus à Deo obtineri potest. Oportet ergo ut quisqué tum assiduò bonorum operum exercitia, tum jugi oratione, magnum finalis perseverantiæ donum à Deo obtineat, quibus si desit, ipse sibi imputet. Undé & Concilium Tridentinum Sess: 6ta cap: 13tio inquit: *Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.*

At inquies: S. Augustinus, id, quod perseverantia finalis uni detur, alteri non detur, ex judiciis Dei inscrutabilibus unice repetit, quæ certè non sunt in nostra potestate.

Resp: Perseverantia finalis est perennis, & non interrupta in bonis operibus usqué ad finem vitæ permanentia, proindequé importat gratiarum efficacium complexionem, quibus homo justus præmunitus concupiscentiæ impetus frangit, dæmonum tentationes propulsat, mandata Dei custodit, atqué in adepta justitia, sanctitatequé ex hac vita decedens, vitam obtinet æternam. Manifestissimè ex inde elucet perseverantiam finalem donum Dei esse singulare, speciale ac prorsus gratuitum, quod cuì datur misericordìtèr conceditur, cui non datur, justè denegatur, atqué tristissima constat experientia, etiam justissimos post excellentia merita, quandoqué prolapsos, in cæpta justitia non permansisse, atqué in hoc apparent inscrutabilia judicia Dei. Et quamquam magnum perseverantiæ finalis donum supplicitèr, ac de congruo tantûm emereri possit, strictè tamen, seu de condigno promereri nequit. Hinc clamat Apostolus ad Philip: cap: 2do: *Cum metu & timore salutem vestram operamini* & 1ma ad Corinth: cap: 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

Quæres 11mo: Utrum per ordinaria Gratiæ dona, per totam vitam potest quis omnia etiam venialia evitare peccata?

Resp

Resp: Per ordinaria gratiæ dona, siné speciali dono, nemò potest per totam vitam omnia etiam venialia evitare peccata. Enim verò in Scripturis Sacris nullus hominum ab omni peccato immunis dicitur, imô omnes peccatis subditi efse censentur, undé Joannes Apostolus Epist: 1ma cap: 1mo inquit. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est,* imò etiam justi, qui eo ipso, quod justi sint, ordinariis auxiliis gratiæ perfruuntur, multoties peccare dicuntur. Proverbiorum cap: 24. *Septies cadet justus, & resurget.* Igitur quoniam justi, ordinariis gratiæ instructi auxiliis sæpiûs venialiter peccent, ad vitanda omnia per totam vitam venialia etiam peccata, speciali opùs est gratia. Et istud Concilium Tridentinum Sefs: 6ta Canone 23. his verbis definivit. *Si quis dixerit hominem justificatum pofse in tota vita omnia peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia anathema sit.* Atqué id docent Sancti Patres, Augustinus, Bernardus, atqué alii.

Dices: Non solum justus, sed etiam peccator cum ordinariis gratiæ auxiliis, quodlibet peccatum etiam veniale vitare potest. Ergo & omnia vitare potest.

Resp: Verùm est, non solùm justum, sed etiam peccatorem cum ordinariis gratiæ auxiliis abstinere pofse à quolibet etiam veniali peccato in particulari & seorsivè considerato, seu ab omnibus & singulis distributivè sumptis, alias illud peccatum, quod vitare homo non pofset, non efset peccatum, quia non efset liberum, sed necefsarium, inde tamen minimè sequitur ipsum omnia etiam venialia simul & collective sumpta, evitare pofse, quemadmodum enim homo robustus, licètsi pofsit centum homines sigillatim prosternere, non tamen id efficiet, si centum illi homines aut simul irruant, aut sibi continuò & immediatè in illum irruendo succedant, ita quoqué, quamvis nullum sit singulare peccatum, cui homo maximè justus, pares non habeat vires ad illud evitandum, si tamen venialium peccatorum spectetur multitudo, & tentationum frequentia, necefse est eum deficere, & ubi uni conatur resistere, alteri succumbere, ńequé enim potest homo erecto semper, ac vigili animo obrepentes undequaquè tentationes superare, & insurgentes pafsim concupiscentiæ motus constanter comprimere. Quod ergo homo etiam justus cum ordinariis gratiæ auxiliis, siné speciali Dei privilegio, toto vitæ tempore non pofsit omnia & singula e-

etiam

etiam venialia evitare peccata, ratio unica est, infirmitas humanæ nostræ naturæ. Undé S. Hieronymus libro 2do contra Pelagianos sic inquit: *Quamdiu finis ille adveniat, necesse est nos subiacere peccato, non naturæ & conditionis vitio, sed fragilitate, & mutatione voluntatis humanæ.*

Quæres: 12mo: Singulare Dei Privilegium, omnia, toto vitæ tempore, etiam venialia evitandi peccata, cui concessum fuerat?

Resp: Illud Privilegium nulli puro homini, præterquam B. V. Mariæ concessum esse. Id innuit Concilium Tridentinum Sess: 6ta Can: 23: ubi Privilegium omnia etiam venialia, toto vitæ tempore evitandi peccata, ex mente, & sensu Ecclesiæ B. V. Mariæ competere affirmat, nullius alterius qui eo pari modo gauderet, facta mentione. Quare S. Augustinus libro de natura & gratia cap: 36. scripserat. *Excepta Sancta Virgine Maria, si omnes alios Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare utrùm essent sinè peccato? Nonne una voce clamâssent. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.*

ARTICULUS 2dus.

De necessitate Gratiæ Divinæ ad opera bona ordinis naturalis.

Quæres 1mo. Utrùm homo sinè Gratia Divina, viribus naturæ possit bonum ordinis naturalis & cognoscere, & perficere?

Resp: Homo sinè Gratia Divina, solis naturæ viribus, multa bona ordinis naturalis, & cognoscere & perficere potest, non tamen omnia. Enimvero ex Conciliis Arausicano 2do, & Tridentino discimus per peccatum originale totum hominem secundum corpus & animam indeteriùs fuisse commutatum, liberum voluntatis arbitrium infirmatum, inclinatum, & attenuatum, sed non amissum, nequé extinctúm. unde Concil: Trident: Sess: 6ta Can: 5to inquit: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum, amissum, & extinctum esse, anathema sit.* Igitur vires naturæ humanæ sive intellectus ad cognoscendum verum, & bonum, sive voluntatis ad illa quæ vera & recta sunt amplectenda, non sunt in nobis per pec-

catum originale extinctæ, ſed iminutæ, ac debilitatæ, lumen naturale intellectuùs nostri, tenebris ignorantiæ obfusum, ſed non prorsùs extinctum, voluntas, concupiscentiæ paſsionibus depravata, ſed liberum ipsius arbitrium non ex toto amiſsum. Hinc damnatæ ſunt à ſummis Pontificibus ſequentes propositiones: *Liberum arbitrium ſine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet*, & altera ista: *Voluntas quam gratia non prævenit, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Cum igitur vires naturæ humanæ, vires intellectûs, & voluntatis per peccatum originale diminutæ, debilitatæ, ſed nón prorsus amiſsæ, aut extinctæ sint; Inde omnino consequitur, hominem viribus naturæ, sine gratia Divina poſse quædam bona ordinis naturalis & cognoscere, & perficere, ſed non omnia.

Et utrumqué ipsa comprobatur experientia. Et quidem 1mo. quod attinet cognitionem veri, boni, & recti. Nemo enim est in Ethnicorum libris adèo peregrinus qui nesciat benê multa fuiſse ab eis de virtutibus & vitiis, de moribus, & vitæ institutis, dequé humanæ ſocietatis officiis recté, ſapienterqué pertractata, adêo; ut primi Religionis Christianæ Patres non dubitaverint ea in libros ſuos inferre. Non omnia tamen quæ recta, ac justa ſunt, cognoverunt: imo turpiter in multis prolapsi ſunt, cujus rei testes ſunt, multi, craſsi, ac pudendi errores, de quibus vel ipsa Philosophorum lumina reprehenduntur. Sed & moderni Philosophi, tristé exhibent hujus veritatis experimentum, qui dum abjecto omni Divino lumine, vitæ humanæ præcepta tradere conati ſunt in turpiſsimos errores prolapsi ſunt. Id veró totum ex eo proficiscitur, quod per peccatum originale hebetata intellectûs nostri acies, abstrusiores quasdam veritates morales, sinè Dei illustratione attingere nequit. Undè S. Thomas libro 4to contra Gentes cap: 52. de pænis peccati originalis diſserens sic inquit: *Est potiſsima debilitas rationis, ex qua contigit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & facilè labitur in errorem, & appetitus bestiales omnino ſuperare non potest, ſed multoties obnubilatur ab eis.*

2do. Quantum veró attinet executionem boni, & recti, ipsa quoqué experientia edocet, hominem viribus naturæ, sinè Divina Gratia, multa poſse bona, ordinis naturalis perficere ſed non omnia. Et id insinuat Apostolus Paulus ad Romanos cap: 2do dicens: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi ſibi ſunt lex.* Quibus clare

re affirmat Apoſtolus, Gentes quæ legem ſcriptam non habebant, legem tamen in cordibus ſuis in ſculptam habebant, naturaliter ea, quæ legis erant implevisſe, non quidem legem naturalem perficiendo, ſed aliqua ſaltem legis, viribus naturæ adimplendo. Unde etiam S. Auguſtinus exemplo impiorum, atqué infidelium id probat, libro de Spiritu & Littera cap: 17. dicens: *Etiam impiorum; nec Deum verum veraciter, justéqué colentium, quœdam facta vel legimus vel novimus, vel audimus, quœ ſecundum juſtitiœ regulam non ſolùm vituperare non poſsumus; verum etiam meritò rectéqué laudamus*, hujus verò rei rationem cap: 28. hanc reddit: *quia non usqué adèo in anima humana imago Dei, terrenorum affectuum labè detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici poſsit, etiam in ipsa impietate vitœ ſuœ, facere aliqua legis & ſapere.* Aliqua certè legis, sinè Divina gratia, & ſapere, & facere poſsunt, ſed non omnia, unde idem S. Pater libro 1mo de nuptiis, & concupisc: cap: 3tio docet, *liberum nostrum arbitrium parum valere ad bonum*, & Libro de perfectione juſtitiæ cap: 2do affirmat: *parum illud eſse ad non peccandum, nisi ſanetur gratia Dei.* Quarè Apoſtolus Paulus in Epiſt: ad Romanos cap. 1mo nefanda deſcribit Gentilium Philoſophonum crimina, *qui cum cognoviſsent Deum non ſicut Deum glorificaverunt, propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Ex his verò omnibus evidentisſimè conſequitur, hominem viribus naturæ, sinè Divina Gratia poſſe aliqua, aut etiam multa ordinis naturalis bona ac recta, cognoſcere, ac perficere, ſed non omnia.

Dices: Sacra Scriptura, Concilia, Patres perpetuò nobis inculcant, nihil nos boni poſse non ſolùm facere, ſed nec cogitare, aut cognoſcere sine Dei Gratia, ac proinde admonemur, Divinum lumen, & adjutorium implorare.

Resp: Hæc intelligenda ſunt de illa cognitione, atqué operatione, quæ ad pietatem, & ſalutem conducunt, ſunt proinde ſalutaria, atqué ordinis ſupernaturalis, quæ sinè Divina illuſtratione, Divinoqué auxilio eſse nequeunt, non verò de cognitione veri, aut operatione boni, ordinis naturalis. Verum etiam & ad hæc Divinum lumen, Divinumqué adjutorium implorandum nobis eſt, quia plenam, perfectamqué boni, ac recti ſcientiam, erroribus deſtinatis aſsequi, & cuncta recta ac juſta, ordinis etiam naturalis perficere noſtris viribus non valemus.

Quæres 2do. Utrùm homo viribus naturæ, ſine Divina Gratia, legem, & Dei præcepta obſervare poſsit?

Resp: Concors est omnium Catholicorum ſententia, nec minimùm quidem Dei mandatum, sinè Divina Gratia, ſalutariter, aut meritoriè adimpleri poſse, quia ad opera ſalutaria & meritoria Gratia Divina omnino neceſsaria est, Verum si præcepta Divina in ſe tantummodo ſpectentur, nonnulla faciliora sinè Dei Gratia, ac viribus naturæ potest homo adimplere, non tamen omnia. Enimvero Concilia Diospolitanum, Carthaginense 2dum, Aurasicanum pariter 2dum contra Pelagianos definierunt, universam legem sinè ſpeciali Gratiæ Divinæ adjutorio impleri non poſse, & id S. Augustinus repetit ex infirmitate naturæ humanæ, quæ per peccatum originale infirma facta est. Quarè libro de natura, & gratia cap: 40. sic inquit: *Si poſsibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum quomodo vivere debeat, & ad benè vivendum ſufficit sibi, ergo Christus gratis mortuus est.* Non ergo omnia Divina præcepta, in ſe etiam ſpectata, naturæ viribus sine Divina Gratia ſervari poſsunt. Et id facile sibi quisqué persvadere poterit, considerans præcepta quædam corruptæ naturæ nostræ inclinationibus maxime contraria eſse, veluti injurias patienter tollerare, inimicis bonum pro malo reddere, & alia. Nonnisi igitur faciliora quædam præcepta, naturæ viribus homo adimplere potest, quia cum non sint, liberi arbitrij vires per peccatum originale prorsus extinctæ, & bona quædam ordinis naturalis perficere, & nonnulla faciliora Dei mandata observare potest.

Quæres 3tio. Sed potestné homo viribus naturæ Deum ſuper omnia diligere?

Resp: Fide certum est amore ſupernaturali, & sicut oportet ad ſalutem, Deum diligi non poſse sinè adjutorio Divinæ Gratiæ, Gratia enim est principium omnis actus ſupernaturalis. Nemo etiam sinè auxilio Divinæ Gratiæ potest Deum etiam amore naturali, ſuper omnia diligere, talis siquidem amor est perfectiſsimus, & homini ad terrena depreſsó difficillimus, ſuperat igitur vires humanæ naturæ. Modò tamen aliquo imperfecto, viribus naturæ diligi Deus potest, quia ipsius bonitas. excellentia, ceteræqué perfectiones lumine naturali cognosci poſsunt, & iis voluntas aliquo amore erga Deum excitari valet.

Quæres 4to. Utrûm ad ſuperandas tentationes Gratia Divina sit omnino neceſsaria?

Resp:

Resp: Tribus modis tentatio superari potest, scilicet ex amore Dei, ex sola honestate operis, & ex fine pravo, ut cùm homo avarus, luxuriæ, vel gulæ resistit, ex inordinato pecuniæ amore.

Extra dubium est tentationes ex Dei amore & cùm meritò ad vitam æternam conducente sinè gratia Dei, superari non posse, undè S. Augustinus libro 21. de Civit: Dei cap: 16 sic inquit: *Tunc vitia victa deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur, quem nisi Deus ipse donat, nec aliter nisi per mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Jesum.* Non minùs etiam certum est, ac exploratum, sinè ulla gratia, tentationes ex pravo aliquo fine superari aliquando posse, cum nempè unum peccatum alio vincitur, quarè Augustinus libro 21. de Civit: Dei cap: 16. sic inquit: *Nonnunquam apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Jam ex solo honesti amore, potest quidem homo sinè gratia leves quasdam superare tentationes, quia viribus naturæ & aliqua opera bona perficere valet, & quædam faciliora præcepta observare potest. Sed tentationes graves sinè gratia Dei superare nequit. Scripturæ namqué Sacræ, Concilia, & Sancti Patres victoriam tentationum Deo auxilianti adscribut. Psalmo 17. dicitur: *In te eripiar à tentatione*, & Psalmo 29. inquit David: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Hinc Christus Dominus Math: cap: 6to orare nos docuit: *Et ne nos inducas in tentationem.* Undè & Paulus Apostolus in Epistola ad Romanos cap: 7mo postquam conquestus est, se in membris suis experiri legem repugnantem legi mentis, atqué captivantem in lege peccati, exclamavit: *infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus*, & statim sibi respondet: *Gratia per Jesum Christum.* Quare Concilium Arausicanum 2dum Can: 14. hæc habet: *Divini muneris est, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & in justitia continemus*, & Diospolitanum à Pelagio exigebat, ut fateretur, quando contra tentationes, & concupiscentias illicitas dimicamus, non ex propria voluntate, sed ex Dei auxilio, & adjutòrio provenire victoriam. Et certè ita ad malum inclinatur homo, ut longè potiùs mala cupiditate tangatur, quàm honestate, & minùs adhuc pietate, quare cum gravis urget tentatio, si non adesset gratia, laberetur procul dubio homo in peccatum à concupiscentia intellectùs, atqué ad malum attractus,

qua-

quarè S. Augustinus Sermone 13tio de verbis Apostoli sic inquit: *Sine Gratia non dico vincere, ſed nec pugnare poſſumus, quia nisi ille rogat, cadis, nisi ille erigat, jaces.*

Quæres 5to. Potestné homo viribus naturæ ſe ad Gratiam disponere?

Resp: Homo viribus naturæ ſe ad Gratiam positivè disponere nequit. Enimverò Gratia Divina est donum ſupernaturale: dispositiones ergo naturales nullam cum Divina Gratia proportionem habere poſſunt. Viribus igitur naturæ ad gratiam positivè ſe homo disponere nequit, unde Concilium Arausicanum 2dum Canone 3tio statuit. *Si quis invocatione humana Gratiam Dei dicit poſse conferri, contradicit Isaiæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus ſum à non quærentibus me.* Et Canone 4to dicitur: *Si quis ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti. Præparatur voluntas à Domino.* Et certè præviæ ad Gratiam positivæ dispositiones, ſunt bona desideria, pij ad bonum conatus, ac tandem humilis oratio. Porro hæc proût ordinantur ad ſalutem æternam, viribus naturæ, sinè præveniente Spiritûs Sancti Gratia haberi nequeunt. Quare S. Thomas Doctor Angelicus 2da 2dæ Art: 3tio prævias ad consequenda Divina dona dispositiones à Spiritûs Sancti præveniente gratia, repetit, dicens: *Illa virtus ſecundûm quam ſua dona Deus dat unicuique, est dispositio, sivè præparatio præcedens, sivè conatus Gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem, vel conatum prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis, plùs vel minûs ſecundùm ſuam voluntatem.* Quapropter & Apostolus ad Coloſs: cap: 1mo Deo tribuit quod *dignos nos fecis in partem ſortis Sanctorum in lumine.*

Dices. Saltem homo potest viribus naturæ removere â ſe impedimenta Gratiæ, cordis duritiem, ardorem concupiscentiæ.

Resp: Id efficere aliquatenus homo viribus naturæ potest. Quia potest homo viribus naturæ, aliqua bona opera ordinis naturalis facere, quedam faciliora præcepta adimplere, quasdam, non ita graves tentationes vincere. Potest ergo aliquatenus viribus naturæ impedimenta Gratiæ â ſe removere. Sed hæc erit dispositio ad Gratiam remota, ac negativa, & per illam homo ad gratiam potiùs minùs indispositus redditur, quàm dispositus efficitur.

Quæres 6to. Utrùm Deus prædictarum dispositionum, Gratiam prævenientium aliquam rationem habeat?

Resp:

Resp: Deus prædictarum naturalium dispositionum, Gratiam prævenientium, quæcunqué tandem supponantur, non ita rationem habat, ut ipsis certò, & infallibiliter ad larginendas homini gratias suas moveatur. *Probatur.* Apostolus Paulus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 4to sic inquit: *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti... quid gloriaris quasi non acceperis.* Nihil ergo in nobis, quasi ex nobis habemus, quô apud Deum discernamur, nihilqué nobis inest, in quo posimus gloriari, quasi illud à Deo non acceperimus. Porro si Deus naturalium dispositionum, quæcunquè illæ in homine supponantur, ita rationem haberet, ut illis certò, & infallibiliter ad largiendas homini suas gratias commoveretur, jam istiusmodi dispositiones nos apud Deum discernerent, atqué in illis tamquam nostris ac minimè à Deo acceptis, posemus gloriari. Hæc vero cum dici nequeant, quia sola gratia nos coram Deo discernit, omnia bona Deo accepta referre debemus, ipsiqué humiles gratias rependere. Ergo quæcunqué tandem supponantur in homine dispositiones naturales, gratiam prævenientes, non ita Deus illarum rationem habet, ut ipsis certò, & infallibiliter ad largiendas homini suas gratias moveatur. Et verò gratia est donum Dei prorsùs gratuitum. Si verò Deus dispositionibus hominis naturalibus, ad gratiam largiendam certò moveretur, jam gratia non eset donum Dei gratuitum, sed quasi naturæ humanæ debitum, quod Pelagianismum sapit.

Dices. Ex communi axiomate *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Ergo saltem ex immutabili Dei ordinatione, Gratia Divina certò, & infallibiliter tribuitur, facienti viribus naturæ quod in se est.

Resp: Tritum illud axioma. *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam* intelligendum est de facientibus quod in se est ex adjutorio Divinæ gratiæ, cui fideliter cooperantur, non verò de facientibus quod in se est viribus solius naturæ. Et ita istud axioma declaravit S. Thomas in Summa suæ Theologiæ, quod est postremum illius opus dicens: *Deus facienti quod in se est, cum auxilio gratiæ, à qua movetur, non denegat ulteriorem gratiam.* Quando ergo homo cum præveniente atqué excitante gratia, facit id, quod in ipso est, eidem asentiendo, atqué cooperando, Deus abundantiores atqué ulteriores illi non denegat gratias.

CA-

CAPUT TERTIUM

De Gratia efficaci, & sufficienti.

ARTICULUS 1mus

De Gratia efficaci.

Quæres 1mo. Utrûm admittenda sit Gratia efficax?

Resp: Dogma fidei est, dari gratiam efficacem, quæ certò, & infallibiliter in nobis operatur velle & perficere. *Probatur* ex Sacris Scripturis. Ezech: cap: 36. dicitur: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* His simillima, quasi in compendium contracta habet Paulus Apostolus Epist: ad Philip: Cap: 2do. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Datur ergo Gratia Divina efficax, quæ actu post se effectum trahit salutarem; quæ facit ut in præceptis Divinis ambulemus, quæ velle & perficere ipsa in nobis efficit, & hæc est illa gratia de quá S. Augustinus libro de Prædest: Sanctorum cap: 8vo graviter pronuntiavit, quæ *â nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia penitùs auferatur.* Præterêa Proverbiorum cap: 21. scriptum est: *Cor Regis in manu Domini, quocunqué voluerit, inclinabit illud.* Scilicet Deus cum supræmam, & omni potentissimam habeat in humana corda potestatem, per gratiam suam, quocunqué voluerit convertit ea, hæc autem gratia, cum semper obtineat effectum, efficax est. Et hoc est, quod Christus aliis verbis expresserat, quia nimirum â Patre trahimur, ideo ad eum venimus: Joan: cap: 6to. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum:* Meritò igitur dixit S. Augustinus libro de correpł: & gratia cap: 14. *Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.*

Quæres 2do. Gratia efficax infertné aliquam voluntati humanæ necessitatem?

Resp: Gratia efficax nullam voluntati humanæ infert necessitatem; quare sub gratia efficaci, illæsum manet

net liberum hominis arbitrium. Et hoc dogma fidei â Concilio Tridentino contrà errores Lutheri & Calvini, Seſs: 6ta Can: 4to definitum est, his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium á Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſsentiendo Deo excitanti, atqué vocanti, nequé poſse diſsentire, si velit, anathema sit.* Sed & variis argumentis istud dogma comprobari potest, maximè ex Sacris Scripturis. Ecclesiastici cap: 31. dicitur: *Potuit transgredi, & non est transgreſsus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita ſunt bona illius in Domino.* Porro qui per gratiam Dei ita abstinet à malis, ut poſset ab iis non abstinere, planè ſub gratia liber est, nequé ullam ei gratia quantumvis efficax infert neceſsitatem. Ergo per gratiam efficacem liberum hominis non tollitur arbitrium. Et vero certum est voluntatem humanam gratiæ Divinæ, etiam efficaci cooperari, & cum ipsa agere, unde gloriatur Paulus 1ma ad Corinth: cap: 15. quod cum gratia Divina ceteris abundantiùs laboraverit dicens: *Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiûs illis omnibus laboravi, non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, & Concilium Tridentinum Seſs: 6ta Can: 4to docet, voluntatem humanam Deo vocanti, atqué excitanti, cooperando aſsentiri, ita ut si velit, poſsit eidem diſsentire, nequé ipsam *veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèqué paſsivè ſe habere.* Porro si voluntas humana à gratia efficaci ad bonum neceſsitaretur, quomodò ipsa gratiæ cooperatur, eidem aſsentiendo ita ut poſsit diſsentire? quomodo non est ipsa veluti inanime quoddam? Certè si voluntas humana à gratia neceſsitatur, nihil omnino illa agit, atqué merè ſe habet paſsivè. Quæ cum dici nequeant, non ergo voluntas nostra à gratia neceſsitari dicenda est, ſed ſub gratia etiam effiicaciſsima liberrima illa manet. Merito itaqué damnata est 4ta Janseuij propositio: *Semipelagiani in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſse, cui poſset humana voluntas reſistere, vel obtemperare*, proscripta pariter fuit propositio 10ma Quesnelli. *Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Enimvero gratia efficax sic voluntatem humanam prævenit, ac movet, ut consentire, vel disentire in ipsius libero arbitrio sit positum, quare S. Augustinus libro de Spiritu, & liber cap: 34. sic inquit: *Ipsum bonum velle Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prœvenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſsentire propriœ voluntatis est.*

Obijcies

Objicies 1mo. Joannis cap: 6to. dicitur neminem posse ad Christum venire, nisi eum Pater traxerit. Porro trahere non designat motionem liberam, sed necessariam. *2do.* Celebre est S. Augustini effatum, *Quod amplius nos delectat secundum id operemur necesse est*, gratia autem efficax ex Augustino est delectatio victrix, quare sæpius asserit Dei gratiam indeclinabiliter, insuperabiliter humanam flectere voluntatem.

Resp: ad 1mum. Trahitur homo per gratiam non necessitate, sed voluptate. Ita rem explicat S. Augustinus Tract: 26. in Joannem. *Nolite cogitare invitum trahi; trahitur animus & amore, etiam voluptate traheris, porro si Poetæ dicere licuit, trahit sua quemqué voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio, quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est.*

Ad 2dum. Quod amplius nos delectat delectatione deliberata, quæ voluntatis inclinationem assensumqué consequitur, secundùm id operemur, necesse est, necessitate scilicet consequente, quæ libertati minimè nocet, quia liberam voluntatis determinationem subsequitur. Non verò id, quod nos amplius delectat delectatione indeliberata, quæ omnem voluntatis antecedit actum, hoc operemur necesse est, hæc enim necessitas antecedens esset, & humanam perimeret libertatem. Porro cum voluntas humana à Divina gratia excitata, prægustata spirituali svavitate, illud operatur salutare bonum, quod eam magis delectat, id fit ex deliberata majori cælesti delectatione, qua contrariam carnalem vincit cupiditatem. Hæc autem cum voluntatis complacentiam, ipsiusqué assensum subsequatur, libertati humanæ nocere nequit. Cum itaqué docet S. Augustinus per gratiam Divinam, indeclinabiliter, insuperabiliter voluntatem humanam permoveri, efficatiam tantummodo vult adstruere gratiæ, quâ Deus certò, & infallibiliter, humanam, quô vult inclinat voluntatem, cordis duritiem contumatiamquè superat, non verô immutabilem inducere necessitatem, unde S. Thomas quæst: 6ta de malo art: unico ad tertium sic inquit: *Deus movet immutabiliter voluntatem, propter efficatiam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.*

Quæ-

Quœres 3tio. Qualis sit ista efficatia gratiœ, & in quo reponi illa debet?

Resp: Qualis sit ista efficatia gratiæ, utrùm intrinseca an extrinseca, quoniam hac de re multæ ac diversæ ſunt Theologorum opiniones, nihil verò certi ex SS. Patribus, aut Conciliis deduci potest, nihil clarè in Scripturis Sacris expreſsum reperire licet, nihil etiam in hac quæstione definivit Ecclesia, propterêa qualis sit efficatia gratiæ, ab intrinseco an ab extrinseco, unde illa repeti debeat prorsùs incompertum est, quare hoc unum statuimus, Deum per gratiam ſuam miris, innumerabilibus, & ineffabilibus modis in nobis operari, adêo ut meritò hic verba Christi ad Nicodemum Joan: cap: 3tio dicta usurpare liceat. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed nescis unde veniat, aut quo vadat.* Unde & S. Augustinus libro de Corrept: & Gratia cap: 5to, fatetur ſe nescire *quare isti sic, alii aliter, atqué alii aliter, diversis & innumerabilibus modis vocentur ut reformentur.* Idem repetit libro de prædest: Sanctorum cap: 20. Præterêa S. Augustinus ſcribens ad Simplicium, expreſsè docet Deum miris modis per gratiam ſuam in cordibus hominum operari. Namqué libro 1mo, quæst: 2da inquit: *illos electos eſse, qui congruenter vocati ſunt*, & statim ſubjungit: *Deum eorum misereri quos ita vocat, quomodo iis aptum est, ut ſequantur*, & rursùs ait: *Deum sic vocare quomodo ſcit congruere, ut vocantem non respuat.* Sive autem S. Doctor hic intelligatur loqui de congruitate intrinseca, ſeu attemperatione ipsius gratiæ ad statum hominis cui datur, sive de congruitate extrinseca, quæ à variis desumitur circumstantiis in quibus est homo, cui gratia à Deo conceditur, ſemper juxta doctrinam S. Augustini verum est Deum, miris modis congruentibus, aptiſsimisqué per gratiam ſuam in cordibus hominum operari, quare iterum cap: 19. inquit: *Trahitur homo miris modis ut velit, ab illo, qui novit intùs in hominum cordibus operari, non ut nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Idem docet S. Augustini discipulus. S. Prosper libro contra Collatorem cap: 7mo ubi pulcherrimè describit varios, ac diversos modos quibus Deus peccatores ad ſe vocat, atqué sic inquit: *Trahit timor, principium enim ſapientiœ timor Domini. Trahit lœtitia, quoniam lœtatus ſum in his quœ dicta ſunt mihi. Trahit deſiderium, quoniam concuptscit, & deficit anima mea in atria Domini. Trahunt delectationes, quoniam dulcia faucibus meis eloquia tua. Et quis*

per-

perspicere, aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum. Certè cum Deus omnia à fine ad finem attingat fortiter, atqué disponat svaviter, ut inquit Scriptura, inde maximè apparet, omnipotentissima, ac sapientissima virtus ejus, quod miris & ineffabilibus modis trahat ad se homines, adeo ut quilibet scrutando vias suas, dicere Deo cum Psalmista possit: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Psal: 138.

Quæres 4to. Cur ergo semper difficilis visa est concordia humanæ libertatis cum Divina gratia?

Resp: Quæcunqué circa efficatiam gratiæ eligatur Theologorum sententia, semper difficilis esse videtur concordia humanæ libertatis, cum gratia Divina. Quod enim ab alio, maximè infinitè potentiore, movetur, libertatem suam deperdere videtur. Quia ergo Deus est homine infinite potentior, dum adstruimus hominem à Deo per gratiam moveri, excitari, idqué adeo ut in operibus salutaribus initium, & progressus boni operis à Deo sit, inde homo videtur vires suas libertatemqué amisisse, quare S. Augustinus, ex sola necessitate gratiæ persensit difficultatem, illam cum libero arbitrio conciliandi, sic enim libro de gratia Christi cap: 47. loquitur: *Ista quæstio ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando vero asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Verum cum gratiæ Divinæ operatio inter Mysteria, & arcana abscondita meritò numerari debeat, superfluum est tentare, ut clarè & nitidè gratia Divina, cum humana libertate concilietur, sed utrumqué, quod ab Ecclesia definitum, semperqué creditum est, teneri debet, scilicet gratiam ad opera salutaria omnino esse necessariam, per illam Deum velle & perficere in nobis operari, & gratiam Divinam quantumvis efficacem nullam voluntati humanæ inferre necessitatem, ac proinde illæsam ipsius manere libertatem.

ARTICULUS 2dus

De Gratia sufficiente.

Quæres 1mo. Utrùm datur Gratia sufficiens?

Resp: Præter gratiam efficacem quæ semper effectum ad quem datur, operatur, & cui à voluntate huma-

na nunquam resistitur, datur etiam gratia inefficax, cui voluntas humana resistit, & quæ propterea effectum suum non sortitur, ideòqué sufficiens solùm est, non efficax. *Probatur* Maximè ex Scripturis Sacris. In Veteri namqué Testamento sæpius Deus exprobrat Israelitis duritiam cordis, & resistentiam voluntati suæ, sic Proverb: cap: 1mo. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Unde S. Protomartyr Stephanus eosdem Judæos sic objurgabat Actor: cap: 7mo. *Dura cervice, & in circumcisis sordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos.* Christus etiam Math: cap: 23. dicebat: *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Tandem Apostolus Paulus in Epist: ad Rom: cap: 2do sic inquit: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurisas tibi iram.* Ex quibus manifestissimum est, gratiis Divinis, humanas voluntates sæpiùs resistere, ipsas despici, negligi, ac propterea effectu suo frustrari. Dantur ergo gratiæ, quæ sufficientes solummodo dicuntur, & inefficaces sunt. Id quoqué constat ex Sanctis Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, qui libro 1mo de peccat: merit: & rèmiss: cap: 39. de justo sic ait: *Habet concupiscentiam cum qua pugnet, eamqué adjuvante Deo superet; si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit.* Quare meritò damnata est secunda Jansenii propositio. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur,* & ex Quesnellianis ista: *Quando vult Deus animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana resistit.*

Dices. Gratia quæ nunquam effectum obtinet, quoddam est monstrum gratiæ. Porro gratia sufficiens nunquam effectum suum obtinet. Ergo monstrum est gratiæ, non gratia.

Resp: Gratiam sufficientem semper parere aliquos in homine effectus, scilicet mentis illustrationem, atqué etiam in voluntate motionem, boni cupidinem, atque etiam expeditam hic & nunc boni peragendi potentiam, vix possibilis est gratia, quæ nullum omnino haberet effectum, esset enim tunc simul gratia & non esset. Gratia igitur sufficiens non est aliquod monstrum gratiæ, sed vera gratia. Quod verò gratia sufficiens careat illo effectu con-

sum-

summato, atqué perfecto, ad quem & ex natura ſua, & ex Dei voluntate ordinatur, id ſit non gratiæ vitio, ſed ex culpabili hominis resistentia, unde S. Alexander 8vus damnavit istam propositionem. *Gratia ſufficiens, statui nostro non tam utilis, quam pernitiosa est, sic ut meritó petere poſsimus, á gratia ſufficiente libera nos Domine.*

Quæres 2do. Quid nomine gratiæ ſufficientis intelligendum sit?

Resp: Nomine gratiæ ſufficientis, ex mente Ecclesiæ illa intelligenda est gratia, quæ quamvis propter pertinacem resistentiam voluntatis humanæ careat effectu perfecto, atqué consummato, veram tamen ac expeditam ad illud perfitiendum, atqué relativam ad ſuperandam, quæ hic, & nunc premit tentationem, comprimendamqué concupiscentiam tribuit potentiam. Id evincitur *1mo* ex Scriptura Isaiæ cap: 5to sic conqueritur Deus de populo ſuo: *Judicate inter me, & vineam meam. Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Tria hic ponuntur, 1. Deum Judæis conceſsiſse gratias. *Quid debui ultra facere vineæ meæ, & non feci-* 2. Judæos cum his gratiis potuiſse bonum operari. *Expectavi ut faceret uvas.* 3. Judæos hisce gratiis non fuiſse usos. *Et fecit labruscas.* Gratia ergo ſufficiens, licet actu cum ipsa homo bené non operetur, confert tamen homini veram potentiam benè operandi, ac proinde facultatem ſuperandi contrarias tentationes, concupiscentiasqué, quæ á bono retrahunt opere. Hinc Concilium Arausicanum 2dum Can: 25. sic inquit: *Hoc ſecundúm fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omes baptisati, Christo auxiliante, & cooperante. quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſsint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Sanè exploratum est, plerosqué baptisatos Christo auxilianti & cooperanti refragari, gratiæ ipsius resistere, ſunt ergo in ipsis istiusmodi gratiæ inefficaces, ac ſufficientes tantummodo, attamen juxta mentem hujus Concilij, cum ipsis, si fideliter laborare voluerint, & debent, & poſsunt, illa quæ ad ſalutem pertinent, adimplere. Igitur cum gratiis tantummodo ſufficientibus veram habenus benè & ſalutariter agendi potentiam. Atqué hic etiam ſervire poſsunt verba Christi Math: cap: 11. quibus obstinationem Judæorum redarguit dicens: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſsent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere*

pæ-

pœnitentiam egiſsent. Certè miraculis, & prædicationi Christi, gratiæ interiores annexæ erant; istiusmodi gratiæ in Corozaitis, & Bethsaidis inefficaces erant, & nonnisi ſufficientes, attamen cum illis veram ac expeditam, benè, & ſalutariter agendi habebant potentiam, quoniam cum iisdem gratiis Tyrii & Sidonii etiam actu pœnitentiam egiſsent, quod verò illam Corosaitæ, & Bethsaitæ reipsa non egerint, non defectus virium, ex insufficientia gratiæ procedens, in causa fuit, ſed obstinatio, ac resistentia voluntatis eorum, quia ſcilicet gratiis cooperari noluerunt. Undè meritò dictum est illis à Christo: *Vœ vobis.*

2do. Eadem veritas probatur ratione Theologica. Ad benè & ſalutariter operandum gratia Divina est omnino nobis neceſsaria, & quia hanc unicuiquè, ac ferè inceſsanter Deus elargitur, continuo nos in Scripturis admonet, & exhortatur, ut quiescamus agere perversè, & discamus benefacere, ſubministrat ergo nobis ad id perficiendum media ſufficientia nequé enim ſapientiæ, aut bonitati Divinæ conveniens est, velle finem, & media ad finem non ſuppeditare. Cum autem non ſemper habeantur gratiæ efficaces, gratiæ etiam inefficaces, ſufficientia debent eſse media, ac competentia, atqué proportionata auxilia ad benè ac ſalutariter agendum, ac proinde his auxiliis, atqué gratiis præditi, veram potentiam, & expeditam facultatem habere debemus ad ſuperandas ingruentes tentationes, coercendos exurgentes concupiscentiæ motus, alias istiusmodi gratiæ nec haberent rationem mediorum idoneorum, & quod malè nonnunquam agamus, & benè non operemur, excusationem aliquam prætendere poſsemus, unde & Christus Judæis dixerat: *Si non veniſsem, & locutus fuiſsem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato ſuo.* Joan: 15. Quia ergo, quod malè agamus, & benè non operemur, excusationem nullam prætendere poſsumus, consequens est, quod & ipsæ gratiæ, quæ propter resistentiam, & obstinationem voluntatis nostræ in nobis inefficaces ſunt, ex ſe ſufficientes nobis conferant vires, veram, ac expeditam tribuant potentiam, tum ad bona agenda, tum ad mala vitanda.

Prætereà omnes Theologi ſubscribunt huic palmarî Doctoris Angelici principio: *Minima gratia potest reſistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum.* Si ergo minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & omne vitare peccatum, igitur quælibet ſufficiens gratia, veram, expeditamquè homini tribuit pote-

statem, relativè proportionatam, ad quamlibet ſuperandam concupiſcentiam, ad quodlibet vitandum malum, atquè perficiendum bonum.

Dices. Gratia ſufficiens tribuit quidem homini benè agendi potentiam, ſed abſolutam ſolum, videlicet illam, quæ competit gratiæ Divinæ in ſe ſpectatæ, & præciſis circumſtantiis hominis cui datur.

Resp: Iſtiusmodi abſolutam, atqué in genere, & à particularibus circumſtantiis abſtrahentem potentiam nihil eſse, quasi in abſtracto poſitam, nulliusqué momenti. Ut enim prudenter determinentur, & humanæ voluntatis vires, & efficatia, ac ſufficientia Divina gratiæ, ſemper conſideranda ſunt non abſolutè, & abſtractè, ſed relativè, nimirum ad circumſtantias, in quibus homo conſtituitur. Ut ergo gratia ſufficiens cenſeatur veram, & expeditam homini ad benè agendum conferre potentiam omnino relativa eſse debet, adêo, ut sinê novo adjutorio, ipsa ſola verê poſsit homo ingruentes hic & nunc tentationes ad malum trahentes ſuperare, atqué insurgentes concupiſcentiæ motus comprimere.

Quæres 3tio. Qui ſunt effectus, & quæ adjuncta gratiæ ſufficientis?

Resp: Gratia ſufficiens *1mo* excitat in intellectu illustrationes, sive cognitiones boni, & involuntate pia quædam desideria, quæ ſunt previæ dispositiones ad bonum ſalutare actu perficiendum, & ſæpe contigit, ut iſtiusmodi pij voluntasis motus, qui debiles primùm, & in efficaces fuerant, ſucceſsivè augeantur, creſcant, & tandem, dum iis homo cooperatur, in actum ſalutarem prorumpant, tûm enim fit, ut inquit S. Auguſtinus, *ut ipsa voluntas, quæ jam eſse cæpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſsit implere Divina mandata, quæ voluerit, cûm valdè perfecte voluerit.* Libro de gratia, & libero arbitr: cap: 15. *2do.* Cum per gratiam ſufficientem homo ad bonum inclinatur, eô ipso etiam à malo retrahitur, in ipso amor boni accenditur, concupiſcentia mali minuitur; & quemadmodum, majori insurgente concupiſcentia, gratia Divina, cui reſiſtimus debilitatur, & extingvitur, ita etiam dum gratiæ cooperamur, concupiſcentia, & cordis durities ſenſim emollitur, quo fit ut gratia, primô purè ſufficiens, evadet efficax, & plenum etiam effectum ſortiatur, ut enim docet Concilium Tridentinum Seſs: 6ta cap. 13: *Deus niſi ipſi illius gratiæ defuerimus, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* 3tio

Hoc

Hoc autem gratiæ sufficientis commune est adjunctum, quia ſemper annexam habet gratiam orationis, qua homo poſsit, & debeat, ingruentibus tentationibus, & insurgentibus pravæ concupiscentiæ motibus ad Deum ſupplici pietate ſeſe convertere, uberiores, & abundantiores gratias à Deo exorare. Unde S. Augustinus libro 1mo ad Simplicium quæst: 1ma inquit: *Hoc restat in mortali vita, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, ſed ut ſe ſupplici pietate convertat ad eum, cujus dono poſsit eam implere.*

Quæres 4to. Utrum omnibus Gratia ſufficiens à Deo tribuatur?

Resp: Gratia ſufficiens omnibus, & singulis hominibus confertur. Enimverò, ut inquit Apostolus 1ma ad Timoth: cap: 2do. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri,* omnibus ergo etiam dat neceſsaria media ſalutis, ſcilicet gratiarum auxilia, sinè quibus nemo ſalutem consequi potest. Quarè etiam Christus dicitur: *Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan: cap: 1mo, quia ſcilicet ut inquit S. Ambrosius in Psalmum 118. *Deus mentes illuminat ſingulorum, & claritatem cognitionis infundit.* Sed & Paulus Apostolus expreſsis verbis dicit: *Unicuique data est gratia Dei, ſecundùm mensuram donationis Christi.* Unde Sanctus Thomas in Caput 12. ad Hebræos Lectione 13. inquit: *Gratia nulli deest, ſed omnibus, quantum in ſe est, ſe communicat, ſicut nec ſol deest cæcis.* Et certè si omnis alicui hominum, etiam ſufficiens deeſset gratia, ei mandata Dei ad observandum, peccata ad evitandum forent impoſsibilia. Cum enim ſolis naturæ viribus Divina præcepta non ſolùm ſupernaturalia, ſed etiam illa, quæ ordinis ſunt naturalis, & graves habent annexas difficultates, adimpleri nequeant, graves quoquè tentationes ſuperari non poſsint, ſolò ergo adjutorio gratiæ Divinæ hæc præstari poſsunt, & poſsibilia homini fiunt, unde & Concilium Tridentinum Seſs: 6ta cap: 11. non ex alia ratione affirmat Deum impoſsibilia non præcipere, nisi quia *jubendo monet, & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adjuvat ut poſsis* ex quo consequens est, sinè omni gratia Divina, & Divina mandata ad observandum, & peccata ad evitandum, impoſsibilia homini fore. Porro & mandata Divina ad observandum, & peccata ad evitandum homini poſsibilia ſunt. Unicuiquè ergo hominum datur gratia Divina saltem ſufficiens, qua mandata Divina adimplere, & peccata evitare poſsit. Meritò itaquè damnata est ab Alexandro 8vo ſequens propo-

 sitio-

sitio: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliiqué hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adéoqué hinc recté inferes, in illis eſse voluntatem nudam, & inermem ſiné omni gratia ſufficiente.*

Quæres 5to. Utrùm justis aliquando deſit gratia ſufficiens?

Resp: Dogma fidei est, justis conantibus, ac volentibus implere aliquod præceptum, nunquam gratiam ſufficientem deeſse, quâ illud implere poſsint. Et hoc ab Innocentio 10mo universa approbante Ecclesia definitum est, siquidem opposita ei Jansenii propositio 1ma tamquam hæretica damnata fuit, tenoris ſequentis: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus ſecundùm præsentes, quos habent vires, ſunt impoſsibilia, deest quoqué illis gratia, qua poſsibilia fiant.* Dogma veró istud manifestum est ex Sacris Scripturis. Namqué Paulus Apostolus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 10mo sic inquit: *Fidelis... Deus est, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod potestis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſsitis ſustinere.* Fidelis ergo est Deus in præstanda justis ope, ut enim dicitur Eccles: cap: 2do. *Quis permanſit in mandatis ejus, & derelictus est.* Dat itaqué ſemper vires tentationi pares, ut vinci, & ſuperari poſsit. Quodsi vero justi urgente tentatione non haberent gratiam vincendæ actuali concupiscentiæ, atqué tentationi ſuperandæ parem, jam tentarentur ſupra id, quod poſsunt ſustinere, nequé faceret Deus cum tentatione proventum, tribuens ſcilicet ipsis, ut docet S. Cyprianus, *cum tentatione facultatem evadendi.* Ex quibus apertiſsime constat justis nunquam de eſse gratiam, quâ ſuperatis tentationibus, Divina mandata observare poſsint, & valeant. Cum autem quotidiano rerum usu experiámur, justis aliquando gratiam efficacem deeſse, quia nonnunquam tentationibus ſuccúmbunt, & Dei mandata transgrediuntur. Ergo illæ gratiæ quæ justis nunquam desunt, ſunt gratiæ ſufficientes, quibus præcepta Divina ad observandum ſunt illis poſsibilia, quia ad ſuperandas tentationes, comprimendamqué insurgentem concupiscentiam vires idoneas, ac pares à Deo accipiunt. Unde S. Augustinus libro de natura, & gratia cap: 26. sic inquit: *Cum Deus ſpiritualiter ſanat ægrum, vel vivificat mortuum, idest justificat impium, non deserit niſi deseratur, ut pié justéque vivatur.* Meritò itaqué Concilium Tridentinum Seſs: 6ta cap: 11mo constituit: *Nemo audeat temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibi-*

hibita uti voce, Dei præcepta homini justificato, ad observandum esse impossibilia, nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & pet re quod non possis. & adjuvat ut possis, quod etiam Canone 18. ejusdem Sess: confirmavit.

Dices. S. Petro Apostolo, quando Christum abnegavit, ac per hoc graviter lapsus est, defuit gratia quâ Christum confiteri posset, omniqué ope Divína tunc fuit destitutus. Ergo aliquando justis omnis deest gratia, non solùm efficax, sed & sufficiens. *2do*, Certè justi in pænam præcedentium venialium peccatorum, sinè quibus ipsi non sunt, possunt omni gratia à Deo privari:

Resp: ad 1mum. S. Petro defuit quidem gratia efficax, sed non defuit gratia sufficiens, cum qua si conaretur, & præsocordia, atqué mentis tumore, orare, majusqué Dei auxilium invocare non neglexisset, lapsus non fuisset. Unde S. Augustinus libro de unitate Eccles. cap: 9no sic inquit: *Petrus si voluisset, ter Dominum non negâsset, nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, & Deo cum Propheta dicere, Adjutor meus esto, ne derelinquas me.*

Ad 2dum. Summæ Dei erga justos bonitati adversatur, ut illos in pænam præcedentium levium delictorum omnibus gratiis etiam sufficientibus privet. Hæc enim pæna longè gravissima esset, quàm præcedens culpa fuit. Verùm tamen, in pænam negligentiæ, ac socordiæ, justis torpentibus, ac desidibus, qui gratiis sufficientibus malè utuntur, justè à Deo uberiores subtrahuntur gratiæ, unde & labuntur, sed & tunc præsto habent gratiam orationis quâ possunt supplici pietate sese ad Deum convertere, & uberiora auxilia impetrare. Hinc S. Augustinus libro 1mo operis ultimi contra Julianum cap: 39. inquit: *Qui exauditus fuerit in eo, quod dicere jussi sumus, ne nos inferas in tentationem, procul dubio nulla decipietur inscitia, nulla cupiditate vincetur.*

Quæres 6to. An peccatoribus obduratis, & excecatis detur à Deo gratia sufficiens?

Resp: Peccatoribus obduratis, & excecatis non deest gratia sufficiens, quâ possint nova vitare peccata, præcepta Divina adimplere, & cordis duritiam, ac cæcitatem deponere. Enimvero Judæi erant dura cervice, & incircumcisis cordibus, & ipsi tamen gratias Spiritûs Sancti habebant, licet ipsis restiterint, quemadmodum illis exprobrat S. Stephanus Protomartyr. S. Etiam Paulus ad

Romanos cap: 2do docet, quia divitiæ bonitatis Divinæ ad pænitentiam peccatores adducunt, licetsi ipsi ſecundùm duritiam ſuam, & impænitens cor ſuum, Divinæ benignitati, & longanimitati resistendo, thesaurisent sibi iram in die furoris Domini. Non deest ergo gratia ſufficiens etiam obduratis, atqué excæcatis peccatoribus, quá ſe ad Deum convertere, & pænitentiam agere poſsint. Certè, de omnibus omnino impiis, dicit Deus Ezech: cap: 33tio: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat*, & Petrus Apostolus Epist: 2da cap: 3tio de Deo dicit, quod nolit *aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Cum igitur hæc Divina erga peccatores voluntas omnino sterilis eſse nequeat, Deus etiam obduratis peccatoribus, atquè excæcatis tribuit gratias ſufficientes, quibus poſsunt à peccatis per veram pænitentiam resurgere. Hinc Concilium Valentinum 3tium Can: 2do docet: *malos non ideo perire, quia boni eſse non potuérunt, ſed quia boni eſse noluerunt.* Et verò omnes etiam obdurati, atqué excæcati peccatores, tenentur ad Deum converti & pænitentiam agere, & de hoc toties à Deo admonentur. *Convertimini ad me, ſcindite corda vestra. Quiescite agere perverse, discite bene facere. Pœnitentiam agite.* Ergo poſsunt resipiscere, poſsunt ſese ad Deum convertere, poſsunt pænitentiam agere. Cùmqué hæc sinè gratia Divina homini sint impoſsibilia, & Divinæ exhortationes vanæ, & irrisoriæ eſse nequeunt, Deus etiam obduratis, ac excæcatis peccatoribus non denegat gratias ſufficientes, quibus ſese ad Deum convertere, à peccatis resipiscere, & pænitentiam agere poſsint.

Dices. Ex Concilio Tident: Seſs: 6ta. *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur.* Cum ergo impij Deum ſæpiſsimè deserant, meritò quoqué ab ipso per ſùbtractionem omnis gratiæ deseruntur.

Resp: Sæpiùs impij à Deo deseruntur per ſubtractionem gratiæ uberioris, quam illis certò contuliſset, si datis sibi gratiis obtemperâſsent, non autem illos deserit per ſubtractionem cujuscunqué gratiæ, unde ait ibidem Synodus, quod *omnes firmiſsimam ſpem in Dei auxilio reponere debent*, quare S. Augustinus in Psalmum 6tum ſcribens, de mentis cæcitate, in quam ſæpius peccatores proruunt, sic inquit; *In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur, ſed nondum pœnitùs cum in hac vita est.*

Quæres 7mo. An Infidelibus etiam dentur gratiæ ſufficientes?

Resp:

Resp: Omnibus infidelibus dantur à Deo gratiæ, quibus poſsunt ad fidem converti, & ad salutem pervenire. Et id docent Sancti Patres, imprimis verò S. Augustinus, qui Enarr: in Psalmum 18vum sic habet: *Non permiſit ullum mortalium excusare, se de umbra mortis, & ipsam enim penetravit verbi calor.* Porrò excusari poſsunt infideles. si qualibet gratia interiori destituti eſsent, siquidem sinè ipsâ nihil fieri potest, quod ad salutem conducat. Idem docent SS. Prosper in libro de vocatione Gentium. & Thomas Angelicus Doctor Quæst: 14ta de Verit: Art: 11mo. Undé Clemens 11mus sequentes proscripsit Quæsnelli propositiones. *Nullæ dantur gratiæ niſi per fidem. Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*, ex quarum condemnatione sequitur, gratiam à Deo illis etiam concedi, qui fidem non habent, & in sinu Ecclesiæ non continentur.

Et verò ex receptis principiis, Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Ergo in omnes homines etiam infideles derivatur aliquod gratiæ interioris auxilium, sinè quo ad agnitionem veritatis, & ad salutem pervenire non poſsunt.

CAPUT QUARTUM

De gratia habituali, ejusqué effectibus, justificatione, & merito.

ARTICULUS 1mus

De gratia habituali.

Quæres 1mo: Quid sit gratia habitualis?

Resp: Gratia habitualis, quæ etiam Sanctificans; & justificans dicitur, est supernaturale Dei donum, animæ permanenter inherens, per quod homo efficitur justus, Deo charus, & Divinæ consors naturæ. Gratia itaqué habitualis differt ab actuali, quia 1mo: actualis gratia est transiens, consistit in transeunte illustratione mentis, & motione voluntatis, gratia verò habitualis permanenter in-

hæret

hæret animæ, 2do: gratia actualis non justificat, non sanctificat intrinsecè hominem, sed ad consequendam justificationem, sanctificationemqué obtinendam hominem excitat, ac disponit, gratia autem habitualis intrinsecè hominem justificat, & Sanctificat. Efficitur veró homo per gratiam habitualem Deo verè charus, gratus, ac quodam modo Divinæ particeps naturæ, quod Sacræ Scripturæ innuere videntur, dum justos appellant filios Dei, natos ex Deo, renatos ex Spiritu Sancto, & S. Petrus Apostolus Epist: 2da cap: 1mo. clarè dicit per Christum, maxima & prætiosa nobis promifsa efse donata, ut per hæc efficiamur Divinæ consortes naturæ.

Quæres 2do: Utrum gratia habitualis à Charitate distinguatur?

Resp: Gratia habitualis à charitate propriè dicta, seu amore benevolentiæ, quô Deum propter se diligimus distinguitur, atqué secernitur. Enimverò Scripturæ Sacræ de gratia & charitate tamquam de rebus distinctis loquuntur. 2da ad Corinth: cap: 13tio sic inquit Paulus Apostolus *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis.* Concilium etiam Tridentinum gratiam habitualem, à caritate distinguit ac discernit. Sefs: 6ta Can: 11mo, docens hominem justificari non pofse, *exclusa gratia & caritate,* quæ in cordibus diffunditur per Spiritum Sanctum.

Dices: Scriptura Sacra, & Sancti Patres, eosdem tribuunt effectus gratiæ Sanctificanti, ac charitati, scilicet per utramqué hominem justificari, filium Dei fieri, hæredem Dei, cohæredem Christi. Ergó gratia habitualis à charitate non discernitur.

Resp: Iidem effectus tribuuntur gratiæ Sanctificanti & charitati, propterea quia necefsario secum connexæ sunt, non quia eadem est utriusquè natura. Sic Paulus 1ma ad Corinth: cap: 15. patientiæ benignitatis, & aliarum virtutum effectus charitati tribuit, dicens: *Charitas patiens est, benigna est,* attamen charitas à patientia, benignitate, aliisqué virtutibus, reipsa distingvitur.

Quæres 3tio. Utrum gratia habitualis sit æqualis in omnibus justis?

Resp: Quemadmodum gratia actualis, non est eadem in omnibus, sed diversos habet gradus, ita quoqué gratia habitualis, seu Sanctificans non est æqualis in omnibus, potestqué augeri. Hinc in Apocalipsi cap: 22. dicitur. *Qui justus est, justificetur adhuc, & qui Sanctus Sanctificetur.*

cetur; & Apostolus Paulus ad Philip: cap: 1mo: inquit: *Hoc oro, ut charitas vestra magis, ac magis abundet*, quare Ecclesia pro filiis suis preccatur à Deo justitiæ augmentum, orans. *Da nobis fidei, spei, & Charitatis augmentum.* Certè dispositiones quæ ad gratiam justificationis præparant, non sunt in omnibus æquales, ergo nec in omnibus æqualis est justitia, augeri ergo potest, & id Concilium Trident. Seſs: 6ta Can: 4to expreſsè definivit. *Si quis dixerit justitiam acceptam non augeri coram Deo per bona opera, anathema sit.*

Quæres 4to: Quid gratiæ habituali annexum sit?

Resp: Gratiæ habituali semper annexa, atqué adjuncta sunt. *1mo:* virtutes Theologicæ, & morales ordinis supernaturalis. Namque Concilium Tridentinum Seſsione 6ta cap: 7mo: docet in justificatione, cum remiſsione peccatorum homini infundi fidem, spem, & charitatem, & Catehismus Romanus dicit, *nobiliſsimum omnium virtutum comitatum* homini cum gratia Sanctificante tribui *2do:* dona Spiritûs Sancti. Homo enim dum per gratiam Divinam justificatur, ac Sanctificatur, Christo inseritur tamquam membrum capiti, ut Spiritu ejus vivat, & regatur, debet ergo per gratiam habitualem disponi ad excipiendas omnes motiones Spiritûs Sancti, disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, qui illi infunduntur, ad extraordinarias verò, per dona supernaturalia, quæ illi conceduntur.

Quæres 5to: Utrum gratia habitualis neceſsaria sit ad benè operandum?

Resp: Wiclefus, & Joannes Hus docuerunt, ita gratiam habitualem ad benè operandum eſse neceſsariam, ut omnia peccatorum opera sint peccata. Hunc illorum errorem damnavit Concilium Constantiense Seſs: 15ta in qua sequens propositio proscripta fuit. *Divisio immediata operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa, quia si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiosé, quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.* Istiusmodi errorem avidé postea arripuerunt Lutherani, & Calvinistæ, imo & ampliârunt, docentes omnia etiam justorum opera totidem eſse peccata, tametsi propter fidem justis non imputentur, unde iterum ejusmodi error in Concilio Trident: Seſs. 6ta Canon 7mo damnatus fuit. *Si quis dixerit, omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, quâcunque*

que ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quantò vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit. Dogma itaqué Catholicum est, gratiam habitualem, seu Sanctificantem ad benè operandum nón omnino esse necessariam, ac proinde non omnia peccatorum opera esse peccata. *Probatur 1mo* ex Sacris Scripturis Math: cap: 3tio S. Joannes Baptista, sic exhortatur Phariseos, & Saducæos: *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum penitentiæ.* Christus etiam Lucæ cap: 18. commendavit P blicani humilitatem; *qui à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori,* & hæc ipsius humilitas, atqué pænitentia placuit Deo, quia *descendit justificatus in domum suam.* Actorum quoqué cap: 10. laudatur Cornelius Centurio, tamquam *vir religiosus, ac timens Deum, cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi; & deprecans Deum semper,* & istius opera certò placuerunt Deo, quoniam orationes, & eleemosynæ ejus *ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei.* Certè nec Pharisæi, aut Saducæi, nec Publicanus, aut Centurio tum justi erant, & tamen jubentur fructus dignos pænitentiæ facere, opera illorum Deo placent; non sunt ergo peccata, quia odio est Deo impius, & impietas ejus. Igitur ad benè operandum gratia habitualis non est necessaria, neque omnia peccatorum opera sunt peccata. Et certè perspicuum est, posse ab homine peccatore; gratia Sanctificante destituto, opus undequaque bonum fieri, sive bonum ex ratione objecti, ut cum impius tribuit pauperi eleemosynam, sive etiam bonum ratione finis; nihil enim prohibet quin peccator opera sua bona in Deum referat, cujus aliqualem amorem habet, & à quo gratia præveniri potest. Meritò itaque multæ Baji ac Quesnelii propositiones, quæ istiusmodi errorem continebant à Summis Pontificibus, Pio 5to Alexandro 8vo, & Clemente 11mo damnatæ sunt, veluti sequentes. *Omne quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est. Omne quod non est ex fide, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

Objicies 1mo, In multis Scripturæ Sacræ locis opera alioquin in se bona, quia tamen ab impiis procedunt, ut Coinquinata reijciuntur. Sic Psal: 49. inquit Deus peccatori. *Quare tu ennarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Prov: cap: 15. *Victimæ impiorum*

orum abominabiles Domino ac deniqué ad Titum cap: 1mo inquit Paulus. *Omnia munda mundis, coinquinatis veró, & infidelibus, nihil mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia.* 2do: Math: cap: 7mo dicit Christus. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Sed peccator est arbor mala, ergo nihil boni facere potest.

Resp: ad 1mum: Ideo hæc in Scripturis Sacris dicuntur, quia peccatorum opera quamvis in se bona, sæpissimè sunt mala, quia ab ipsis malè fiunt, animo scilicet impænitenti, & ad omne scelus comparato, vel ad malum finem diriguntur, vel denique detestabili hypocrisis vitio coinquinantur, unde postquam dixerat Deus peccatori, quare tu enarras justitias meas, statim superadditur. *Tu vero odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum,* & Proverbiorum cap: 21. redditur ratio cur victimæ impiorum abominabiles sint Domino, quia nimirum ex scelere offeruntur, unde etiam ore Isaiæ Prophetæ, olim conquerebatur Deus cap: 29. *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longé est á me.* Paulus autem Apostolus docet errore, conscientiæ seductis nihil esse mundum de cibis, quos vetitos esse putantes manducabant, & per hoc etiam infirmis fratribus offendiculum ponebant, unde in Epist: ad Romanos cap: 14to dicit. *Omnia sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Sed & eorum qui errore conscientiæ sic coinquinabantur, perversas graphicè describit dispositiones. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Mundis autem, qui ex rectæ conscientiæ persvasione agunt, omnia munda esse docet quæcunque manducant, quia ut ibidem adjungit Apostolus ad Romanos scribens. *Beatus, qui non judicat semetipsum in eo, quod probat.*

Ad 2dum: Arbor mala de qua loquitur Christus, seu impius, & peccator, quamdiu agit ex mala & perversa voluntate, non potest benè operari, sed quemadmodum justus, aliquando ex mala voluntate agit, & tunc malé agit, ita quoque aliquando & peccator, ex bona voluntate agit, & tunc benè agit, unde ibidem dicit Christus. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in Cælis est, dabit bona poscentibus se.*

AR-

ARTICULUS 2dus.

De justificatione impiorum.

Quæres 1mo: Qui circa justificationem impiorum errârunt?

Resp: Circa justificationem impiorum, errârunt maximè Lutherus, & Calvinus eorumqué sectatores. Et quidem *1mo*: uni fidei vim justificandi attribuerunt, atque ab ipsa sola justificationem impii procedere aſseruerunt. *2do*: hanc autem fidem cui justificandi vim attribuunt, docent non illam eſse fidem, qua religionis nostræ dogmata credimus, sed eſse fidem promiſsionum, qua credimus remiſsa nobis eſse peccata. *3tio*: justificationem impii, nihil aliud eſse, quam externam peccatorum non imputationem. *4to*: justificationem proinde impii non fieri per interioris gratiæ infusionem, sed per solius justitiæ Christi nobis factam imputationem. *5to*: tandem superaddunt quemlibet de sua justificatione ita certum eſse, quemadmodum de aliis articulis fidei certus est, unde affirmant justitiam semel adeptam, ammitti non poſse, non quidem quasi homo justificatus in peccata prolabi non poſsit, sed quia scelera in quæ prolabitur, licet graviſsima, ipsi à Deo non imputantur. Hos omnes errores Concilium Tridentinum Seſs: 6ta condemnavit, & Catholicam de justificatione doctrinam admirando, ac Divino prorsùs modo declaravit.

Quæres 2do: An soli fidei adscribenda sit justificatio impij.

Resp: Justificatio impij soli fidei non est adscribenda. *Probatur* id ex Sacris Scripturis & *1mo*: S. Jacobus Apostolus in sua Epistola penè totus est, ut ostendat non solam fidem justificare, atque inter alia multa cap: 2do sic inquit. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. Numquid poterit fides salvare eum,* & istius ratio hæc est, quia fides *si non habeat, opera mortua est in semetipsa*, atque ibidem postquam adductis multis maximè Abrahæ exemplis probavit ex bonis operibus justificari hominem, sic concludit. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm, sicut enim corpus sinè Spiritu mortuum est, ita & fides sinè operibus mortua est. 2do.* Id ipsum docet & Paulus Apostolus ad Romanos cap: 2do: *Non auditores legis*

gis justificati sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Certè ut idem docet Apostolus 1ma ad Corinth: cap: 13tio: fides ab operibus charitatis seiuncta nihil valet, non potest ergo justificare. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Undé Joannes Apostolus 1ma Epist: cap: 3tio inquit: *Qui non diligit, manet in morte.* Præterea Scripturæ Sacræ aliis etiam præter fidem virtutibus vim justificandi tribuunt. Sic timori Eccles: cap: 1mo: *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sinè timore est, non potest justificari.* Spei Proverb: cap: 28. *Qui sperat in Domino sanabitur*, unde in Evangelio sæpius ad obtinendam remissionem peccatorum fiducia exigitur, veluti Math: cap: 9no. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* Maximè autem justificatio charitati adscribitur. 1ma Joan: cap: 3tio: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Non ergo sola fides justificare potest. Meritò itaque Concil: Trident: Sess: 6ta, cap: 6to. præter fidem, alias quoque ad justificationem dispositiones, videlicet timoris, spei, ac præcipuè charitatis prærequirit.

Objicies: Nihil frequentius apud S. Paulum, quàm justificationem soli fidei esse tribuendam, & id in Epistola ad Romanos probare nititur, unde dicit cap: 3tio. *Arbitramur justificari hominem per fidem sinè operibus legis.* Et ad Ephes cap: 2do inquit: *Gratia estis salvati per fidem, & non ex operibus.* Exclusis ergo operibus sola fides justificat.

Resp: S. Paulus Apostolus justificationem maximè fidei tribuit, non quasi hæc sola justificat, sed quia ipsa est totius justificationis primum fundamentum, & à Deo nobis donatur, non operum intuitu, sed gratuita bonitate. Ita mentem Apostoli explicat Tridentina Synodus Sess. 6ta cap: 8vo dicens. *Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, & gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis.* Docet ergo Apostolus justificari hominem sinè operibus, & per fidem, sed sinè operibus legis antiquæ, sive cæremoniis legalibus, quarum observationem jam inutilem esse probat, justificari verò asserit hominem per fidem Jesu Christi, non excludendo opera pietatis ex gratia ipsius facta, unde ad Galatas

cap:

cap: 5to: inquit. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per caritatem operatur.*

Quæres 3tio: Qualis est ista fides, quæ inter cæteras dispositiones, ad justificationem prærequiritur?

Resp: Est fides, quâ firmiter credimus omnia, quæ â Deo revelata sunt. Hunc Concilium Tridentinum Sefs: 6ta cap: 6to exponens modum quo peccatores ad justificationem præparantur, sic describit. *Disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata, & promissa sunt, atquè illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Fides itaque, quæ inter cetera ad justificationem requiritur, non est illa, ut volunt Hæretici, fides specialis, quâ homo certò, & sinè ulla hæsitatione credat, sibi dimissa esse peccata, sed est dogmatica, & catholica, quâ firmiter credimus omnia â Deo revelata, atqué promissa. Enimverò Scripturæ Sacræ ad justificationem semper illam requirunt fidem, quâ Religionis nostræ Mysteria, ac dogmata credimus, atqué profitemur. Sic Joan: cap: 20. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*, & Paulus ad Roman: cap: 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris:* quare idem Apostolus ad Hebræos cap: 11. describens fidem justificantem, illam videlicet quâ justus vivit, & sinè qua impossibile est placere Deo, eam definit. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Fides ergo justificans est assensus firmus iis omnibus præstitus, quæ â Deo sunt revelata, non vero ea fides, quâ quis certò, & sinè ulla hæsitatione credit sibi dimissa esse peccata. Et certè qui justificantur, nec certò sciunt, nec ordinariè possunt scire, peccata sibi esse dimissa, quomodo ergo istud sinè ulla hæsitatione credere possunt?

Objicies. Scripturæ Sacræ passim ad obtinendam remissionem peccatorum requirunt fiduciam, quemadmodum & paralytico dixit Christus Math: cap: 9no. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ergo fides justificans, est fides quâ certò credimus remissa nobis esse peccata.

Resp: Scripturæ Sacræ ad obtinendam remissionem peccatorum, requirunt fiduciam, seu spem firmam obtinen-

nendæ veniæ per merita Christi, quam etiam inter alias dispositiones ad justificationem prærequisitas, Concilium Tridentinum reposuit, & quæ ex fide enascitur, ut eadem edocet Synodus Sess: 6ta cap: 6to, ubi modum, quô ad justificationem præparantur adulti describens, sic inquit: *peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quó utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*, unde & Paulus ad Ephes: cap: 3tio de Christo inquit: *In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem ejus*, ubi fiduciam, quæ ad spem pertinet, à fide discernens, ex hac illam oriri docet. Atque hanc spem in fide firmatam, ab istiusmodi paralytico exigebat Christus. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, Divina siquidem collustratus gratia, quâ in Christum promissum liberatorem credebat, in spem erigebatur, qua & corporis valetudinem, & peccatorum suorum à Salvatore expectabat remissionem. Fiducia itaque istius Paralytici, quam Christus ab illo exigebat, non erat fides, quâ crederet sibi remissa esse peccata, nequé ullibi talem fidem ad justificationem Scripturæ Sacræ prærequirunt, sed est fiducia in fide fundata, quâ sperabat â Christo cum corporis sanitate, suorum peccatorum obtinere remissionem. Et hæc ad justificationem consequendam omnino prærequiritur, & est necessaria.

Quæres 4to: Quæ igitur sunt dispositiones ad justificationem consequendam omnino necessariæ?

Resp: Dispositiones ad justificationem consequendam in Adultis omnino necessarias Concilium Tridentinum Sess: 6ta cap: 6to: 14to. & clarissimè enucleavit, & fortissimè comprobavit. Et quidem *1mo:* ad primam gratiam justificationis, quæ per Baptisma confertur, in adultis requirit fidem, quâ veritates Divinitus revelatas credant, timorem Divinæ justitiæ, spem, seu fiduciam in misericordia Dei, amorem Dei initialem, illum scilicet amorem, quô Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, odium, atqué detestationem peccatorum, ac tandem propositum vitæ melioris. *2do:* in lapsis veró post Baptisma, ut rursum justificentur requirit cessationem à peccatis, & eorum detestationem, cor contritum & humiliatum, peccatorum Sacramentalem Confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, Sacerdotalem absolutionem, ac

tan-

tandem satisfactionem pro peccatis per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia.

Quæres 5to. Utrùm in justificatione peccata verè deleantur, ac remittantur?

Resp: In justificatione impii, non teguntur solùm, aut extrinsecè condonantur peccata sed verè remittuntur, ac prorsùs delentur. Id constat apertissimè ex Scripturis Sacris, in quibus peccata nostra dicuntur tolli, & deleri. 2do: Regum cap: 12. Propheta ad pænitentem David dicit: *Dominus transtulit peccatum tuum*, Joan: cap: 1mo Christus vocatur *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Psalmista rogat Deum Psal: 50. *Dele iniquitatem meam*, & Jasaiæ cap: 44. dicit Deus. *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua.* Dicit ulteriùs Scriptura nós à peccatis ablui, & mundari. Sic Psal: 50. David rogat Deum. *Asperges me Domine hysopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor*, & 1ma Corinth. cap: 6to dicitur. *Abluti estis. Sanctificati estis, justificati estis.* Deniqué dicit Scriptura peccata nostra à nobis quam longissimè amoveri, Psalmo 102. *Quantum distat ortus ab occidente, longé fecit à nobis iniquitates nostras.* Sed & nullum excogitari potest vocabulum, ad veram peccatorum significandam remissionem idoneum, quod non in Scripturis reperiatur. Verum & Sancti Patres unanimi consensu docent, per gratiam justificationis verè peccata nostra remitti, & ab illis nos ablui. S. Joannes Chrisost: libro 2do de compuct: cordis, sic inquit. *Cordis compunctio, sicut ignis omne animæ vitium perurit, & adimit, & quantacumqué in ea reperit mala, abstergit universa, & penitùs delet.* Certè in justificatione infunditur gratia Sanctificans. Hæc vero peccatum omne, omninò delet, nequé cum illo ullatenùs stare potest, quarè Apostolus hæc tria secùm conjunxit. *Abluti estis, Sanctificati estis. Justificati estis*, quia nimirum, qui justificatus est, ille & Sanctificatus, & ablutus est, qui verò ablutus, ac Sanctificatus est, illius omninò intrinsece deleta sunt peccata. Ergo in justificatione impii, non teguntur, sed verè remittuntur, & delentur peccata.

Dices. Psalmo 31. dicitur. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo peccata in justificatione teguntur solùm, non verè tolluntur.

Resp: Cum omnia coram Deo nuda sint & aperta, omnemqué Deus abominetur impietatem, peccata nostra

ideò

ideò tegi & non imputari dicuntur, quia verè et intrinsecè, per collationem justitiæ, eorum absterguntur maculæ, quare Apostolus ad Roman: cap: 4to, prædicta Psalmistæ allegat verba, ut iis probet impium à Deo justificari, atqué fidem ejus ad justitiam ipsi reputari, secundùm propositum gratiæ. *Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sinè operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, ubi enim justitia, ibi iniquitas locum habere nequit. Non ergo ita peccata nostra teguntur, & nobis non imputantur, quasi in nobis ipsa remaneant, sed quia verè & intrinsecè abolentur, auferuntur, delentur. Undè S. Augustinus in hunc Psalmum scribens sic loquitur. *Cooperta sunt peccata ablata sunt, tecta sunt. Non sic intelligatis, quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant.*

Quæres 6to. Per quid peccatores justificantur?

Resp: Peccatores justificantur non per externam justitiæ Christi imputationem, sed per interiorem gratiæ infusionem, atqué intrinsecam hominis renovationem. Manifestum hoc est ex Scripturis Sacris, Ezech: cap: 36 inquit Deus: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri*, & S. Paulus Epist: ad Titum cap: 3tio sic inquit. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effundit in nos abundè per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ*, & item ad Ephesios cap: 4to sic ait. *Renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.* Jam verò si justificatio peccatoris fieret per solam externam justitiæ Christi imputationem, non regeneraremur, nequé renovaremur per Jesum Christum Spiritu mentis nostræ, peccator justificatus non fieret novus homo in justitia, & Sanctitate, non mundaremur gratiâ justificationis veluti aqua munda ab omnibus inquinamentis nostris. Ergo justificatio peccatoris non fit per solam externam justitiæ Christi imputationem, sed per internam gratiæ infusionem, atquè intrinsecam hominis renovationem. Undé S. Augustinus libro de Spir: & Litt: cap: 9no sic inquit: *Justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium.* Et Epist: 8va ait: *Quid est aliud justi-*

tia

tia cum in nobis est, quam interioris hominis pulchritudo.

Dices. S. Apostolus Paulus docet, nos per solam justitiæ Christi externam imputationem justificari, nam 1ma ad Corinth: cap: 1mo de Christo sic inquit. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, & sanctificatio, & redemptio,* & ad Romanos cap: 5to. ait. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituentur multi.*

Resp: Christus est causa nostræ justitiæ efficiens, & meritoria, quia scilicet gratia sua nos justificat, per suam obeditionem, quâ obediens factus est usqué ad mortem, promeruit nobis ut mortui peccatis, justitiæ vivamus, & idêo factus est nobis justitia, Sanctificatio, & redemptio, atqué per illius obeditionem justi constituimur, non verò quod per ipsius justitiæ aut obeditionis externam tantummodo imputationem justificemur. Undé in eadem Epist: ad Romanos cap: 5to sic loquitur Paulus. *Sicut unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vitam regnabunt, per unum Jesum Christum.*

Quæres 7mo: An non in sola remifsione peccatorum, consistit nostra justificatio?

Resp: In justificatione, verê quidem peccata remittuntur, sed in sola remifsione peccatorum non consistit justificatio, sed in dono quodam supernaturali animæ inhærente. Enimverò ut docet Apostolus 1ma Corinth: cap; 6to. injustificatione non solùm à peccatis abluimur, sed & Sanctificamur, & ad Ephesios cap: 4to Spiritu mentis nostræ renovamur, atqué dum justificamur. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis*, ad Roman: cap: 5to. Quæ omnia evidenter denotant donum aliquod internum, animæ inhærens. Justificatio igitur, non consistit in sola remifsione peccatorum. Et certè justificatio ex inimicis Dei facit amicos, filios, domesticos Dei, hæredes regni cælestis. Porrò istiusmodi insignes tituli, solam, ac nudam non exprimunt remifsionem peccatorum. Nequé enim amore dignus est aliquis idêo solùm, quod ipsi debita condonata sunt, nec continuo efficitur filius aut hæres, quod pœna ipsi debita, remifsa illi fuerit.

Quæres 8vo. Utrum sinè speciali Dei revelatione, potest quis de sua justificatione certus efse?

Resp: Sinè speciali Dei revelatione, nemo de sua justificatione certus omnino efse potest. Namqué Eccles: cap:

cap: 9no dicitur: *Sunt justi, atqué ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*: & Paulus Apostolus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 4to de se ipso sic pronuntiat. *Nihil mihi conscius ſum, ſed non in hoc justificatus ſum; qui autem judicat me Dominus est.* Undé S. Augustinus libro de perfect: justitiæ cap: 15. sic inquit. *Quantalibet justitia sit prœditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videat, inveniatur eſse culpandum.* Meritò itaqué Concilium Trident: Seſs; 6ta cap: 9no definivit, nullum scire poſse certitudine fidei, cui falsum subeſse non potest, se gratiam Dei eſse consecutum. Certè nihil fide Divina credi potest, nisi quod in Verbo Dei continetur, aut ex illo evidenter deducitur. Porrò hunc, vel illum in particulari eſse justificatum, nequé in verbo Dei continetur, nequé ex illo evidenter deducitur. Ergo fide Divina istud credi nequit.

Dices: S. Paulus ad Romanos cap: 8vo ait. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quod ſimus Filii Dei.* Testimonium autem Spiritûs Sancti certum est & infallibile.

Resp: Hoc testimonium Spiritûs Sancti non fit signis evidentibus, aut per revelationem, quæ omnimodam certitudinem pariunt, sed signis nonnisi quibusdam moralibus, svavitate scilicet, aut interna pace, quæ moralem quandam parere poſsunt certitudinem, semper timidam, & suspectam, non verò plenam & absolutam, qualis requiritur, ut firmiter aliquid credatur.

Quœres 9no. Utrùm semel adepta justitia amitti poſsit?

Resp. Justitia, atqué gratia sanctificans semel adeptæ amitti poſsunt. Id constat ex Scripturis Sacris. Deus namqué ore Ezechielis Prophetæ cap: 18. sic comminatur. *Cum averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Potest ergo justus à justitia sua discedere, potest facere iniquitatem, potest in illa mori. Undé Apostolus 1ma Corinth: cap: 10. monet justos. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Sed & ipse Christus, Math: cap: 26. exhortatur. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, quaré Paulus 1ma Corinth: cap: 9no de seipso ait. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forté cum aliis prœdicaverim, ipse reprobus efficiar.* Sed justum poſse labi, à justitia excidere ipsa Davidis, Petri Apostoli probant exempla, quare Concilium Tri-

 dent:

dent: Sess: 6ta Can: 23. sic definivit. *Si quis hominem semel justificatum, dixerit ampliùs peccare non posse, nequè gratiam amittere, anathema sit.*

Dices: S. Joan: Apost: Epist: 1ma cap: 3tio sic inquit. *Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius manet in eo, & non potest peccare quoniam ex Deo natus est.* Cum ergo justificati, qui manent in Deo, & in quibus semen ipsius, hoc est Divina gratia, permanet, peccare non possint. Justificatio semel habita, amitti, & deperdi nequit.

Respo: Justi, qui constanter permanent in Deo, ipsi adhærendo, gratiis illius fideliter cooperantur, moraliter loquendo peccare non possunt, quia Deus neminem deserit, nisi priùs ab ipso deseratur, & ut dicitur Eccles: cap: 2do: *Quis permansit in mandatis ejus, & derelictus est*, & hoc sensu S. Joannes docet eos qui stabiliter permanent in Deo, & in quibus semper permanet semen illius, afferens fructus suos in tempore suo, non posse, moraliter scilicet loquendo, peccare, sed absolutè loquendo, si gratiæ Divinæ defuerint, si tepidi ac segnes facti, à fervore Spiritûs exciderint, possunt peccare, quod & ipsa nos edocet experientia, tales enim Deus ut idem Apostolus in Apocalipsi cap: 3tio docet, incipit evomere de ore suo, uberiores ipsis subtrahendo gratias, quibus destituti, aliquando etiam in gravia proruunt peccata, quare in eadem Epistola sua Joannes Apostolus admonet justos, ut sibi caveant ne fortè seducantur, & cadant. *Filioli nemo vos seducat*: absolute ergo loquendo justi pecare possunt, & à justitia excidere.

ARTICULUS 3tius

De merito bonorum operum.

Quæres 1mo: Quid, & quotuplex est opus bonum?

Resp: Opus humanum si legibus, & Divinæ voluntati conforme sit, illisqué cohæreat, bonum est, si verò legibus ac Divinæ voluntati adversetur, & contrarium sit, malum est. Cum verò nonnulla sunt, quæ nec jubentur, nec vetantur, hæc si generatim considerentur, ac secundum objectum suum, nec bona erunt, nec mala, undé docent Theologi dari actus humanos in specie indifferentes,

tes : quod si hæc ipsa opera considerentur secundùm omnes operis circumstantias, bona sunt, aut mala, quia sic legibus, ac maximè Divinæ subsunt ordinationi, quare non dantur opera humana in individuo spectata, quæ sint indifferentia. Duo autem in quolibet humano opere maximè attendenda sunt, scilicet objectum, ad quod opus ex se refertur, illudqué ex natura sua respicit : & finis, quo homo ad operandum allicitur, ac permovetur. Ut itaqué opus humanum undequaqué bonum censeatur, ex fine, & ex objecto rectum eſse debet, legibus, ac Divinæ voluntati conforme.

Porrò opera humana bona duplicis sunt generis: alia moraliter tantummodo bona, alia bona salutariter. *Prima* sunt illa, quæ quamquam in se bona, nihil tamen conferunt ad finem nostrum supernaturalem obtinendum, sunt proinde ordinis pure naturalis. *Secunda* sunt, quæ nos ad finem supernaturalem, seu salutem nostram disponunt, atqué deducunt, ideò salutaria dicuntur, suntqué ordinis supernaturalis.

Quæres 2do: Quid, & quotuplex est meritum?

Resp: Meritum est exigentia, ac expostulatio retributionis, unde opus meritorium dicitur, quod retributionem exigit, atqué expostulat. Sed hoc Philosophicè dictum est. Jam verò sensu Theologico, meritum, seu potiùs opus meritorium, est illud, quod propter suam præstantiam, ac dignitatem, exigit à Deo præmium, atqué retributionem. Sed quia retributio boni operis variis titulis exigi potest, ideoqué & meritum multiplex est, præcipuè verò aliud est de condigno, aliud verò de congruo. Meritum de condigno est, quando merces debetur, ex aliqua stricta obligatione. Meritum de congruo, quando merces debetur ex aliqua solum decentia, atqué convenientia. Quamvis verò hæc duplicis meriti distinctio, omnibus Theologis probatur, magnumqué habet tum in Scripturis Sacris, tum in Sanctis Patribus fundamentum, ad fidem tamen minimè pertinet, & Concilium Tridentinum licetsi definierit justos per bona sua opera, quædam mereri, non definivit attamen quomodò illa mereantur, de congruo, an de condigno, ex rigore justitiæ, an non, sed solùmmodo definivit justos, bonis suis operibus verè mereri.

Quæres 3tio. Qui circa bona nostra opera eorumqué merita, erraverint?

Resp: Circa bona nostra opera eorumqué merita errârunt. *1mo.* Lutherani, & Calvinistæ, docent justos etiam in

in quolibet bono opere saltem venialiter peccare, omniaqué illorum opera sordes esse & inquinamenta, ac proindé omnia opera bona è medió sustulerunt. *2do*: errârunt item Lutherani & Calvinistæ, qui ad consequendam salutem opera bona esse necessaria negârunt. 3tio. tandem Lutherus & Calvinus omne meritum bonis nostris operibus abjudicârunt. Hos errores Concilium Tridentinum damnavit, & anathemate perculsit.

Quæres 4to: *Utrùm dentur opera humana, quæ verè bona sint?*

Resp: Dantur opera humana, quæ reipsa bona sunt, Enimveró opera quæ legibus ac Divinæ voluntati conformia sunt, undequaque bona sunt. Talia autem opera dari indubitatum est. Id imprimis constat ex facto Mariæ, quæ ad Salvatoris pedes provoluta, lachrymis perfudit, & capillis suis extersit, ac prætioso balsamo inunxit, quod Christus laudavit dicens Math: cap: 26. *Bonum opus operata est.* Paulus etiam Epist: 2da cap: 19. monet Corinthios, *ut abundent in omne opus bonum*, & ipse fervidas ad Deum præces fundebat pro Colossensibus ut in opere bono fructificarent, cap: 1mo: Tito quoqué jubet cap: 3tio adhortari suos, *ut curent bonis operibus præesse*, quia nimirum *hæc sunt bona, & utilia hominibus.* Jacobus veró Apostolus, ipsam etiam fidem sinè bonis operibus mortuam esse docet. Quare S. Petrus Epist: 2da. cap. 1mo omnes fideles sic monet. *Satagite fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Dantur ergo opera humana, quæ reipsa bona sunt.

Falsum igitur ac æqué impium est dicere, etiam justos in omni opere bono peccare, justorumqé omnia opera, sordes esse, & inquinamenta. Constat namqué, justos Divina gratia exornatos, opera ex omni parte bona perficere. Hinc Psalmista dicit Psal: 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini:* & de seipso dicit Psalmo 13. *Retribuet mihi Dominus secundùm justitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi:* & de Christo dicit Paulus ad Titum cap: 2do *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*, quare in Apocalipsi cap: 19. justificationes Sanctorum comparantur byssino splendenti, & candido.

Quæres 5to *Utrum siné fide opus moraliter bonum fieri possit?*

Resp: Sinè fide, imo & absqué ulla veri Dei cognitione,

tione, fieri possunt aliqua opera moraliter bona, unde non omnes infidelium actiones sunt peccata. Id patet ex Scripturis Sacris, in quibus aliqua infidelium opera veluti bona commendantur, ac temporali à Deo mercede donantur. Sic Exodi cap: 1mo: dicitur. *Benefecit Deus obstetricibus, & quia timuerunt Deum œdificavit eis domos.* quod scilicet juxta Pharaonis imperium nascentes Hebræos non interfecerunt, propter hoc ædificavit illis Deus domos, prolem copiosam concedendo. Similiter Ezechielis cap: 29. Rex Nabuchodonosor propter bellum adversùs Tyrios gestum, quod Deus imperaverat, mercedem temporalem accepit, terram scilicet Ægypti, & manubias ejus. Certè illa opera undequaque, scilicet tùm ex objecto, tùm ex fine bona sunt. quæ in Scripturis Sacris laudantur, quæque temporali mercede à Deo donantur, opera enim, licètsi ex objecto bona, sed ex fine prava, supplicium à Deo merentur, non præmium. Porro quædam opera infidelium, sinè fide, imò & sinè veri Dei cognitione facta, in Scripturis Sacris laudantur, & à Deo temporaliter remunerantur. Ergo sinê fide, imo absqué ulla veri Dei cognitione, possunt aliqua opera moraliter bona fieri. Hinc Alexander 8vus sequentes damnavit propositiones. *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*: & hanc alteram. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

Obijcies: Paulus Apostolus ad Roman: cap: 14to dicit. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, & ad Hebr: cap: 11. inquit. *Sinè fide impossibile est placere Deo.* Undè S. Augustinus ex professo contra Pelagianos, probat virtutes Infidelium, non esse veras virtutes, sed vera vitia, eorumqué opera, quæ videntur bona, vera esse peccata.

Resp: Cum Apostolus dicit, id omne esse peccatum, quod non est ex fide, per fidem intelligit testimonium, ac persvasionem propriæ conscientiæ, quia scilicet quidquid homo agit sinè testimonio, atqué persvasione propriæ conscientiæ, illud rectum ac licitum esse nequit, illud omne peccatum est, ibi enim illos redarguit, qui cum nonnullos cibos vetitos esse putarent, illos tamen contra conscientiæ suæ dictamina, manducabant, quare eos admonendo docet, id omne quod non est ex fide, seu quod fit contra dictamen propriæ conscientiæ peccatum esse.

Sinè fide etiam, quæ per caritatem operatur, & quæ in operibus bonis abundat, impossibile est placere Deo, illa

illa enim hominem justificat; sanctificat, ac proinde Deo charum, atqué amabilem efficit. Sed opus aliquod sinè fide moraliter bonum, atqué Deo placitum eſse potest.

Jam verò S. Augustinus contra Pelagianos agens, docet 1. Infidelium virtutes ac opera, quæ ratione sui, & ex obiecto bona eſse videbantur, sed pravo, ac perverso fine fiebant, non eſse bona sed mala. 2. docet infideles veris etiam virtutibus, nec justificari, nec ad salutem sinè gratia pervenire poſse, quemadmodum erroneè Pelagiani arbitrabantur. 3. Tandem docet S. Augustinus virtutes ac bona opera infidelium eſse vacua, sterilia, quia sinè gratia facta, nihil conferunt ad æternam beatitudinem consequendam. Hæc tantummodò contrà Pelagianos disputans, docet, atqué probat S. Augustinus; semper autem virtutes, ac opera infidelium, quæ undequaqué recta ſunt, videlicet & ex obiecto, & ex fine, moraliter eſse bona, non vitia, non peccata, affirmabat.

Quæres 6to. Potestné homo ſinè influxu actualis charitatis, rectè, ac laudabiliter operari?

Resp: Sinè influxu actualis charitatis, qua Deus propter se diligitur, potest homo rectè, laudabiliterqué operari, undè dantur opera verè bona, ac Christiana, absqué ullo charitatis propriè dictæ motu. Enimverò actus fidei, spei, timoris in se spectati, atquè à charitate separati; recti sunt, & à Spiritu Sancto movente, producuntur. Undé Concilium Tridentinum Seſs: 6ta cap: 6to, per istiusmodi actus, fidei, spei, timoris, prôut etiam initialem dilectionem antecedunt, peccatores ad justificationem disponi docet. Evidens ergo est absqué ullo charitatis influxu poſse hominem rectè laudabiliterqué operari. Certè potest homo sinè fide, ſinè gratia, solis viribus naturæ quædam benè, & laudabiliter operari. Ergo à fortiori potest rectè & laudabiliter absqué initiali etiam charitate agere.

Et verò ideo sinè influxu charitatis dicunt, nihil boni hominem perficere poſse, quia arbitrantur ipsi nullum dari medium inter vitiosam cupiditatem, & propriè dictam charitatem, ac proinde hominem, si non agit ex charitate, agere ex illicita cupiditate, ac propterêa peccare. Verùm hoc falsiſsimum est, enimverò dantur Christianæ, & laudabiles virtutes, non solùm fidei, spei, sed & misericordiæ, benignitatis, humilitatis, modestiæ, patientiæ, quæ & à charitate proprie dicta secernuntur, & illicita cupiditate minimè vitiantur. Undè Apostolus 1ma Corinth: cap: 13. inquit. *Nune manent fides, ſpes, charitas*

tas, tria hæc, major autem horum est charitas: & ad Colos: cap: 3tio ait. *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Super omnia autem hæc charitatem habete.* Cum itaqué dentur Christianæ & laudabiles virtutes, à charitate omnino distinctæ, ac proinde & actus illarum boni, atqué recti sunt, nequé ab illicita cupiditate vitiantur, poſsunt ergo multa bona rectè ac laudabiliter fieri sinè influxu actualis proprie dictæ charitatis.

Dices: Ex S. Augustino Enchyr: cap: 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas*, & S. Leo Serm: 5to de jejunio septimi mensis, sic inquit. *Duo amores ſunt, ex quibus prodeunt omnes voluntates. Rationabilis enim animus, qui sinè dilectione eſse non potest, aut Dei amator est, aut mundi, in dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.* Si ergo homo non agit ex charitate Dei, jam ex vitiosa cupiditate agit, & peccat.

Resp: Hæc intelligenda sunt de statu hominis habituali, ac permanente. Vel enim homo justus est, & regnat in eo Dei Charitas, unde fit, ùt plurimum, & ordinariè loquendo ex charitate agat, homo enim ordinarie agit ex habitu dominante. Vel injustus est, & peccatis deditus, tunc in eo vitiosa cupiditas dominatur ex qua ùt plurimum male & vitiosê agit. Sed præter regnantem aut Dei charitatem, aut vitiosam cupiditatem, danturin homine affectus, inclinationes, atqué habitus recti, ex quibus dum agit homo benè & laudabiliter agit, & quemadmodum justus, non ſemper agit ex regnante Dei charitate, adeo ut aliquando malam sequendo cupiditatem peccet saltem venialiter, ita quoque & injusti, ac peccatores non semper agunt ex dominante vitiosa cupiditate, & recte atqué laudabiliter agunt. Meritò itaqué damnata est à Pio 5to. Gregorio 13. & Urbano 8vo hæc Baii propositio. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudibilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum diffusa, Deus amatur.*

Quæres 7mo. Utrum bona opera ad ſalutem æternam consequendam ſint neceſsaria?

Resp: Opera bona ad æternam salutem consequendam sunt omnino neceſsaria. Enimverò si ad vitam æternam ingredi cupimus, juxta oraculum Christi, neceſse est, ut mandata ejus servemus. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Math: cap: 19no, Et cum ipse in gloria Patris judex vene-

venerit in mundum, *tunc reddet unicuiqué secundùm opera ejus, quemadmodum appromisit*, cap: 16to, & reipsa tunc temporis, iis qui opera misericordiæ exercuerunt, dicet: *venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Math: 25to: illos verò qui opera misericordiæ exercere neglexerunt, à se abjiciet, & in ignem æternum proijciet. Cum itaqué docente veritatis Magistro Christo Jesu, nemo sinè bonis operibus salutem consequi posit, certùm, & indubitatum inde efficitur, opera pietatis ad salutem omnino necessaria esse. Et hanc veritatem Sanctos Patres semper & tenuisse, & docuisse, inde est quam maximè exploratum, quia continuò Fideles exortabantur, ut in via justitiæ incedant, & progrediantur, bonis operibus incumbant, si patriam cælestem obtinere cupiunt.

Quæres 8vo. Bona hominis opera, suntné etiam meritoria?

Resp: Dogma fidei est, justorum bona opera esse meritoria, & per illa hominem justificatum verè mereri, & id definivit Concil: Trident: Sess. 6ta Can: 26. & 32. Certè Ecclesia, quæ ex Christi gratia comparamus merita, in tota antiquitate agnovit, ac prædicavit. S. Ignatius Martyr Epist: ad Romanos sic scribit. *Sinite ut bestiarum esca siere, per quam possim Dominum promereri.* Cyprianus de præcept. Eccles: inquit: *Præceptis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Ambrosius libro 1mo de officiis aìt. *Meritorum premia remanent post mortem.* Sed mirum in modum, illustrat firmatqué Catholicam veritatem Pelagij factum. Cum enim ipse viribus naturæ nostræ omnia bona opera attribuerit, Ecclesia quidem, superbum hujus Hæretici meritum proscripsit, verum illud meritum quod ex gratia descendit, magis constabilivit. Hinc S. Augustinus Epist: 105. ad Xystum, dicebat. *Quæ sua merita jactaturus est liberatus, cui si digna meritis redderentur, non esset nisi damnatus. Nullané sunt igitur merita justorum, sunt plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Concilium etiam Arausicanum 2dum universæ Ecclesiæ consensu approbatum Can: 18vo decrevit, mercedem deberi bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

Et verò ipsi Sacri Libri dogma hoc Catholicum dissertissimè probant. Sic Eccles. cap: 16to legimus. *Omnis misericordia faciet locum unicuiqué sesundùm meritum operum*

rum suorum. Math: cap: 5to inquit Christus. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*, & cap: 10. ait. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum, in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicunqué potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.* Jam verò merces à merendo dicta est, cum itaqué bonis nostris operibus merces tribuatur, & appromissa sit. bona nostra opera meritoria sunt.

Quæres 9no. In quo fundantur merita nostrorum operum?

Resp: Concilium Tridentinum Sess: 6ta cap: 16to: optimè hanc quæstionem enucleavit, sic enim inquit. *Nequé verò illud omittendum est, quod licet bonis operibus, in Sacris Litteris usqué adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum, & Apostolus testatur. id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis, absit tamen ut Christianus homo in seipso confidat, vel glorietur, & non in Domino cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Et cohærenter ad hanc doctrinam statuit. Can. 26. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, anathema sit.* Porrò ex hac Concilii Tridentini doctrina, liquet merendi virtutem, quæ bonis operibus inest. *1mo.* Dei misericordiæ inniti, qui nostris bonis operibus mercedem ac retributionem appromittere dignatus est, cum potuisset illa sinè ulla spe retributionis exigere. *2do:* inniti meritis Jesu Christi, à quibus nostra bona opera totum suum meritum trahunt. Ex quo consequitur omnia merita nostra esse dona Dei, quia tota quanta sunt à Dei gratia, promanant, undé S. Augustinus Epist: 194. inquit: *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.*

Quæres 10mo. Quæ conditiones ad meritum sivè de congruo, sivè de condigno requirantur?

Resp: Ad meritum quodlibet, sive de condigno, sive de congruo, sequentes requiruntur conditiones. *1mo* operis rectitudo, ac bonitas. Ipse enim Deus adhuc Caimo dixit

xit Genesis cap: 4to: *Nonne si bene egeris, recipies.* & Paulus ad Gal: cap: 6to. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, metet vitam æternam.* 2do: Debet istud opus esse supernaturale, scilicet ex gratia præveniente, atqué excitante fieri debet, operibus enim purè naturalibus, quantumvis bonis, nihil promereri possumus, unde Concil. Trident: Sess. 6ta cap: 16. docet, sinè gratia Christi, bona hominum opera, nullo pacto Deo grata & meritoria esse posse. 3tio: requiritur ut sit liberum, opus scilicet immune ab omni præmente necessitate. Namqué Eccles: cap: 31. exindè homo laudatur, & meretur, *quia potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit*, ideo inquam & colladautur, siquidem fecit mirabilia in vita sua, & meretur, quia bona illius stabilita sunt in Domino: & Paulus Apostolus 1ma ad Corinth: cap: 7mo docet illum benè facere, & laude esse dignum, *qui non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, judicavit in corde suo servare virginem suam*: quare damnata est ut hæretica 3tia sequens Jansenii propositio. *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* 4to: Ad meritum quodcunque requiritur stâtus præsentis vitæ, qui status viæ dicitur. Quia nimirum in hoc tantummodo statu præsentis vitæ, homo apud Deum mereri potest, undé dicitur Eccles: cap: 9no. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos.*

Dices: Ad quodlibet meritum requiritur. 1mo. Ut opus bonum sit undequaqué perfectum. 2do. Esse debet prorsùs indebitum, ac minimè præceptum, sed supererogatorium.

Resp: Istiusmodi conditiones minime requiruntur ad meritum, & sinè illis stare potest. Et quidem 1mo: Ad meritum non est necesse ut opus sit undequaqué perfectum, hoc enim non fert præsentis vitæ nostræ status, sed sufficit, ut eam habeat perfectionem, quæ infirmitati nostræ quadrat. Hinc Paulus Apostolus, licètsi ad Philippenses scribendo cap: 3tio se minime perfectum esse, fassus sit, dicens. *Non quod iam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem si quomodò comprehendam:* nihilominùs Epist: 2da ad Timoth: cap: 4to coronam justitiæ à Christo judice expectabat. Nequé etiam 2do requiritur ut opus sit omni-

omnino indebitum. Nam & servus de Domino, & filius de Patre, cum mandata custodiunt, optimè merentur. Undé etiam Math: cap: 25. dicitur. *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Quæres xxmo: Quæ requiruntur conditiones ad meritum de condigno, & quæ ad meritum de congruo?

Resp: Præter enumeratas conditiones, quæ ad omne meritum prærequiruntur, speciales adhuc conditiones expostulantur, ad meritum de condigno. Et quidem *primo*: est necefse ut homo sit in statu justitiæ, seu gratia sanctificante exornatus. Per hanc enim bona opera justi, illam acquirunt dignitatem, atqué excellentiam, ut cum repromifsa mercede proportionem habeant, quare gratia sanctificans censetur efse in justis quasi fons, & radix omnium meritorum, unde Christus Joan: cap: 4to ait. *Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Undé etiam damnata fuit Baii propositio, quâ docuit opus bonum citra gratiam adoptionis factum, efse Regni cælestis meritorium. *Secundo*: requiritur Divina promifsio de danda mercede. Enimverò bonis justorum meritis debetur à Deo merces, & retributio, quæ corona est justitiæ, à Deo justo judice reddenda, quemadmodum inquit Paulus Apostolus 2da ad Timoth: cap: 4to: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* Porrò ex nulla alia ratione potest bonis justorum operibus merces à Deo censeri efse debita, nisi quia illam dare ipse ex sua liberalifsima bonitate appromisit. Undé & S. Augustinus Serm: 158. sic inquit. *Debitor factus est Deus non à nobis aliquid accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit promittendo.* Divina ergo promifsio de danda mercede, ad meritum de condigno necefsaria est.

Jam verò ad meritum de congruo. *xmo*: Non requiritur gratia sanctificans, quia etiam Peccatores tali merito mereri apud Deum pofsunt, quemadmodum manifestum est ex facto Cornelij Centurionis, qui orationibus & eleemosynis fuis promeruit, & obtinuit, ut fidem à Petro Apostolo audiret, & Nabuchodonosori Regi, Daniel Propheta cap: 4to: hoc consilium dedit. *Peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis,* & Ezech: cap: 18vo peccatori pænitenti, Deus veniam offert, quam certè peccator,

nt

utpotè nondum justus, nonnisi de congruo bonis suis operibus promereri potuit. Quare S. Augustinus Epist: 194. docet impios mereri remissionem peccatorum. *2do:* non requiritur Divina promissio, quia merito de congruo non strictè debetur retributio, quemadmodum merito de condigno, sed tantum ex congruitate & decentia, proindequè licètsi ad meritum de condigno requiratur Divina promissio de danda mercede, non tamen illa ad meritum de congruo expetitur.

Ad meritum igitur de congruo sufficit, quod opus sit bonum, liberè ex gratia præveniente factum.

Quæres 12mo: Quid homo apud Deum mereri possit?

Resp: Quæ homines justi apud Deum promereri possint, Concilium Tridentinum Sess. 6ta Can: 32. docuit, ubi sic habetur. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem, atquè etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Ex hoc Canone apparet justos mereri. 1. augmentum gratiæ. 2. vitam æternam, ac ipsius consecutionem. 3. gloriæ cælestis augmentum. Communiter autem docent Theologi hæc omnia justum promereri de condigno, quia istiusmodi operibus nulla deest conditio ad meritum de condigno requisita.

Quæres 13. Utrum justi verè merentur vitam æternam?

Resp: Justi piis suis operibus ex gratia factis verè merentur vitam æternam. *Probatur* ex Scriptura Sacra. In illa namquè, vita æterna appellatur merces, corona. Sic Math: cap: 5to: *Merces vestra copiosa est in Cœlis.* 1ma Corinth: cap: 3tio. *Unusquisquè propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 2da ad Timoth: cap: 4to dicebat Paulus. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Jam verò merces, corona, non redditur nisi veris meritis. Ergo justi piis suis operibus verè merentur vitam æternam. Eandem veritatem unanimi consensu docent SS. Patres. Sic S. Joan: Chrysostomus Homil: de Lazaro. *Si justus est Deus, & his, & illis pro meritis reddet*, scilicet & peccantibus supplicia, & benè viventibus præmia. S. Leo Papa Serm. 2do de Epiph: sic inquit. *Non dormientibus provenit Regnum Cœlorum, sed in mandatis Dei laborantibus*

tibus, atqué vigilantibus, ut si dona illius non irrita fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere quod promisit.

Objicies 1mo: In multis Scripturæ Sacræ locis vita æterna dicitur misericordia, gratia. Sic Epist: ad Titum cap: 3tio. *Non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit:* & ad Roman: cap: 6to. *Gratia Dei vita æterna.* 2do: Christus Lucæ ca: 17mo dicit. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus:* quibus perspicuê significatur nullum in nobis esse meritum, etiamsi totam legem adimpleamus.

Resp: ad 1mum: Ex mente Concilii Tridentini Sess: 6ta. cap: 16. vita æterna est simul & merces, & gratia. Est merces quia nonnisi bonis operibus redditur, gratia autem quia gratuita Dei bonitate nobis promissa est, & merita nostra quantacunque sint, nonnisi ex gratia Dei fiunt.

Ad 2dum: Non dicit Christus. nos, cum fecerimus omnia quæ præcepta nobis sunt, servos esse inutiles, nam potiùs Joan: cap: 15to dicit: *Vos amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis,* sed tantùm, ut omnem à nobis superbiæ, & arrogantiæ radicem evellat, præcipit, ut cum fecerimus omnia, quæ nobis præcepta sunt, tamquam servos inutiles nos reputemus, & hoc verum est, quia ex nostris bonis operibus nihil utilitatis in Deum redundat, & opera nostra si in se spectentur nihil sunt, sed totum pondus, & vim merendi habent ex meritis & gratia Christi.

Quæres 14to. Utrum licitum sit agere intuitu solius mercedis, ac beatitudinis æternæ?

Resp. Agere intuitu solius mercedis, ac beatitudinis æternæ licitum, & virtuosum est. Alioquin vituperandi essent quotquot fuerunt in utroqué testamento viri sanctiores, qui intuitu æternæ retributionis, quam à Deo sperabant, operati sunt. Sic Abraham *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex & conditor Deus:* Hæbr: cap: 11mo: Moyses *aspiciebat in remunerationem,* ibidem. David Psal: 128. inquit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Sed & Christus Math: cap: 6to: jussit: *quærere primum regnum Dei,* & orando petere *adveniat regnum tuum.* Math: cap: 10. Unde meritò Concilium Trident: Sess: 6ta Can: 31. statuit. *Si quis dixerit justificatum pec-*

care,

care, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. Quare & justis proponenda est vita æterna, veluti incitamentum, ut in omni opere bono abundent, constanterque permaneant, nec enim, ut docet Apostolus ad Hebræos cap: 6to; labor eorum futurus est inanis in Domino, neque injustus est Deus, ut operis, ac dilectionis, quam in ipsius nomine ostenderunt, obliviscatur, quapropter hortatur fideles, ut non amittant confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem* Hebr: cap: 10

Quæres 15to: Quæ non possunt mereri?

Resp: Prima, quæ homini datur gratia, nullatenus neque de condigno, neque de congruo, promereri potest. Enimvero ante primam gratiam, quæ à Deo conceditur, nihil est in homine, nisi pura natura, si ergo primam gratiam homo promereretur, istiusmodi meritum esset ex operibus purè naturalibus. Porrò per opera purè naturalia, quantumvis bona, homo non potest ullo modo promereri gratiam, quæ donum supernaturale est, ac prorsus gratuitum, alias gratia jam non esset gratia. Hinc Concilium Arausicanum 2dum. Can: 6to sic statuit. *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri Divinitus, resistit Apostolo dicenti, quid habes quod non accepisti.* Et certè initia etiam operum salutarium, pij credulitatis affectus, desideria bona, sanctæ cogitationes, sunt à Deo, à gratia ipsius præveniente, excitante, nihil ergo est in homine boni quo talia promereri possit. Unde & Apostolus Epist: ad Roman: cap: 11: inquit. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula.* Prima ergo gratia, quæ à Deo homini confertur, nullo modo promereri potest.

Quæres 16. Quæ non possunt promereri de condigno?

Resp: De condigno non possunt promereri. 1mo gratia justificans. Gratia siquidem sanctificans, fundamentum est, principium, & radix meriti de condigno. Unde Concilium Trident: Sess: 6ta cap: 8vo inquit: *Nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur,* de condigno scilicet. *2do:* promereri etiam de condigno nequit perseverantia fina-

finalis, quia hæc est donum speciale, quod nonnisi misericorditer à Deo homini conceditur, & quamquam Concilium Tridentinum Sefs: 6ta Can: 32. statuerit, justum verè, et ut Theologi unanimiter volunt, de condigno, mereri vitæ æternæ consecutionem, sed eam adiecit conditionem, clausulamqué apposuit, *si in gratia decefserit*, quia satis exprefsè ab istiusmodi merito, finalem perseverantiam exemit.

Hæc tamen, sive gratia sanctificans, sive perseverantia finalis, promereri de congruo pofsunt. Et certè S. Augustinus Epist: 194. docet impios per fidem mereri remifsionem peccatorum, sic enim ait. *Nec ipsa remifsio peccatorum, sinè aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus, merito fidelis humiliatus.* Hoc porrò meritum aliud non est, nisi de congruo. Potest ergo gratia justificans de congruo promereri. Perseverantiam quoque finalem de congruo promereri pofse docet idem S. Pater Augustinus, libro de dono Perseverantiæ cap: 6to dicens. *Hoc donum Dei fuppliciter emereri potest.* Id ipsum manifestè constat ex publicis Ecclesiæ præcibus, in quibus oramus Deum. *Fac nos tuis semper inhœrere mandatis, & à te nunquam separari permittas.*

Quœres 17. Quæ prætereâ pofsunt promereri de congruo?

Resp: Præter gratiam sanctificantem, atqué finalem perseverantiam, multa adhuc promereri si non de condigno saltem de congruo pofsumus. Et quidem *1mo*: gratias actuales, auxiliaqué ópportuna ad vincendas ingruentes tentationes, ad Divina adimplenda præcepta, & nobis ipsis, & aliis promereri pofsumus. Quare S. Jacobus in Epist: sua cap: 5to ita fideles hortabatur. *Orate pro invicem ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi afsidua*: & hujus rei exemplum efse pofsunt, Sancti Paulus Apostolus, & Augustinus, quorum prior S. Stephani Protomartyris precibus, alter S. Monicæ lachrymis conversus reputatur. *2do*: sed & omnia quæ ad salutem consequendam necefsaria, & proficua nobis efse pofsunt, sivè spiritualia, sivè temporalia sint, promereri, & impetrare â Deo pofsumus. Enimvero Christus Lucæ cap: 11mo petentibus, quærentibus, pulsantibus, omnia se præstiturum, ac daturum, appromisit, dicens: *Petite, & dabitur vobis, quœrite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quœrit, invenit, & pulsanti aperietur.*

TRAC-

TRACTATUS
DE
ECCLESIA CHRISTI

CAPUT PRIMUM

De Ecclesiæ Institutione, ejusqué Hierarchia.

Quæres 1mo. Quid sit Ecclesia?

Resp: Ecclesia juxta vim Græci nominis, congregationem, seu cætum hominum significat, unde Ecclesia generaliter considerata, est societas, seu cætus hominum, certò ac præscripto modo Deum colentium. Si ergo qui certo quodam modo, & præscripta ratione Deum colunt, Ecclesiam constituere censentur: quare Ecclesia Christiana, est cætus, seu societas hominum, qui modo ac ratione à Christo præscriptis, Deum colunt, atqué ipsi deserviunt. Cum itaqué istiusmodi Christianæ societatis finis alius non sit, quam gloria Divina propaganda, & salus æterna hominibus procuranda, societas ergo hæc, purè spiritualis est. Præterea cum in illa alii sint Rectores, qui ceteris præsunt, eosqué gubernant, alij verò inferiores, qui primoribus subsunt, atqué ab ipsis reguntur: Ecclesia Christiana non est societas æqualium, sed inæqualium, & rectè Respublica Sacra dici ac nominari potest.

Quæres 2do: Quotuplex præcipué est Christi Ecclesia?

Resp: Triplex præcipuè est Christi Ecclesia. Triumphans, patiens, & militans. *Triumphans* est multitudo Beatorum in Cælis regnantium. *Patiens* est multitudo illorum, qui ex hac vita migrarunt haud satis purgati, & quibus adhuc supersunt in altera vita luendæ pænæ temporales. *Militans* est multitudo eorum, qui hoc in terris perpetuum agunt spirituale certamen adversùs tenebrarum principes.

AB:

ARTICULUS Imus

De Ecclesiæ Christi institutione; illiusqué fundatione.

Quæres 1mo: Utrum Christus in terris Ecclesiam instituerit, ac fundaverit?

Resp: Veteri abrogatâ Synagoga, Christus novam in terris instituit, ac fundavit Ecclesiam. Enimvero Ecclesia cum sit societas humana, legibus proinde, regimine, ordine, jurisdictionis potestate, unitatis vinculo, atqué eadem colendi Deum ratione coalescit, ac persistit. Porrò Christus quàm plurimis ad se vocatis, atqué attractis discipulis, cætum quemdam, à ceteris distinctum instituit, mutuæ dilectionis vinculo colligatum. Inter eos, qui ipsum sequebantur, ordinem ac regimen instituit, alios Apostolos, qui ceteros regerent, alios septuaginta duos, qui in Ministeriis ipsis commifsis illos adjuvarent, designavit, unum veró omnium Principem, Petrum scilicet, constituit, claves Regni Cælestis, ligandi, atqué solvendi Pontificium dedit, quibus & regiminis & jurisdictionis potestatem contulit. Universis autem & omnibus in se credentibus, leges Sanctifsimas, quæ Deum, proximum, ac nos ipsos spectant, præscripsit, præcepta utilifsima tradidit, certum modum orandi Deum, atqué illum colendi ordinavit, ac instituit. Indubitatùm ergo est Christum abrogatâ veteri Judæorum Synagogâ, suam in terris fundâfse, & instituifse Ecclesiam, quæ usqué ad finem mundi duraturâ est, quapropter Petro, quem Ecclesiæ suæ, quam fundare constituerat, Principem designando, dixit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,*

Et veró nihil in oraculis Prophetarum frequentiùs, quàm per Mefsiam, quem ipsi futurum prædixerant, legem Moysaicam fore abrogandam, & novam constituendam, quam insulæ, & populi de longè exquirere debebant, fædus novum, non secundum illud, quod cum Hebræorum patribus pepigerat Deus, sanciendum efse, Sacerdotium ab Aaronico diversum, videlicet secundum ordinem Melchisedech, instituendum: abolitis veteribus Sacrificiis, unam mundam, quæ in omni loco Deo offeratur, oblationem subrogandam, Gentes omnes ad Mefsiam convertendas fore. His porrò nova Mefsiæ Ecclesia, ex Gentibus maximè constituenda, & adumbrabatur, & prænuntiabatur. Cum autem Christus & verus Mefsias sit, & hæc

omnia Prophetarum vaticinia adimpleverit. Abrogatâ ergo veteri Judæorum Synagogâ, novam suam Christus in terris constituit, ac fundavit Ecclesiam, quod & ipse manifestè Judæis prænuntiavit, dicens Math: cap: 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

Quæres 2do: Utrum Christus constitutæ à se Ecclesiæ potestatem jurisdictionis & auctoritatem regiminis contulerit?

Resp: Christus, constitutæ à se in terris Ecclesiæ ejusqué Ministris, jurisdictionis potestatem & regiminis auctoritatem reipsa contulit. *Probatur:* Math: cap: 18. sic inquit Christus suos alloquens discipulos. *Si peccaverit in te frater tuus vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si autem te non audierit, adhibe tecùm adhuc unum, aut duos. Quodsi non audiérit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audiérit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Hic apertè Christus, ad corrigendum, atqué coercendum peccantem, post primam, ac secundam fraternam admonitionem, Ecclesiæ illum denuntiandum eſse præcipit, ut ab ipsa competente sibi auctoritate corrigatur, atqué coerceatur. Ecclesiæ obediendum eſse statuit, ipsi inobedientes, ac pertinacitèr resistentes, tàmquàm ethnicos ac publicanos habendos eſse declarat. Habet ergo Ecclesia à Christo traditam sibi corigendi, coercendiqué potestatem, præcipiendi auctoritatem, ipsiqué ex Christi mandato ab omnibus obtemperandum, illius Ministris à singulis obediendum est, quare dixit Ipse discipulis suis Lucæ cap: 10. *Qui vos audit me audit & qui vos spernit, me spernit.* Hæc verò omnia Ecclesiæ Imperium, regiminis auctoritatem, atqué jurisdictionis denotant potestatem. Illa ergo Christus Ecclesiæ à se constitutæ reipsa contulit, ac commisit, utqué illa ordinatè exerceretur, statim ipsam iis exercendam demandavit, quos Ecclesiæ suæ Ministros constituere proposuerat, in eodem Mathæi cap: 18vo subjungens discipulis suis. *Amen dico vobis quæcunqué alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunqué solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Potestas namqué ligandi, atqué solvendi, gubernandi significat auctoritatem, jurisdictionisqué potestatem, quemadmodum communis fert sensus. Et certé cum usqué in finem mundi Ecclesia Christi duratura sit, profectò Christus, ea illi contulit, quæ ad ipsius firmitatem, atqué perennitatem omnino neceſsaria erant. Porrò ad cuiuscunqué

qué etiam humanæ, societatis soliditatem, atqué permanentiam, ordo, regimen, omnino necefsaria sunt, quæ sinè auctoritatis præeminentia, sinè jurisdictionis potestate, subsistere nequeunt. Ergo Christus stabilitati, ac firmitati suæ Ecclesiæ consulendo, regiminis auctoritatem, atqué jurisdictionis potestatem ipsi, ejusqué Ministris contulit, ac concefsit.

Quæres 3tio: Potestas regiminis, ac jurisdictionis auctoritas, à Christo Ecclesiæ concefsa, quibus competit.

Resp: Non competit illa omnibus & singulis fidelibus, sed solis Pastoribus, Rectoribus, ac Ecclesiæ Ministris. Namqué Christus ex omnibus qui illum sequebantur discipulis, speciali modo duodecim elegit, quos & Apostolos nominavit. Lucæ cap: 6to atqué ipsis omnem & regiminis auctoritatem, & jurisdictionis contulit potestatem. Apostolis namqué Christus Math: cap: 18vo ligandi & solvendi dedit auctoritatem, & consequentèr, ac relatè ad illam, ipsis solis Joan: cap: 20. remittendi ac retinendi peccata concefsit facultatem. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Præterea solis Apostolis Christus omnimodam ac plenariam contulit potestatem, eandem siquidem ipsis concefsit, qua ille præditus fuerat, cum à Patre in mundum mitteretur, dicens: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos* Joan: cap: 4to, quare Math: cap: 28. mittens Apostolos in mundum universum, cum dixifset: *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra:* statim ipsam illis communicando subjunxit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti:* quibus illimitatam ipsis docendi, & Baptisandi concefsit facultatem, ac tandem specialem suam præsentiam, atqué afsistentiam illis appromisit: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.* Hæc certè omnibus & singulis fidelibus servire, & adaptari nequeunt. Nequé enim omnibus, ac singulis qui in ipsum crediderant, ligandi & solvendi dedit potestatem, non in omnes insufflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* non omnibus & singulis eandem tradidit potestatem, qua ipse pollebat, tandem non omnes & singulos misit in mundum universum docere, & Baptisare. Manifestifsimûm igitur est, Christum Apostolos suos Ecclesiæ à se constitutæ Rectores, ac Primores designafse, ipsiusqué omnem auctoritatem, ac juris-

 dicti-

dictionem contulifse. Undé Paulus Apostolus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 12mo. & ad Eph: cap: 4to docet, Christum in Ecclesia sua posuifse primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, alios Evangelistas, alios Pastores, in opus Ministerii in ædificationem corporis ipsius, quod est Ecclesia: statimqué subjungit, non omnes efse Apostolos, non omnes Prophetas, non omnes Doctores. Non omnibus itaqué nequé singulis fidelibus Christus contulit in Ecclesia sua regiminis auctoritatem, aut jurisdictionis potestatem, sed solis Pastoribus, Rectoribus ac Ministris ipsam concefsit.

Et certè ab ipsis Ecclesiæ primordiis, regimen atqué jurisdictio semper fuit penes Apostolos, atqué Seniores. Sic præeunte atqué indicente Petro Apostolorum Principe, Mathias in locum Judæ proditoris electus fuit, ut acciperet locum Ministerii, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas. Actor: cap: 1mo. Soli Apostoli septem constituerunt Diaconos, quibus munus, & officium præscripserunt, atqué manus imposuerunt. Actor: cap: 6to. Cumqué exorta efset de legalium observatione controversia, Petrus & Jacobus Apostoli primi sententiam dixerunt, & rem totam cum Senioribus definierunt, mandata, & præcepta fidelibus dederunt, ut tantummodo abstinerent ab immolatis, sanguine, suffocato atqué fornicatione. Ac deinceps Apostoli omnibus ferè Gentibus Evangelium prædicaverunt, Ecclesias apud illas erexerunt, ac fundaverunt, Episcopos ceterosqué Ministros constituerunt, formam regiminis ipsis præscripserunt, quod ex Actis & Epistolis Apostolicis manifestifsimè apparet, quare S. Paulus Epist: ad Eph: cap: 2do dicit fideles super ædificatos efse *super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Succefsû veró temporis cum de hac vita migrârunt Sanctifsimi Apostoli, penes eorum Succefsores, nimirum Episcopos, totum Ecclesiæ regimen, jurisdictionisqué potestas erat. Ipsi exortas controversias dirimebant, leges præscribebant, quid credendum, quid faciendum sit, constituebant, Ecclesiæ Ministros ordinabant, omniaqué in Ecclesiis ipsi disponunt, ac decernunt, siquidem ut inquit Paulus Apostolus Actor: cap: 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo,* undé illos admonet, *attendite vobis, & universo gregi.* Senioribus quoqué qui in Ecclesiis erant, tamquàm consenior præcepit Petrus Apostolus Epist: 1ma

cap: 5to. *Pascite, qui in vobis est gregem Dei.* Tota itaqué regiminis auctoritas, & jurisdictionis potestas, non omnibus, nequè singulis fidelibus, sed solis Pastoribus, Rectoribus, atqué Ecclesiæ Ministris á Christo collata fuit.

Dices: Christus omnimodam æqualitatem in Ecclesia sua constituit, majoratum, prioratum exclusit. Cum enim Lucæ cap: 22. facta efset contentio inter Apostolos quis eorum videretur efse major, Christus dixit. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcefsor est, sicut ministrator*: quibus omnem primatum ac superioritatem exclusit.

Resp: Primatum, & Superioritatem non exclusit; nequé in Ecclesia sua vetuit Christus, sed modum exercendæ potestatis, atqué jurisdictionis præscripsit, *qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcefsor est, ficut ministrator*: scilicet utnon eo modo, ac dominatione exerceatur, quemadmodum orbis Principes eam exercere solent: *Reges Gentium dominantur eorum. Vos autem non sic*: sed cum humilitate, atqué affabilitate non instar dominationis, atqué principatus civilis, fed adinstar ministerii spiritualis, ac servitutis. Hinc Christus ad sui exemplum Apostolos provocat, qui licet fumma in Cælis & in terra auctoritate pollebat, nihilominus inter homines quasi aliorum Minister versabatur.

Quæres 4to: Auctoritas, Ecclesiæ ac Ministris ipsius á Christo concefsa, in quo consistit?

Resp: Consistit ipsa in directiva, & coactiva potestate. Enimverò Christus Ecclesiæ suæ, maximè Ministris ipsius, regiminis, & jurisdictionis contulit auctoritatem, utramqué ergo illis & directivam in regendo, & coactivam in iuridicè coercendo, concefsit potestatem. Ex Christi ergo institutione potest Ecclesia leges ferre, exortas controversias dirimere, lites componere, causas dijudicare, inobedientes pænis plectere, eaquè omnia, quæ ad commune bonum utilitatemqué fidelium spectant ordinare, atquè ftatuere, hæc siquidem partes sunt directivæ, et coactivæ poteftatis. Quarè in ipso Ecclesiæ exordio, Apostoli cum Senioribus, in primo Hierosolymitano Concilio, & de observatione legalium exortam definiunt quæstionem, & quid fidelibus agendum sit præscribunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere*

vobis oneris, quam hæc necessaria. ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Actor: cap. 15. Et hæc Apostolorum, atqué Seniorum mandata ac præscripta, ut ab omnibus fidelibus servarentur Paulus & Silas commendabant, atqué injungebant. En directiva potestas, quam Apostoli exercuerunt, sed non minus & coactiva usi sunt. Sic Petrus Actor: cap: 5to. fraudulentos Ananiam & Saphiram durè increpat, atqué ad ipsius increpationem, ambo repentina morte corruunt. Paulus quoqué Apostolus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 5to: incestuosum hominem tradidit Satanæ in interitum carnis, & in eadem ad Corinth: Epist: cap: 10. dicit: *se in promptu habere omnem inobedientiam ulcisci;* ac cap. 13tio scribit iis, qui iterato peccarunt, se nolle amplius parcere: unde Timothæum & Titum instruens, quos ipse in Ecclesiis à se fundatis Episcopos constituerat, mandavit illis ut sibi subiectos, & inobedientes increparent, arguerent, & quidem cum imperio, & potestate quâ pollebant. *Peccantes*, inquit 1ma ad Timoth: cap: 5to. *coram omnibus argue ut & ceteri timorem habeant*. & ad Titum cap: 2do ait: *Loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Ecclesiæ ergo, ac Ministrorum ipsius, à Christo concessa auctoritas, est directiva, & coactiva potestas.

Quæres 5to: Auctoritas, atque Ecclesiæ potestas, ad quæ se extendit?

Resp: Auctoritas, ac potestas Ecclesiæ, non se extendit ad temporalia, sed sola spectat Spiritualia. Enimverò Christus in mundo conversatus nulla unquam temporali potestate usus est, pro se tributum solvere Petro jussit, inter fratres de terrenis litigantes arbiter esse noluit, atqué expressè coram Pilato professus est Joan: cap: 18vo. potestatem suam non esse hujus mundi: *Regnum meum non est de hoc mundo*: incredibile ergo est, Christum temporalem Ecclesiæ suæ contulisse potestatem. Et certè omnia quæ Christus concessit Ecclesiæ suæ, atqué Ministris ejus, non sunt temporalia sed Spiritualia, videlicet ligare & solvere, peccata dimittere, ac retinere, omnes gentes docere, ac baptisare. Auctoritas igitur, ac potestas à Christo Ecclesiæ tradita, atqué illius Ministris concessa, non se extendit ad temporalia, sed sola spectat Spiritualia

Quæres 6to: Qui subiecti esse censentur, potestati ac jurisdictioni Ecclesiæ?

Resp: Omnes, & soli Baptisati, potestati ac jurisdi-

etio-

etioni Ecclesiæ sunt, & esse debent subiecti. Enimveró per Baptismum Ecclesiæ Christi omnes aggregantur, quare de iis qui sermonem prædicationis receperunt, & baptisati sunt, Actorum cap: 2do dicitur, quia ad Ecclesiam appositi sunt, *qui receperunt sermonem, baptisati sunt, & appositæ sunt animæ circiter tria millia*: unde Apostolus Paulus. 1ma ad Corinth: cap: 5to: eos, qui Baptisati non sunt, foris, extra Ecclesiam esse ait, & ad illam minimè ipsos pertinere docet, dicens: *quid mihi de iis, qui foris sunt judicare.* Per Baptismum igitur omnes Ecclesiæ Christi aggregantur, atqué ipsi subijciuntur. Quapropter omnes Baptisati, etiam Hæretici, Excommunicati, Ecclesiæ subiecti sunt, & ipsius legibus tenentur, alias si ipsi ab Ecclesiæ legibus immunes forent, impietatis suæ emolumentum haberent, quod admitti nequit.

Quæres 7mo: Utrum ergo fideles omnes, in omnibus Ecclesiæ atque Ministris ipsius obtemperare teneantur.

Resp: Lutherus, ac Calvinus, arbitrantes hominem per solam fidem salvari, Christianum ab omni lege immunem esse affirmabant, quia & Christum præter fidem, nihil quidquam præcepisse, docuerunt, nequé Ecclesiæ suæ potestatem legislativam concessisse arbitrati sunt. Hunc errorem Concilium Trident: Sess: 6. Can: 19no damnavit, his verbis. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, nequé præcepta, nequé prohibita, sed libera, aut decem Præcepta nihil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Et certè Christus cum esset novi fæderis à Prophetis prædictus Legislator, & novam, abrogata veteri, constituit legem, multaqué præcepta moralia, ac cæremonialia dedit, quibus plenum est Evangelium, & Ecclesiæ à se constitutæ, atqué fundatæ legislativam contulit potestatem, qua ea omnia constitueret, quæ Spirituali bono Fidelium inservire possent. Quapropter omnes fideles, non solùm Christi Divina præcepta observare, sed & Ecclesiæ statutas leges adimplere, atquè ipsius Ministris in omnibus obtemperare, & obedire tenentur. Enim veró Apostolos mittens Christus in mundum universum præcepit ipsis Math. cap: 28. ut docerent Gentes servare omnia quæcunque ille mandaverat. *Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*: & ipse quoqué jusserat, ut qui Ecclesiam non audierit, tamquam ethnicus, ac publicanus habeatur, quare omnes admonet Apostolus Paulus in Epist: ad Hebræos cap. 13tio: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Sanè si Christi fideles nullis legibus tenerentur, sed unicuiqué suo arbitratu vivere, atquè spiritu privato omnia metiri permiſsum eſset, nec ordo, nec ullum regimen in Ecclesia conservari poſsent, unitas, pax, tranquillitas procul exularent, cum tamen Ecclesia dicatur Castrorum acies benè ordinata, pacemqué Christus ac unitatem maximè discipulis suis commendavit, consequitur omnino, legibus Ecclesiæ, fideles omnes obstrictos eſse, atqué ipsius Ministris in omnibus obedire, ac obtemperare debere.

ARTICULUS 2dus.

De Hierarchia Ecclesiastica.

Quæres 1mo: Quid sit Hierarchia Ecclesiastica.

Resp: Hierarchia Ecclesiastica, est potestas Sacra Ministrorum Ecclesiæ, ita ordinata, ut debitam in subditos jurisdictionem retinentes, certa tamen ratione sibi invicem subordinentur. Hierarchia ergo Ecclesiastica, personas tantummodo Sacras complectitur, potestas siquidem Hierarchica unicè ordinatur ad Dei cultum propagandum æternamqué hominibus salutem procurandam. Est autem benè ordinata, quia in ipsa ordo, ac harmonia, miro resplendet modo, gradus siquidem varii inter personas Sacras conspiciuntur, atquê alii aliis, dignitate, auctoritateque præeminent. Cum veró potestas omnis relationem ad subditos semper dicat, exinde sequitur Personas Sacras, Hierarchiam constituentes, secundùm eam, quam obtinent auctoritatis prerogativam, præeſse debere, ac alios moderari, ceteros verò eis parere obstrictos eſse.

Porrò potestas Personarum Ecclesiasticam Hierarchiam constituentium, alia est ordinis, alia jurisdictionis. Ordinis potestas refertur ad elargienda, atqué distribuenda fidelibus illa ſpiritualia bona, quæ Christus Ecclesiæ ſuæ concredidit, ac proinde complectitur Sacramentorum administrationem, verbi Divini prædicationem, & alia his affinia. Jurisdictionis potestas sita est in dijudicandis controversiis, condendis legibus, atqué constituendis iis omnibus, quæ ad Ecclesiæ ordinem, & fidelium utilitatem conferre poſsunt.

Quœres 2do. Utrum ſit in Eccleſia à Christo constituta Hierarchia?

Resp:

Resp: Est in Ecclesia à Christo constituta Hierarchia. Id apertissimè constat ex factis Christi. Primo namqué ex omnibus discipulis suis ad se congregatis, Lucæ cap: 6to. *elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*, quibus non solum *dedit potestatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*: sed etiam ligandi, atqué solvendi ipsis contulit potestatem. Math: cap: 10. Præter duodecim Apostolos specialiter quoque Christus elegit Septuaginta duos discipulos ut inquit S Lucas cap: 10mo. *Post hæc designavit Dominus, & alios Septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem, & locum, quo ipse erat venturus*: quibus hoc unum commisit munus, ut corda eorum præpararent, quibus ipse Evangelium annuntiare decreverat, unde dixit illis *Messis quidem multa, operarii autem pauci*. Et quemadmodum illos, Apostolis inferiores constituit, ita ceteris discipulis ipsos prætulit. Verum & inter Apostolos Petrum elegit, quem primum, omniumqué in se credentium Principem constituit. Math: cap: 16to. Claves Regni cælorum illi tradidit, & super ipsum Ecclesiam suam fundavit. Cum itaqué Christus in Ecclesia, quam fundaverat, varios constituerit Ministros, potestate atqué auctoritate, qua ceteris fidelibus præesse debebant, inter se discrepantes, sibi tamen ad invicem subordinatos, inde manifeste patet, Christum in Ecclesia sua Sacram Hierarchiam instituisse.

Quæres 3tio. Nonne Septuaginta duo discipuli Apostolis æquales erant?

Resp: Septuaginta duo discipuli non erant Apostolis æquales, sed omnino inferiores. Enimveró Christus solis Apostolis dixit Joan: cap: 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: suam, quam à Patre habuit, illis conferendo potestatem, proindequé solis etiam Apostolis Math: cap: 28. amplissimam ac illimitatam, docendi omnes gentes & baptisandi contulit potestatem. Soli Apostoli a S. Paulo Eph: cap: 2do. Ecclesiæ constituta fundamenta dicuntur, deniqué solis Apostolis Christus ad judicandum orbem thronos assignavit Lucæ cap: 22do. Singulares ergo prærogativæ à Christo Apostolis concessæ, ostendunt illos ceteris discipulis ab ipso prœlatos fuisse. Quare semper Apostoli ante ceteros omnes primi nominantur, primi omnia in Ecclesia constituunt; indubitatum igitur est, septuaginta duos discipulos, Apostolis minores fuisse. Sed ceteris omnibus majores fuerunt, quod vel ipsa specialis

coram

eorum à Christo facta comprobat electio, munusqué ipsis commendatum. Neqné enim putandum est, tunc etiam quando electi, atquè à Christo designati fuerunt, parvum fuiſse discipulorum Christi numerum, quia & Pharisæi ante ipsius mortem conquerebantur totum mundum post ipsum abire, & statim post Resurrectionem ſuam, plùs quam quingentis simul ille apparuit discipulis, quemadmodum téstatur Paulus 1ma ad Corinth cap: 15to. ex omnibus ergo nonnisi Septuaginta duo electi, omnibus prælati ſunt.

Quæres 4to. Utrùm Christus inter Apostolos, Petro primatum atque præeminentiam contulerit?

Resp: Christus inter Apostolos Petrô primatum, ac præeminentiam contulit, ipsumqué caput, atqué Principem ſuæ Ecclesiæ constituit. *Probat:* ex Sacris Scripturis. Primo enim Christus Dominus Math: cap: 16. Petrum sic allocutus est: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum.* Hic ergo Christus Ecclesiam ſuam ædificio comparando, Petrum illius fundamentum constituit, cum autem in ædificio fundamentum id sit, quod est caput in ſocietate, manifestum est quod Petrus à Christo Caput, atqué Princeps Ecclesiæ constitutus fuerit, quare & nomen Simonis, in nomen Cephæ, ſeu Petri ipsi commutavit. Joan: cap: 1mo. quemadmodum enim Deus, Abram, eo quod ipsum credentium Patrem constituebat, Abraham vocari juſsit, Genesis cap: 17mo, ita & Christus Simonem, quem Ecclesiæ ſuæ fundamentum, & caput præsignaverat Cepham, ſeu Petrum nominari voluit. Soli insuper Petro appromisit Christus claves regni cælorum: *tibi dabo claves regni cœlorum:* quod & præstitit ipsi munus pascendi oves, & agnos demandando. Joan: cap: 20. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*: ſpecialem ergo præ ceteris Apostolis Christus Petro contulit prærogativam, jurisdictionisqué præeminentiam, ipsumqué Principem, & caput Ecclesiæ ſuæ constituit. Enim verò communi & antiquiſsima consvetudine, claves, ſunt rectoriæ potestatis signum, quia imperantibus, ad ſupremam eorum in Civitate designandam potestatem, claves tradi ſolent. Idem eruitur ex modo loquendi Sacræ Scripturæ, nam potestas Eliacim, cum ad ſummum Sacerdotium promoveretur, Isaiæ cap: 22. his exprimitur verbis: *Dabo claves domus David ſuper humeros ejus:* in Apocalipsi etiam cap: 3tio ipse Christus, ad indicandam ejus potestatem clavem

David

David habere dicitur, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Pascere quoqué juxta Scripturæ Sacræ phrasim idem est, ac cum potestate regere, quarê & Cyrus Rex Isaiæ cap: 44. Pastor nominatur. Quia ergo Christus præ ceteris Apostolis Petro, & claves regni cælorum contulit, & munus agnos, atqué oves pascendi ipsi demandavit, indé manifestum efficitur, & fupremam illi in Ecclesia à Christo collatam fuiſse potestatem, & regiminis commendatum principatum. Verum & prærogativæ quos præceteris Apostolis Petro Sacra tribuit Scriptura, ostendunt ipsum illis antecellere. Nempê, ubi de Apostolis fermo est, Petrus omnium primus recensetur, & Math: cap: 10. diserte primus dicitur, quamvis Andreas frater ejus ante ipsum vocatus fuerat; Tributum Christus pro ſe ipso, & pro Petro tantum ſolvi juſsit. Math: cap: 17mo. Petrus tamquam omnium Princeps, loco Judæ proditoris, alium Apostolum eligendum curavit. Actorum cap: 1mo. Evangelium ipse primus indicto silentio, ceteris præsentibus Apostolis, in die Pentecostes annuntiat. Actor: cap: 2do. exorta de legalibus controversia, Petrus primus ſententiam dicit, cui Jacobus, & ceteri omnes aſsensum præbuerunt. Actor: cap: 15to. Quarè Sancti Patres tum Græci, tum Latini constanter docuerunt, Petrum reliquis omnibus Apostolis, nec non universæ Ecclesiæ Principem fuiſse, ac caput, primatumqué tenuiſse. Origenes comment: in Epist: ad Romanos sic inquit: *Petro cum ſumma rerum de pascendis ovibus traderetur, & ſuper ipsum velut ſupra Petram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confeſsio, nisi caritatis exigitur.* Unde Eusebius Cæsariensis, Cyrillus Hierosolimitanus, Basilius Magnus, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, Petrum vocant inter Apostolos, maximum, reliquorum omnium Principem, Apostolorum excellentiſsimum, discipulis omnibus prælatum, eorum Principem, ac Caput: & S. Joannes Chrysostomus Homil: 3tia in Acta Apost: de Petro hæc memoratu digna profert: *primus auctoritatem habet in negotio ut cui omnes commiſsi fuiſsent.* Eandem veritatem præstantiſsimi Latini Patres docuerunt. Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus & Augustinus, qui libro 2do de Baptismo contra Donatistas de Petro sic inquit: *in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.* Ex his ergo conficitur Petrum institutione Christi, ceteris Apostolis, aliisquê omnibus prælatum ac ſuperiorem fuiſse, proindequé totius Ecclesiæ Principatum obtinuiſse.

Objicies

Objicies 1mo: Ubi Christus claves Regni Cælorum Petro se daturum appromisit, ibi illum Satanam appellando, à se repulit. *Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Ter quoqué Petrus Christum negavit, quomodo ergo Primatum totius Ecclesiæ illi conferre potuit. *2do:* non solus Petrus constitutus est à Christo fundamentum Ecclesiæ, omnes Apostolos, Paulus vocat fundamentum Ecclesiæ, sic enim in Epist: ad Ephesios cap: 2do alloquitur fideles. *Estis Cives Sanctorum, & Domestici Dei. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Potestas quoqué ligandi ac solvendi omnibus Apostolis à Christo concefsa fuit. *3tio.* Tandem id, quod dixerat Christus Petro: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* variè Sancti Patres interprætantur, alii namqué nomine Petræ ipsum Christum intelligi volunt, alii Confesionem Petri, quà Divinitatem Jesu Christi profesus est, alii Apostolos omnes, totamqué Ecclesiam, quibus etiam claves Regni Cælorum collatos fuifse arbitrantur. Nullum ergo argumentum est, quo probari pofsit Petri primatus.

Resp: ad 1mum: Satan in Sacris Scripturis idem est, ac adversarius, ille nempè qui aliqua in re obstat, ac resistit: quia ergo Petrus à subeunda morte Christum avocare volebat, ejus hac in parte adversarius erat, undé & Satan nuncupatus est. Sed & tunc Ecclesiæ principatus Petro nonnisi appromifsus fuit, necdum traditus, nisi cum ei munus pascendi oves & agnos post suam Resurrectionem Christus demandavit, huic ergo muneri lapsus Petri non obfuit, undé S. Joan: Chrysost: Orat: 8va adversus Judæos sic inquit: *Petrus sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eiqué totus terrarum orbis commifsus fuerit.* Verùm & tunc, quando Christus Petro lapsum ejus prædixerat, etiam Primatum ipsius præsignavit, quia speciali modo pro eo, ne deficeret fides illius, Patrem suum rogavit, & ipsius inter fratres superioritatem prædixit, ac demandavit. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* Lucæ capite 22.

Ad 2dum: Non solum Apostolos, sed & Prophetas fundamentum Ecclesiæ vocat Paulus, imo Pastores, & Doctores positos efse dicit in ædificationem Corporis, hoc est Ecclesiæ Christi. Verùm hæc, Petri primatui nihil præjudicant. Namqué & Christus fundamentum Ecclesiæ suæ est, & quidem fundamentum tale, præter quod, ut in-

înquit Paulus 1ma ad Corinth: cap: 3tio: *aliud nemo potest ponere* lapis scilicet angularis, *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino*: attamen sinè derogatione, & absqué ullo Christi præjudicio, Apostolos quoqué ac Prophetas fundamenta Ecclesiæ ab ipso constitutæ nuncupavit: pari itaqué modô licet omnes Apostoli & Prophetæ fundamentum Ecclesiæ sint, Pastores, & Doctores in ædificationem illius constituti, id Petro nihil detrahit, ipsius primatui nihil derogat, quia scilicet & Christus Ecclesiæ suæ fundamentum est, & Petrus, & ceteri Apostoli, atqué etiam Doctores & Pastores in Ecclesiæ ædificationem à Deo positi eſse dicuntur, sed quisqué suo modo, & diversa prorsùs ratione. Christus Ecclesiæ est fundamentum primarium ac principale, ipse Artifex illius. Petrus fundamentum secundarium, ac Ministeriale, quem in locum sui Christus constituit, Petram eſse voluit, supra quam ædificaret Ecclesiam suam, claves Regni Cælorum illi tradidit, atqué omnem ligandi, solvendiqué potestatem contulit. Sed & ceteri omnes Apostoli fundamentum Ecclesiæ sunt, quia à Christo cum amplisſima potestate, auctoritatisqué plenitudine in universum misſi mundum, ubiqué Ecclesias fundarunt, omniumqué Ecclesiarum curam, ac ſolicitudinem gerebant. Verùm inter illos semper primus Petrus, Christi institutione, illorum Princeps, caput, atqué Coriphæus, ut docent Sancti Patres: undé S. Cyprianus Epist: 71. sic inquit: *Petrum primum Dominus elegit, super quem ædificavit Ecclesiam suam*, & Eusebius Histor: Eccles: libro 2do: capite 4to de Petro ait: *Fortisſimus, & maximus inter Apostolos, & virtutis meritò reliquorum omnium Princeps*. Tandem Pastores, Doctores in ædificationem Ecclesiæ à Deo positi sunt, quia in opus Ministerii vocati sunt, sed Petrus primus in omnibus ac Principalis, cui ipsi subrogantur, ac subduntur, undé præclare S. Leo Magnus, sermone 3tio de sua aſsumptione, sic inquit: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui omnibus Apostolis, cunctisqué Ecclesiæ Prælatis præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiqué Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Ad 3tium: Non est insolitum, neque rarum, quod unus idemqué Scripturæ Sacræ textus, variè, juxta diversos sensus à Sanctis Patribus explicetur, quemadmodum & præfata verba à Christo Petro dicta. *Tu es Petrus,*

trus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: verùm quoniam sensus Scripturæ litteralis maximè attendendus est, ita etiam secundùm sensum literalem à Patribus data explicatio præprimis considerari debet. Porro omnes Sancti Patres secundùm literalem sensum per petram Petrum ipsum intelligunt, super quem Christus Ecclesiam suam fundavit, cui claves Regni Cælorum, potestatemqué ligandi ac solvendi tradidit, sic Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, & ceteri, atqué id ipsa Christi verba apertissimè denotant. Nequé enim per Petram aut Christus, aut Petri Confessio, aut Ecclesia, aut denique omnes Apostoli intelligi possunt. Non Christus, nequé Petri confessio quâ Divinitatem ipsius professus est: an enim sibi ipsi Christus, aut Petri confessioni claves Regni Cælorum tradidit, potestatemqué ligandi & solvendi concessit? Non Ecclesia: alias verborum Christi hic foret sensus: *Tu es Petrus, & super hanc petram, id est Ecclesiam, ædificabo Ecclesiam meam:* quod planè absonum, ac ridiculum est dicere. Nequé etiam per petram omnes Apostoli intelligi possunt. Enim verò, Christus remunerare volens Petri confessionem, in singulari ipsum alloquitur, ejus personam indigitans. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Omnia hic personam Petri in singulari, atqué in particulari respiciunt, ac denotant, Nomen, Cognomen, Nominis interpraetatio, Pronomina *Tibi, tu es,* à Patre facta revelatio, pro Ecclesiæ fundamento designatio, clavium regni cælorum collatio, qui nullibi omnibus Apostolis expressè, & directè à Christo traditi sunt, Petri hæc sunt Privilegia, atqué prærogativæ. Solus ergo Petrus per petram, super quam Christus Ecclesiam suam ædificare constituerat, intelligendus est: undè in Syriaca lingua, quâ suum Evangelium conscripserat S. Mathæus sic legitur. *Tu es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Quod verò nonnulli ex Sanctis Patribus, claves Regni Cælorum, dum illos Christus Petro contulit, ceteris omnibus Apostolis, ac toti Ecclesiæ datas fuisse dicant, id non officit primatui Petri, imò magis illum confirmat, ac corroborat: ideo namqué conferendo Christus claves Regni cælorum Petro, eo ipso illos & ceteris Apostolis, ac toti Ecclesiæ contulit, quia nimirum omnium Aposto-

lorum personam gerebat, omnium Apostolorum nomine, tamquam primus, Christi Divinitatem confeſsus est totamqué Ecclesiam ipse, tamquam caput illius repræsentabat, undé S. Joannes Chrysost: Homil: 55. in Mathæum de Petro dicit, quod fuerit, *Chori Apostolici Princeps, Os ac vertex Apostolorum*: & S. Augustinus Tractatu 124. in Joannem ait. *Ecclesiæ Petrus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam. Quando ei dictum est, Tibi dabo claves Regni Cælorum, universam repræsentabat Ecclesiam.* Tertullianus verò libro Scorpiaci cap: 10. docet nonnisi per Petrum Ecclesiam à Christo claves Regni Cælestis accepiſse, dicens: *Memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquiſse.* Licetsi ergo claves Regni Cælorum, & toti Ecclesiæ, & omnibus Apostolis à Christo collati fuerint, quia scilicet regimen Ecclesiæ suæ, non uni Petro Christus contulit, sed & ceteris Apostolis demandavit, quibus quoqué ligandi ac solvendi dedit potestatem, illosqué in universum misit mundum prædicare & Baptisare, sed quia Petrus Apostolorum semper & ponitur, & vocatur primus, omnium personam gerebat, Ecclesiæ fundamentum â Christo constitutus est, illi speciali ac singulari modo, & claves Regni Cælorum collati sunt, solvendi ac ligandi conceſsa potestas, ac tandem munus pascendi oves, & agnos, confirmandiqué fratres suos ipsi commiſsum, ideo Princeps est Apostolorum, Caput Ecclesiæ, inter omnes primatum tenet.

Quæres 5to: Primatus Petro à Christo conceſsus, an honoris solum, & directionis fuerit, an etiam potestatis & jurisdictionis?

Resp: Primatus Petro à Christo collatus non solùm honoris fuit, ac directionis, ſed etiam potestatis & jurisdictionis. Enimverò clavium traditio, pascendi munus, non honoris tantummodo præeminentiam, nequé solam dirigendi facultatem significant, sed jurisdictionis superioritatem, coactivam ac coercitivam potestatem. Porró Christus inter ceteros Apostolos, speciali modo atqué in singulari Petro, suam super eum fundans Ecclesiam, claves regi cælorum tradidit, adjecta ligandi, atque solvendi potestate: *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunqué solveris super terram, erit salutum & in Cælis.* Math: cap: 16. Ipsi quoqué soli munus pascendi & oves, & agnos demandavit. *Pasce agnos meos. Pasce*

oves

oves meas. Joan: Cap: 20. Igitur Petri Primatus non honoris tantummodo erat, & directionis, sed potestatis, & jurisdictionis. Certè homines pascere non est illos honoris præeminentia antecedere, non est solùm eos dirigere, sed etiam coercere, ubi opus est cogere, quæ jurisdictionis potestatem prærequirunt. Quare S. Joannes Chrysostomus Petrum vocat, *os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectum.* Et verò primatus Petro fuit à Christo collatus, ad conservandam Ecclesiæ unitatem, undé S. Hieronymus libro 1mo adversùs Jovinianum cap: 14. sic inquit: *Unus inter duodecim eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Porrò ad unitatem conservandam, non sufficit honoris prærogativa, aut directionis præeminentia, sed necessaria omnino est, jurisdictionis superioritas, coactiva, ac coercitiva potestas, qua in obedientes, pertinaces, ac refragarii, qui pacem perturbant, charitatem lædunt, unitatem dilacerant, in ordinem redigantur.

Objicies 1mo: Paulus Apostolus Petro in omnibus æqualis fuit. Ipse Paulus in Epist: ad Galatas cap: 2do dicit sibi à Christo commissum Evangelium præputii, sicut Petro Evangelium circumcisionis, & Epist: 2da ad Corinth: cap: 12. ait se nihil minus esse ab iis, qui sunt supra modum Apostoli, ac tandem Epist: ad Galatas cap: 2do. scribit se in faciem Petro restitisse, quia erat reprehensibilis. *2do:* Sancti Patres maximè verò S. Cyprianus docet omnes Apostolos æquales fuisse. Non ergo Petrus inter illos habuit primatum, aut honoris, aut jurisdictionis.

Resp: ad 1mum: Unus dumtaxat Petrus primus fuit, Princeps, ac Coriphæus Apostolorum à Christo constitutus, non ergo Paulus æqualis Petro esse poterat, quam nonnisi ut videret, post annos tres suæ conversionis, causa honoris ac reverentiæ illi exhibendæ venit Jerosolymam, ut ipsemet scribit ad Galatas cap: 1mo: Quemadmodum verò operatus est Deus Petro in Apostolatum circumcisionis, ita etiam & Paulo operatus est in Apostolatum præputii, vas electionis factus, ut portaret & annutiaret nomen Christi coram Gentibus, propterêa dicit sibi à Christo commissum Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, non quod æqualitas auctoritatis, & paritas jurisdictionis inter ipsos constituta fuerit, sed partitio tantummodo laboris facta, divisumqué Evangelii Ministerium, quarè mox ibidem subiungit Paulus, dicens. *Cum cognovis-*

visent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem. Quia verò nonnulli Pauli Apostolatum deprimebant, eô quod, ut cæteri Apostoli cum Christo in carne non fuerit conversatus, hinc coactus est Apostolatum suum commendare, quia scilicet non ab hominibus, nequé per hominem, sed per Jesum Christum Apostolus fuerit, sicut & cæteri omnes, constitutus, & præ cæteris in Ministerio Evangelii laboraverit, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, ex ratione ergo vocationis suæ ad Apostolatum, ex ratione laborum suorum, dicit se nihil minus esse ab iis, qui supra modum sunt Apostoli, in signis quoque, ut ibidem ipse subiungit, prodigiis, ac virtutibus illis minimè cessisse. Non ergo de æqualitate auctoritatis, potestatis, jurisdictionisqué Paulus gloriatur, sed de æqualitate vocationis & laborum in Domino exultat. Quod tandem attinet repræhensionem Cephæ factam à Paulo. *1mo:* certò non constat Cepham à Paulo repræhensum, Petrum Apostolum fuisse, quoniam in eadem Epistola ad Galatas cap: 1mo: versu 18. & cap: 2do: versu 7. ac 8. postquam consveto nomine Petrum designaverit, quô semper, & ab omnibus communiter notatur, repentè versu 9no cujusdam Cephæ meminit, ac versu 11mo: ejus adventum Antiochiam describit, & quomodò ipsum repræhendisset narrat, ex quo maximè probabile est, Cepham à Paulo repræhensum non fuisse Petrum Apostolum, sed alium quemdam insignem Christi discipulum. *2do:* si fuerit ipse Petrus à Paulo reprehensus, ex hoc istud nonnisi consequitur, ut docet S. Augustinus Epist: 81. ad S. Hieronymum, cæteris præpositum, ac prælatum, sanctæ libertatis charitate, posse aliquando ab inferiore redargui.

Ad 2dum: Omnes Apostolos æquales fuisse in munere Apostolatûs, hoc est in munerè docendi, Evangelium in universo mundo prædicandi, ubiquè Ecclesias fundandi, gubernandi, Ministros constituendi, undè & Paulus dicit sibi curam ac sollicitudinem esse omnium Ecclesiarum, sed non omnes erant æquales in regiminis auctoritate, aut jurisdictionis potestate, sed semper inter illos primus, ac maximus fuit Petrus, unus à Christo primus constitutus, ut ab uno omnium unitas inciperet. Quare præclarè S. Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ sic inquit:

 Loqui-

Loquitur Dominus ad Petrum. Tu es Petrus, & tibi dabo claves. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, tamen ut unitatem manifestaret, unam Cathedram instituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.

Quæres 6to: S. Petrus reliquitne sui Primatûs Successores?

Resp: Indubitatum est S. Petrum Primatûs sui successores reliquisse. Cum enim Christi Ecclesia usqué ad finem mundi duratura sit, illa in ipsa perpetuo esse debent, quæ Christus ad ipsius commune bonum, utilitatemqué constituit, & sinè quibus conservari illa, ac permanere nullo modo potest. Porrò primatus Petri ad bonum, utilitatemqué Ecclesiæ, ad ipsius scilicet, unitatem, rectumqué ordinem conservandum, à Christo fuit institutus, sine recto ordine, sinè unitate Ecclesia subsistere, ac permanere non potuit. Primatus itaqué Petri in Ecclesia perpetuus sit necesse est. Non est, nec potuit esse perpetuus in persona ipsius Petri: Ergo in ejus Successoribus. Sanè, Christus claves regni Cælorum Petro conferens, ipsum fundamentum Ecclesiæ, quam supra ipsum, tamquam durissimam petram ædificare constituerat, præsignans, statim ipsam usque in finem mundi duraturam prædixit. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversûs eam.* Math. cap. 16. Duo ergo Christus conjunxit, & Ecclesiam suam, ac proinde & illius fundamentum, quod est Petrus perpetuò duraturam fore, & claves regni Cælorum Petro collatas, quibus illius præfigurabatur in Ecclesia primatus, semper permansuros esse. Et certè post Apostolorum tempora ad Ecclesiæ unitatem, rectumqué ordinem conservandum, maior adhuc Primatûs necessitas fuit, quam ab initio nascentis Ecclesiæ, quoniam magis semper diffusa fuit Ecclesia, neque Apostolorum successoribus, quales sunt Episcopi, singulis adest peculiaris illa Spiritûs Sancti assistentia, quà quilibet Apostolorum à Christo decoratus fuit, non etiam tam amplam habent, quam Apostoli auctoritatem. Non ergo Primatus Petri cum morte ipsius cessavit, sed in ejus Successoribus hucusquè perdurat.

Quæres 7mo: Qui sunt in primatu Ecclesiæ Petri Successores?

Resp: In primatu Ecclesiæ Petri Successores sunt Romani Pontifices. Certum namqué ac indubitatum est, S. Petrum Romæ fuisse, ibi Episcopatum fundâsse se-

dem.

demqué suam fixiſse, ac ibidem mortuum eſse. Nequé ulla sunt facta historica, quæ majoribus, ac firmioribus fulciantur documentis, quam hæc enumerata. Porrò omnia publica munera, cum juribus suis transeunt ad Succeſsores. Ergo & Primatus Petri, simul cum Episcopatu Romano transivit ad ipsius succeſsores, Romanos scilicet Pontifices. Hinc semper, & ab omnibus, Romani Pontifices, Petri succeſsores appellati sunt, Sedes Romana, Sedes Apostolica, Sedes Petri dicta fuit.

Obiicies 1mo: S. Lucas, qui Acta Apostolorum conscripsit maximè Petri, & Pauli, nullibi meminit Petrum Romæ fuiſse, aut ibi Episcopatum fundâſse illumqué administrâſse. Imo & Paulus ad Romanos scribens nequé salutavit Petrum. Certum itaqué est Petrum nec Romæ fuiſse, nequé ibidem Episcopatum tenuiſse. *2do:* Non est ratio cur Romanis Pontificibus potiûs quàm Antiochenis tribuatur Primatus, cum S. Petrus æque Antiochiæ ac Romæ Episcopatum fundaverit, ac ibidem sederit.

Resp: ad 1mum. S Lucas acta, & peregrinationes potiſsimum Pauli describendas sibi aſsumpsit, unde à capite 16to nullam ampliùs mentionem Petri facit. Quare non est mirum si de adventu Petri Romam, de ejus Episcopatu ibidem fundato, nullam fecerit mentionem, cum etiam multa, quæ Paulum spectant, omisit, quæ ipse Paulus describit, videlicet pugnam cum bestiis, flagella, naufragia, aliaqué multa, quæ in Epist: 2da ad Corinth: cap: 11mo, & sequentibus enumerantur. Quod vero Paulus Epistolam ad Romanos scripserit, nihil derogat Petri Episcopatui, quoniam pro flagrantia, atqué ardore zeli, omnium Ecclesiarum curam, ac sollicitudinem gerebat, *Græcis* inquit cap: 1mo *et Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Unde ardenter desiderabat videre Romanos ut aliquid ipsis impertiret gratiæ Spiritualis ad confirmandos illos, atque sæpiùs proposuit venire ad eos, ut aliquem fructum haberet & in ipsis, sicut in cæteris Gentibus. Nihil quoque Petro derogavit, quod illum in Epistola non salutaverit, quia nec Jacobum, ad Hebræos scribens, salutavit, qui tunc Jerosolymis erat Episcopus, nequé Timothæum Ephesiorum Episcopum, ad ipsos suam dirigens Epistolam.

Ad 2dum Quoniam S. Petrus vivens, & sui Pontificatûs poſseſsor, Antiochenam Ecclesiam dimittens, Romanam aſsumpserat, ab hac ad istam Pontificatum quoqué suum transtulit, cùmqué in ista mortuus fuerit, conse-

quens est Episcopum in Cathedra Romana S. Petro succedentem cum Romano Episcopatu obtinuiſse primatûs dignitatem, ac jurisdictionem.

Quæres 8vo Ergo Romanus Pontifex in tota Christi Ecclesia obtinet primatum honoris, & jurisdictionis?

Resp: Ita est. Romanus Pontifex in tota Christi Ecclesia obtinet primatum honoris, & jurisdictionis. Enimverò Romanum Pontificem, S. Petri eſse Succeſsorem, atqué primatum honoris & jurisdictionis in universa Christi Ecclesia habere, constans & perpetua fuit Ecclesiæ Catholicæ doctrina, quia manifestiſsimè apparet ex Conciliis, ac Patribus, qui constanter Romanis Pontificibus primatum & honoris, & jurisdictionis attribuerant, illaqué semper Romani Pontifices, approbante Ecclesia usi sunt. Indubié ergo Romano Pontifici in universa Christi Ecclesia competit primatus honoris & jurisdictionis. Et quidem *1mo:* in Romanis Pontificibus primatum honoris, & jurisdictionis agnoverunt Concilia. Nicænum 1mum Generale Can: 6to: qualis refertur Act: 16ta Concilii Chalcedonensis, qui sic habet: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Constantinopolitanum 1mum. Can: 2do: Episcopo Constantinopolitano nonnisi secundùm post Romanum Pontificem honoris locum aſsignat, primum ipsi Romano Pontifici conservando, illius quoqué principem agnovit auctoritatem, dum, ut refert Theodoretus Hist: Eccles: libro 10. petiit à Damaso Romano Pontifice, ut sua decreta confirmaret. Concilia quoquè Generalia Ephesinum Act: 2da Chalcedonense Act: 3tia ubi hæc leguntur à Patribus dicta. *Ex his quæ gesta sunt, vel ab unoquoqué disposita, perpendimus, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, secundùm Canones antiquæ Romæ Dei amantiſsimo Episcopo conservari.* Sed & Concilia Aquileiense Sæculo 4to: Milevitanum, atquè Carthaginense Sæculo 5to celebrata, primatum Romani Pontificis agnoverunt, Romanam Ecclesiam totius orbis caput eſse dixerunt. Septimæ etiam generalis Synodi Patres approbârunt Epistolam Adriani Summi Pontificis, in qua Sedes Romana dicitur per totum orbem primatum obtinere, omniumqué Ecclesiarum Dei caput existere. Tandem Concilia Lugdunense, Constantiense, Basileense, Romanum Pontificem dicunt eſse, Vicarium Christi, Succeſsorem Petri, & Rectorem universalis Ecclesiæ. Ultimò deniqué in Concilio Florentino post agitatam multis in Collationibus Latinos inter & Græcos de Romani Pontificis primatu quæ-

stio-

stionem, sic tandem sancitum est. *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusqué Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam, à D. N. J. Christo plenam potestatem esse, quemadmodum etiam in gestis Œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

2do: Idem constat ex Patribus, tum Græcis, tum Latinis. Romanam enim Sedem unitatis vocant centrum ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, veluti Irenæus libro adversùs Hæreses cap: 3to: illam auctoritate cæteris omnibus præeminere in ea semper Apostolicæ Cathedræ viguisse Principatum, affirmant, ut Augustinus Epist: 162. Romanum Pontificem, quemadmodum caput membris, exercitui Ducem, gregi Pastorem, omnibus totius orbis fidelibus præesse, in summitate Arcis à Deo positum esse, Ecclesiarum omnium curam habere, summi Sacerdotis dignitate præditum esse docent, veluti Athanasius in Epist: ad Felicem Papam, Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos.

3tio: Tandem Primatum honoris & jurisdictionis approbante Ecclesia, semper Romani Pontifices usi sunt, illumqué exercuerunt. Concilia Generalia indicabant, & convocabant, in illis per Legatos suos ipsi præsidebant, statutos ab illis Canones aut approbabant, aut reiiciebant. Quemadmodum Pelagius, Concilii 2di Constan: in quo Episcopo Constantinopolitano nomen Œcumenici inditum fuit, Acta rescidit. Leo Magnus Concilii Chalcedonensis Canonem, quô secundus post Romanum Pontificem locus Patriarchæ Constantinopolitano tribuebatur, rejecit, ac irritum fecit. Romani Pontifices consvetudines aliarum Ecclesiarum, etiam intentatis excomunicationis ferendæ minis abrogarunt, veluti Victor consvetudinem Orientalium Pascha cum Judæis celebrantium, & S. Stephanus morem Africanorum rebaptisantium, Episcoporum in universo orbe causas dijudicabant, injustè depositos suis sedibus restituebant. Unde S. Athanasius Patriarcha Alexandrinus cum aliis tribus Episcopis, inique à suis Sedibus deiecti ad Felicem Romanum Pontificem confugerant, & ab illo suis Ecclesiis restituti sunt, pari modo S. Joannes

hry.

Chrysost: injustè depositus ad Innocentium 1mum recurrerat, ab eoqué & innocens declaratus, & suæ Sedi restitutus fuit. Cum itaqué Romani Pontifices semper in Ecclesia primatum honoris, & jurisdictionis exercuerint, indubiè ipsis & semper competebat, & nunc competit.

Objicies 1mo: Si Romanus Pontifex primatum haberet honoris & jurisdictionis, eſset Episcopus universalis. Porrò hunc titulum S. Gregorius Magnus tamquam profanum, & ipse detrectavit, & è suis Anteceſsoribus nullum, eum sibi arrogâſse affirmat. *2do:* Sancti Patres maximè Cyprianus docent omnes Episcopos æquales eſse, Petri & aliorum Apostolorum succeſsores, ac Vicarios Christi, omnium Ecclesiarum curam ad eos pertinere.

Resp: ad 1mum: Triplici sensu poſse quempiam dici Episcopum universalem. *1mo:* Ut unus ipse sit in orbe Christiano Episcopus, cæteri autem omnes nonnisi ipsius Vicarij ac delegati. Hoc sensu vocari Episcopus universalis S. Gregorius recusavit, & nullum ex suis Anteceſsoribus Episcopum sic universalem vocitatum fuiſse affirmat. Cumque eo sensu Episcopum universalem se vocitari Joannes Constantinopolitanus Patriarcha affectabat, ejus factum, atqué arrogantiam retundebat S. Gregorius sic ei Epist: 18va scribens. *Qui indignum te eſse fatebaris, ut Episcopus dici debuiſses, ad hoc quandoqué perductus es, ut despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.* *2do:* Sensu Episcopus universalis dici quis potest, quia in omnes orbis Ecclesias jurisdictionem habet, & tali sensu titulum Episcopi universalis S. Gregorius minimè recusavit, quoniam & Concilium Chalcedonense hoc sensu S. Leonem Papam Episcopum universalem nuncupavit, ad declinandum verò fastum, & præ humilitate nunquam Romani Pontifices sic se nominarunt, nequé Gregorius Magnus eo nomine se vocari permisit. Nequé etiam eo sensu Joannes Patriarcha Constantinopolitanus, universalis Episcopus vocitari potuit. Unde meritò ejus arrogantiam deprimens, se potiùs Servum Servorum Dei nuncupare maluit. *3tio.* Tandem sensu potest quis universalis Episcopus dici, quia nimirum in maximam Christiani orbis partem auctoritatem exercet, pars enim præcipuè si maxima sit, pro toto iuterdum sumitur. Atqué eo sensu nomen universalis Episcopi, nonnulli Constantinopolitani Patriarchæ sibi arrogabant, & quamquam hoc aliquatenus tolerari poſsit, sed quia universalem Episcopum se appellitare, arrogantiam, fastumqué apertè deno-

tabat

tabat, & sensu perverso istiusmodi appellatio usurpari poterat, meritò huic novitati Romani Pontifices strenuê obstiterant.

Ad 2dum: Revera omnes Episcopi sunt in munere Episcopali æquales, Petri, & Apostolorum Succeſsores, sed quemadmodum inter Apostolos primus Petrus, ita nunc inter Episcopos primus Romanus Pontifex. Sunt Vicarii Christi in sua quisqué Ecclesia, positi à Spiritu Sancto, ut gregis sibi à Deo crediti, invigilent. Unde illos admonet S. Petrus Epist: 1ma cap: 5to. *Pascite, qui in vobis est, gregem Domini.* Tandem singuli Episcopi eo sensu curam universæ Ecclesiæ habent, quod singuli suam partem curantes, eo ipso universam curant Ecclesiam, atqué in hanc rem optime ait S. Augustinus scribens ad Bonifacium Papam. *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatûs officio, quamvis in ea præemineas celsiore fastigio, specula Pastoralis:*

Quæres 9no Quo jure competit Romano Pontifici primatus honoris, & jurisdictionis?

Resp: Competit jure Divino, Christi scilicet institutione. Enimveró S. Petrus principem locum inter Apostolos, & primatum honoris, atque jurisdictionis in universa Ecclesia ex Christi institutione obtinuit. Porrò Romani Pontifices, qui sicuti in Cathedra Romana, sic in omnibus juribus, privilegiis, ac prærogativis Petro succedunt, succeſsione post ipsum, primatum in universa obtinent Ecclesia. Ergo illum obtinent jure Divino, & ex Christi institutione. Quare SS. Patres constanter aſserunt, Sedem Romanam eſse Cathedram Petri: ita Cyprianus, Hieronymus, Optatus Milevitanus, Beatum Petrum adhuc Sedi Romanæ præsidere docent, in ea vivere, judicare, ita S. Petrus Chrysologus. Tandem Petrum per Romanum Pontificem loqui, Patres Concilii Chalcedonensis testati sunt. Quemadmodum ergo Petrus ex Christi institutione primatum in universa Ecclesia habuit, eodem jure post ipsum, ejus veri Succeſsores habent Romani Pontifices.

Dices Primatus Romani Pontificis in eo tantum fundatur, quod Petrus ſuam ſedem Romæ potiùs, quam alibi fixerit. Porro hoc factum planè humanum fuit.

Resp: Quod Romani Pontifices sint Petri Succeſsores, id ex humano fluit facto. Id enim ideo factum est, quia S. Petrus relicta sede Antiochena, in qua aliquandiu ſederat, suam Cathedram Romæ erexerit, ibique mortuus fuerit.

fuerit. Sed quod Romani Pontifices, cum sint veri Petri Succeſsores, primatum post ipsum in universa Ecclesia obtineant, id est ex institutione Divina. Non enim Petrus pro ſua tantummodò persona primatum á Christo accepit, ſed & pro ſuis Succeſsoribus, & quemadmodum Ecclesia Christi, ad finem usque mundi duratura est, ita & primatus Petri in ejus Succeſsoribus perseverare debet.

Quæres 1mo: Quæ competunt Romano Pontifici ratione ipsius primatus.

Resp: Romano Pontifici ratione primatûs competunt ea omnia, sinè quibus unitas in Ecclesia, rectusqué ordo conservari nequit, namque, ut communiter docent Sancti Patres, primatus in Ecclesia à Christo institutus est, ad conservandam ipsius unitatem, rectumqué ordinem stabiliendum. Cùm itaque Romanus Pontifex primatum in universa teneat Ecclesia, illi ea omnia competere debent, quæ ad ipsius conservandam unitatem, rectumqué in ea ordinem conservandum neceſsaria ſunt. Quare Romano Pontifici competit. *1mo:* quod sit centrum unitatis, quia scilicet omnes & Episcopi, & fideles communionis consortio, in fidei doctrina, atque obedientia, ei coadunari debent. Unde S. Iræneus libro 3tio adversùs Hæreses, cap: 3tio de Ecclesia Romana sic inquit. *Ad quam propter potiorem principalitatem neceſse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles:* & S. Hieronymus in Epist: ad Damasum Papam sic scribit. *Ego Beatitudini vestræ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comedit, profanus est.* *2do:* omnium Ecclesiarum curam gerere, Canonum executioni per totum Christianum mundum invigilare, rebelles pænis Canonicis coercere. *3tio:* Concilia convocare, ijsqué præsidere. In controversiis fidei præcipuas habet partes. Decreta ipsius in causa fidei, & morum ad omnes Ecclesias pertinent, ac Christianos omnes in conscientia obligant, quibus ipsi obtemperare tenentur, quamdiu Ecclesia contra illa non reclamaverit. Licètsi enim Romanus Pontifex non eſset infallibilis, ipsius tamen Decretis provisorie latis, omninò obtemperandum est, quoadusqué Ecclesia aliud non constituerit. *4to:* Nihil quidquam in Ecclesia magni momenti definiri potest, quod ad ipsum non referatur. Quamquam enim non sit solus Iudex controversiarum, est tamen inter Iudices primus dignitate, & auctoritate. Quare ad ipsum majores, ut dicunt

cunt, causæ referendæ sunt. Majores autem appellantur causæ, vel ex rei, de qua agitur gravitate, quales illæ ſunt, quæ fidem, religionem, ac generalem morum ſpectant disciplinam, vel ex magnitudine subortæ difficultatis, aut dignitate personæ, veluti cum agitur de Episcopis. 5to: tandem ad ipsum pertinet dispensare in legibus etiam à Concilio Generali latis, sed in iis casibus, in quibus ipsum Concilium dispensaret, & juxta regulas à Conciliis præscriptas. Unde tota auctoritas Romani Pontificis Canonibus, & Ecclesiæ statutis moderari debet.

Quæres xxmo: Cœteri prœter Petrum Apostoli, qualem habebant à Christo sibi collatam in Ecclesia auctoritatem?

Resp: Cæteri etiam præter Petrum Apostoli, amplisſimam à Christo in Ecclesia acceperant auctoritatem, atque potestatem. Et id constat apertisſimè ex Sacris Scripturis. Namque omnibus Apostolis Christus Math: cap: 18. ligandi, atque solvendi potestatem dedit, sic illos misit in mundum, sicut ipse à Patre misſus fuerat, remittendi, atque retinendi peccata potestatem ipsis contulit: Joan: cap: 20. cum omnimoda potestate munus docendi omnes Gentes illis commisit: Math: cap: 28. Verum duplex fuit in Apostolis, à Christo ipsis concesſa auctoritas, atque potestas. Alia fuit muneris eorum Apostolici propria, amplisſima, ac nullis limitibus circumscripta, vigore hujus potestatis, atque auctoritatis, poterant Apostoli Christum ubique annuntiare, Ecclesias fundare, Episcopos constituere, & alia omnia ad publicum Ecclesiæ regimen necesſaria exercere, omniumqué Ecclesiarum curam, omnium fidelium sollicitudinem gerebant, quod vel ipsæ Epistolæ quas nonnulli eorum conscripserant, probant evidentisſimè. Alia fuit illorum potestas ordinis, quo erant à Christo insigniti, Episcopalis scilicet Ministerij, quo ea, quæ ordinis sunt perficiebant. Prima erat propria Apostolatûs officii, quod illorum personis annexum, cum eorum morte cesſavit; ſecunda Ordinis fuit, quæ ordinatione ad Succesſores transiit.

Quæres xximo: Qui sunt ergo Apostolorum Succesſores?

Resp: Apostolorum Succesſores, ſunt omnes Episcopi. Rem planè conficiunt verba Christi, quibus ſuos Apostolos allocutus est. Joan: cap: 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Nempe sicuti Christus in mundum venerat, ut doceret, instrueret, hominesqué ad æternam felicitatem dirigeret, atque Evangelij ſui præcones, fide-

lium

lium Pastores, Rectoresqué instituerat, ita pariter jussit, ut Apostoli eundem in finem Ecclesiæ Ministros Episcopos, eorum præditos auctoritate eligerent, ordinarentqué, quorum successio futura esset in Ecclesia perpetua. Hanc esse germanam hujus loci interpretationem, ostendit Clemens Romanus, Pauli discipulus, & Petri post Linum, Cletumque in sede Romana Successor, qui Epist: 1ma ad Corinth: sic ait. *Apostoli acceptis mandatis Episcopos constituerunt, & quid mirum, si quibus in Christo commissum est à Deo hoc munus, prædictos constituerint. Ob eam ergo causam accepta perfecta præcognitione constituerunt supradictos, & deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt, ut cum illi decederint, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent.* Et reipsa statim post Christi ascensionem Apostoli in locum Judæ proditoris, Mathiam elegerunt. Joannem Evangelistam, Episcopos constituisse narrat Evsebius libro 3tio Hist: Eccless: cap: 23. Paulus quoque Apostolus indubiê Titum, & Timotheum Episcopos ordinavit, suamqué ipsis ad regendas Ecclesias potestatem, auctoritatemqué communicavit, modum regiminis præscripsit. Sunt ergo Episcopi omnes Apostolorum Successores. Et certè Episcopi iisdem perfunguntur muneribus, quæ in primordiis Ecclesiæ obibant Apostoli, ipsis ergo in Ecclesiæ muneribus, atque functionibus succedunt. Unde omnes Sancti Patrés, maximè, Irenæus, Cyprianus, Hieronymus, Firmilianus, Basilius, Gregorius Magnus, cæteriqué communi consensu docent Episcopos, Apostolorum esse Successores.

Quæres 23tio: In quibus posita est auctoritas Episcoporum, quam successione ab Apostolis accipiunt?

Resp: Tota auctoritas Episcoporum, quam successione ab Apostolis accipiunt, posita est in docendo, & regendo. Hæc constant ex tota antiquitate, atque Ecclesiastica traditione, ac proinde de his duobus capitibus constitutos à se Episcopos Titum, atque Timotheum instruit Paulus Apostolus. Verùm non eadem est Episcoporum in docendo, & regendo auctoritas, quæ fuit Apostolorum; Apostolorum siquidem auctoritas non fuit restricta ad cærtos locorum, sive regionum terminos, Episcoporum veró, cærtis locorum ac regionum terminis coarctata, per hoc tamen jura Episcopalia non sunt imminuta, sed tantum illorum exercitium, ad cærtos limites restrictum est, ne pax Christiana lædatur, & potestas in

ædi-

ædificationem data, per discordias Episcoporum, in destructionem cadat corporis Christi.

Quæres 14to: Auctoritatem suam Episcopi an immediate à Deo accipiunt an à Romano Pontifice?

Resp: Episcopi auctoritatem suam non à Romano Pontifice, sed ab ipso Deo immediatè accipiunt. Enimveró Episcopi auctoritatem habent succeſsione ab Apostolis in se devolutam. Porro Apostoli, ab ipsomet Christo immediate datam sibi auctoritatem, potestatemqué habuerunt. Ergo & Episcopi non â Romano Pontifice sed ab ipsomet Deo, vi institutionis Chriti omnem suam habent auctoritatem. Unde S. Paulus actor: cap: 20. disertè docet Episcopos â Spiritu Sancto positos eſse regere Ecclesiam Dei. Unde S. Ignatius. Epist: ad Ephesios ait. *Episcopos ex Jesu Christi sententia per terræ terminos definitos eſse.* Et S. Ambrosius Comment: in Epist: 1mam ad Corinth: inquit. *Episcopus personam habet Christi, Vicarius Domini est.* â Christo ergo, & ab ipso Domino potestatem, auctoritatemqué suam habent Episcopi, non â Romano Pontifice.

Dices: Nullus modó Episcopus jurisdictionem insua Diæcesi exercere potest, nisi á Romano Pontifice confirmatus fuerit, quare communiter scribunt se Gratiâ Sedis Apostolicæ Episcopos eſse.

Resp: Antiquitùs electos fuiſse Episcopos á plebe, Clero, Episcopis Provincialibus, ac Metropolita, qui electum confirmavit, ordinavitqué, pro facultate vero eligendi, ordinandiq: aut pro confirmatione ad Romanum Pontificem provocatum tunc non fuit, atque istiusmodi consvetudo, praxisqué in universa Ecclesia constanter servabatur usque ad Sæculum 12mum. Electione siquidem cleri, populiqué, Metropolitæ confirmatione, atqué etiam ordinatione satis certo constabat, quis sit hujus, illiusve, Ecclesiæ legitimus Episcopus, qui tamen nequé ab eligentibus, nequè á Metropolita confirmante, jurisdictionem accipiebat, sed per sui consecrationem ab ipso Deo. Cum veró istiusmodi Episcoporum electiones cessaverint, et Episcopi ut plurimum á Regibus, Principibusqué nominantur, ut certo scitatur, hunc et non alium, istius regendæ Ecclesiæ Episcopum destinatum esse, Romani Pontificis confirmatio est necessaria, sinè qua etiam ordinatio, seu consecratio in Episcopum esse nequit. Non tamen Romani Pontificis confirmatione destinatus Episcopus accipit auctoritatem, jurisdictionemqué sed vi in-

sti-

stitutionis Christi; ipsa subordinatione eam acquirit. Quod veró Episcopi soleant se nominare, *Sedis Apostolicæ gratia Episcopos*: nihil illud evincit, quia hæc nuncupatio antiquis prorsus fuit incognita et nonnisi Sæculo 12mo cæpit. Tandem aliquâ ratione verum est quempiam gratia Sedis Apostolicæ Episcopum esse, quia scilicet ipsius nominatio, designatioqué in Episcopum à Romano Pontifice confirmata fuit, sinè qua Episcopus non fieret, Ergo merito Episcopi, ut suam gratitudinem, atqué etiam pietatem, observantiamqué erga Romanum Pontificem testentur, Sedis Apostolicæ gratia se Episcopos esse inscribunt.

ARTICULUS 3tius.

De cæteris Hierarchiæ Ecclesiasticæ membris

Qures 1mo: Præter Episcopos ex quibus insuper constat atqué coalescit Hierarchia Ecclesiastica.

Resp: Hierarchia Ecclesiastica constat Episcopis, Præsbyteris, et Diaconis, unde præter Episcopos, Hierarchia Ecclesiastica ex Præsbyteris etiam, et Diaconis coalescit. Atqué istud Concilium Tridentinum Sess. 23. Can 6to: definivit, his verbis: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Præsbyteris, et Ministris, anathema sit*: Et reipsa Sancti Patres statum Ecclesiæ seu Hierarchiam, ordinesqué Ecclesiasticos describentes, semper Episcopos, Præsbyteros, ac Diaconos memorant. Sic S. Jgnatius Martyr, Hieronymus, et alii quâm plurimi. Clemens Romanus in Epistola 1ma: ad Corint: hæc habet. *Summo Sacerdoti sua munia tributa sunt, et Sacerdotibus Locus proprius assignatus est, et Levitis sua ministeria incumbunt, unusquisqué vestrum in suo ordine gratias Deo agat*: similia habet Optatus Milevitanus libro 1mo: adversus Parmenianum, ubi sic inquit: *Quid commemorem Laîcos? quid plurimos Ministros? quid Diaconos in tertio, quid Præsbyteros in secundo Sacerdotio constitutos, ipsi apices, et Principes omnium Episcopi.* Hic et varij in Ecclesia recensentur ordines, varij ipsis afsignantur gradus, diversa illorum dicuntur efse munia, quibus alij aliis subordinantur. Unde et Clemens Alexandrinus libro 6to: Stromatum in Ecclesia esse affirmat *progrefsiones Episcoporum, Præsbyterorum Dia-*

Diaconorum. His porro constituitur Hierarchia Ecclesiastica. Ergo manifestum est, primis Ecclesiæ sæculis eandem fuisse Hierarchiam Ecclesiasticam, qualem Concilium Tridentinum declaravit.

Quæres 2do Quæ sit origo Præsbyterorum.

Resp: Notum est ex Sacris Scripturis, Christum Dominum præter duodecim Apostolos, elegiſse ſeptuaginta duos Diſcipulos Lucæ Cap: 10mo: Hi erant à fideli plebe distincti, & ad publicum ſpirituale ministerium destinati. Jis ſuccedunt Præsbyteri, quemadmodum Episcopi Apostolis, atque illorum occupant locum. Certè ex ipsa Christi institutione ſemper fuerunt in Ecclesia ſecundi ordinis Pastores, quos Præsbyteros dicimus, ſub Episcoporum cura, & jurisdictione, atqué directione, qui fidelibus præerant. Hujus veritatis habemus testem Apostolum Paulum, qui Timotheo Epist: 1ma Cap: 5to jubet, *ut qui bene præsunt Præsbyteri duplici honore digni habeantur. maxime qui laborant in verbo, & doctrina:* atqué in Epist: ad Titum Cap: 1mo scribit se ideo ipsum reliquiſse Cretæ, ut constituat per Civitates Præsbyteros. Id etiam ex antiquiſsima constat traditione. Quare S. Ignatius Martyr vult fideles non solum Episcopis, ſed & Præsbyteris ſubditos eſse, sic enim Epist: ad Trall. Cap: 2do inquit. *Episcopo ſubjecti estis ut Jesu Christo, sed & Præsbytero subditi sitis.* Quapropter S. Hieronymus Comment: in Cap. 2dum Epist: ad Titum ait. *Non solum Episcopi, Præsbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident conversatione sermone ac scientiâ præcedant.* Jam verò Præsbyteros ita in Ecclesia locum Septuaginta duorum discipulorum occupare, quemadmodum Apostolorum locum tenent Episcopi, antiquorum edocti traditione docent Venerab: Beda, Hincmarus Rhemensis, Theodulphus Episcopus Burelianensis, & S. Thomas Doctor Angelicus, id expreſsè affirmat, probatqué,

Quæres 3tio: Præsbyteri suntné Episcopis æquales?

Resp: Præsbyteri non ſunt Episcopis æquales, sed ipsis inferiores. Enimverò Joannes Apostolus in Apocalipsi ſcribens Ecclesijs Ephesi, Smirnæ, Pergami, Thiatyræ, Sardis, Philadelphiæ, Laodiciæ, in quibus absque ullo dubio plures erant Presbyteri, in unaquaqué unum memorat eminentiorem, quem & Angeli nomine condecorat, Pastorem omnium, cui dirigendi, regendi, emendandi onus impositum erat, & à quo commiſsarum

sibi

sibi ovium; Deus rationem exposcebat. Quare ævo etiam Apostolico, Episcopi præeminebant Præsbyteris, in Ecclesiarum gubernatione. Et certè Episcopi non solum Presbyteros constituebant, ut ex Epist: Pauli ad Titum notissimum est, sed etiam ipsos judicabant, quare idem Apostolus scribit Timothæo Epist: 1ma cap: 5to *Adversus Præsbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Si ergo Præsbyteri ab Episcopis ubi opus fuerat, constituebantur, atqué dijudicabantur, non itaqué sunt Episcopis æquales, sed ipsis subiecti, & inferiores. Atqué id perpetuâ traditione confirmatur. Omnes siquidem ad unum Sancti Patres id docent, qui non solum Præsbyteros semper secundo loco post Episcopos ponunt, veluti Ignatius Martyr, Clemens Alexandrinus, & alij, sed etiam expresse docent, Præsbyteros Episcopis subjectos esse. Origenes Homil 2da in Jeremiam Prophetam sic inquit: *Plus à se exigi quam à Diaconis, ab his vero plus quam à Laicis. plus rursus ab iis, quibus & super Diaconos, & super Præsbyteros commissum est regimen, & principatus Ecclesiasticus:* & Tertulianus librô de Baptismo cap: 17mo ait: *Dandi quidem Baptismi habet jus summus Sacerdos, dehinc Præsbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate:* Optatus quoqué Milevitanus librô 1mo adversùs Parmenianum, positis Præsbyteris in secundo gradu, Diaconis in tertio, dicit omnium apices, ac Principes esse Episcopos. Quare dum Aerius Sæculo 4to, Episcopatus spe frustratus, cujus desiderio flagrabat, evulgare cæpit: inter Episcopum & Præsbyterum nullum esse discrimen, S. Epiphanius ipsius errorem vocat *dogma supra hominis captum furiosum, & immane:* Hæresi 75ta. Et vero ex regula S. Augustini, quod semper & ubiqué in Ecclesia fuit observatum, nec in ullo Concilio invenitur institutum illud censeri debet institutionis Divinæ. Talis autem est præeminentia Jurisdictionis, & ordinis Episcopalis supra Præsbyteros. Hinc omnes veteres tam frequenter obedientiam Episcopis veluti ipsi Christo exhibendam commendant. Ita S. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallanos. *Reveremini Episcopum vestrum sicut Christum, quemadmodum beati nobis præceperunt Apostoli. Quid enim aliud est Episcopus, quàm is qui omnem principatum & potestatem super omnes habet:* & in Epistola ad Magnesianos sic inquit. *Decet vos obedire Episcopo, & in nullo ei refragari. Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil facit, sic & vos sine Episcopo, nec Præsbyter, nec*

Dia

Diaconus, *nec Laicus*. Meritò itaqué Concil: Trid: Sefs: 23. Can: 7. constituit. *Si quis dixerit Episcopos non efse Præsbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent illis efse cum Præsbyteris communem anathema sit.*

Objicies: Paulus Apostolus à Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ, quibus dixit ut attenderent universo gregi in quo Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Præsbyteri igitur & Episcopi idem planè erant, eodem modo positi à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei. Et ad Philipenses fcribens idem Apostolus, Episcopos tantummodo salutat & Diaconos, quod argumento est, Episcoporum nomine, Præsbyteros designare voluifse, ac tandem de vitæ integritate, prudentia, doctrina Episcopis necefsaria Timotheum instruens, ad Diaconos statim fermonem convertit, Præsbyteros certe non prætermisifset, si ab Episcopis distincti fuifsent. Cum igitur Presbyteri ab Episcopis distincti non sint, non pofsunt ipsis efse inferiores.

Resp: Ex tota antiquitate manifestifsimè apparet, Episcopos, & Præsbyteros, re, gradu muniis, prærogativis, auctoritate, potestate, atquè etiam nomine distinctos fuifse. Hujus rei testes sunt omnes Sancti Patres, Scriptoresqué Ecclesiastici universi. Quod si Apostolorum ævo, Episcoporum ac Presbyterorum nomina communia ipsis fuerint, prout vult S. Chrysostomus cum aliquibus Patribus, quod tamen cum aliis negat S. Epiphanius, ex identitate nominis, æqualitatem potestatis inferri minime licet. Namqué etiam nomen Ministri commune erat omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, Episcopis, Præsbyteris: Diaconis, Paulus quoquè seipsum, cæterosqué Apostolos, Ministros vocat, imo ipsum Christum Ministrum efse dicit, inde tamen concludi nequit, omnium Ecclesiæ Ordinum Apostolorum, & ipsius Christi æqualem fuifse auctoritatem potestatemqué. Sed ad singula in objectione adducta, seorsive respondemus. Et quidem *1mo:* cum S: Irenæo librô 3tio cap: 3tio dicimus S. Paulum non è sola Civitate Ephesina Miletum convocâfse majores natu Ecclesiæ, sed ex finitimis etiam Civitatibus, tum Episcopos, tum Præsbyteros coadunafse, sic enim inquit prædictus S. Pater. *In Mileto convocatis Episcopis, & Præsbyteris qui erant ab Epheso, & à reliquis proximis Civitatibus, multa testificans eis*, itaqué verba Apostoli, *attendite vobis & universo gregi* solos spectant Episco-

scopos; non vero Præsbyteros. 2do: Quod verò Apostolus in Epist: ad Philippenses, solos salutat Episcopos & Diaconos, nulla facta mentione Præsbyterorum, hoc ideo, quia ut docet S. Epiphanius Hæresi 57. quia in exordio Ecclesiæ fidelium numerô nondum auctô, nonnullæ Civitates erant, quibus solus Episcopus cum Diaconis sufficiebat. 3tio: Quod in Epist: ad Timotheum idem Apostolus Episcoporum tantummodo, ac Diaconorum præscribit officia, dotesqué illorum enumerat, Præsbyteris planè prætermissis, ratio hujus hæc est, quod officia Præsbyterorum proxima sint officiis Episcoporum, pleraqué utrisqué communia, ideoqué pari vitæ integritate, doctrinâ, ac prudentiâ quemadmodum ipsi Episcopi præditi esse debent; quæ itaqué Apostolus præscripsit Episcopis, hæc etiam Præsbyteros spectabant, non ergo necesse erat eadem repetere. Tandem cum Paulus Apostolus, in suis ad Titum, atqué Timothæum Epistolis expressis verbis Præsbyteros commemorat, & deinceps in tota antiquitate eorum mentio reperiatur, ex eo, quod aliquoties idem Apostolus illorum facere mentionem prætermiserit, nullatenus inferri potest, Præsbyteros cum Episcopis unum, idemqué esse. Argumentum siquidem purè negativum, contra argumenta positiva, & bene multa, nullius roboris esse nemo ignorat.

At inquies: S. Hieronymus Præsbyteros ex primeva institutione, Episcopis omnino pares esse censuit, & nonnisi ad evitandum Schisma factum esse, ut Episcopis subderentur.

Resp: Imprimis indubitatum est, S. Hieronymum Divinam Episcoporum institutionem, & tenuisse, & docuisse. Ac primo Comment: in Isaiæ cap: 60. verba istius Prophetæ, *ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam.* ita legit: *Ponam principes tuos in pacem, & Episcopos tuos in justitiam*, ac statim subdit. *In quo Scripturæ Sanctæ admiranda Majestas, quod Principes futuros Ecclesiæ Episcopos nominavit.* In Epistola verò ad Evagrium, Episcopos Superiores esse Præsbyteris, probat exemplo Aaronis, qui supra alios Sacerdotes indubie eminebat, sic enim habet: *ut sciamus traditiones Apostolicas, sumptas de veteri Testamentô, quod Aaron & Filii ejus, & Levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Præsbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesia,* Quemadmodum ergo in veteri lege, ita & in nova agnovit S. Doctor Hierarchiam, distinctos varios Ordines, & prout Aaron qui

summus

summus Sacerdos erat, ab aliis Sacerdotibus, & isti à Levitis secernebantur, eadem ratione Episcopos, quos cum cæteris Patribus, ipse Hieronymus Summos Sacerdotes vocat, à Prœsbyteris & isti à Diaconis discriminantur. Quare etiam in caput 3tium Epist: ad Titum scribens, ait Episcopos similes eſse Moysi, Presbyteros verò septuaginta Senioribus, quos Moyses sibi adlegerat. Tandem adversùs Luciferianos affirmat ad solos Episcopos pertinere jus dandi Baptisatis Spiritum Sanctum, per Sacramentum Confirmationis, & in Epist: ad Evagrium aſserit iterum solos Episcopos habere potestatem Sacros Ecclesiæ Ministros ordinandi. Semper ergo S. Hieronymus & sensit, & docuit, Episcopos à Præsbyteris gradu & potestate distingvi, majoresqué, ac superiores ipsis eſſe.

Ad objecta itaqué ex S. Hieronymo deprompta respondemus. S. Hieronymum existimâſse ab initio in multis Civitatibus solos Præsbyteros constitutos fuiſse, qui cum plures eſsent, nec ejusdem semper forent sententiæ, enata inde sunt Schismata, ad quæ extirpanda unus ubiqué electus est Episcopus, cui totum committeretur regimen, & cui cæteri omnes parere ac obedire tenebantur. Censet quoqué S. Doctor ab initio Ecclesias communi Præsbyterorum consilio ab Episcopis gubernatas fuiſse, unde etiam illos S. Ignatius Martyr Epistola ad Magnesianos cap: 6to. locum Senatus Apostolici tenere aſserit, Episcopo & ipsis obedire jubens: *Episcopo præsidenti loco Dei, & Præsbyteris loco senatus Apostolici.* Verum deinceps à Gubernatione amotos fuiſse, ex quo penes solos Episcopos supremum Ecclesiarum regimen remansit, quia quod volentèr, ac libentèr Præsbyteris Episcopi conceſserunt, justis de causis illis postea denegarunt. Istud ergo, quod in cunctis Civitatibus constituti fuerint Episcopi, atqué in iis etiam locis, ubi soli Præsbyteri totum Ecclesiæ regimen tenebant, ad Episcopum devolutum fuerit, quod penes solos Episcopos regimen Ecclesiarum remanserit, amotis Præsbyteris ex quorum consilio prius omnia in Ecclesia moderabantur, hæc inquam S. Hieronymus dicit non eſse primævæ institutionis, sed recentioris consvetudinis. Dum itaqué S. Doctor aſserit Episcopos consvetudine potius, quam dispositionis Dominicæ veritate Præsbyteris præeminere, de modo exercendæ exterius jurisdictionis loquitur, non vero de ipsa originaria potestate auctoritatequé quam Episcopi vi sui ordinis, & gradus præ omnibus habent Præsbyteris.

Quæres: 4to: Præter Episcopos & Præsbyteros dentur insuper in Ecclesia alii Ministri?

Resp: Præter Episcopos & Præsbyteros dantur insuper in Ecclesia alii Ministri, maximè Diaconi, Sacrâ quadam potestate præditi. Id patet ex ipsa primæva Diaconorum institutione, quæ refertur Actorum cap: 6to. ubi dicitur electos eſse viros septem plenos Spiritu Sancto, & sapientiâ, iisdemqué ab Apostolis inter orandum, manus fuiſse impositas. Hæc autem omnia indigitant Diaconos non tantum profanos viduarum, ac mensarum famulos constitutos fuiſse, sed etiam ad Ministerium Sacrum deputatos eſse. Namqué *1mo*: dispositiones quas Apostoli in eligendis ad Diaconatum expostulabant, ut scilicet eſsent viri boni testimonii, pleni Spiritu Sancto, & ſapientiâ præditi, non ad profanum quodpiam exercendum opus, sed ad aliquod Sacrum, atqué sublimè perficiendum munus requiri poterant. *2do:* Modus eorum institutionis, videlicet inter orandum Apostoli ipsis manus imposuerunt. Manuum siquidem impositio orationi adiuncta, nonnisi in maximis Religionis nostræ Mysteriis, ad Spiritum Sanctum conferendum adhibebatur, magnumqué semper aliquid denotabat. Quare etiam mox post suam in Diaconum institutionem, Stephanus dicitur plenus gratiâ & fortitudine. *3tio*: tandem munia quæ iidem Diaconi exercebant, palam faciunt ipsos ad Sacrum Ministerium destinatos fuiſse. Siquidem Stephanus mox Christum annuntiabat, Christo refragantes convincebat. Philippus ad fidem Samaritanos perduxit, illosqué Baptisavit. Quare Paulus Apostolus ad Timothæum, & Philipenses scribens, Diaconos Episcopis, & Præsbyteris annumerat, ac ferme easdem ab istis, quam ab illis animi dotes requirit. Ex quibus manifestum est, Diaconos ex originaria sua institutione ad Sacrum Ministerium destinatos fuiſse. Undé vetusti Sancti Patres Diaconos ad Sacram Hierarchiam referunt, Episcopis, & Præsbyteris eos annumerant, atqué omni tempore in Ecclesia sive Græca, sive Latina ad Altaris Ministerium admoti fuerant.

Objicies 1mo: Actorum cap: 6to. ubi prima refertur Diaconorum institutio, nulla fit mentio Sacri Ministerij, sed tantum curæ viduarum, & mensarum, undê S. Hieronymus in Epist: ad Evagrium, Diaconos appellat mensarum, & viduarum Ministros. *2do*: Patres Synodi Trullanæ disertê declarârunt, septem primis Diaconis nullum fuiſse concreditum Sacrum Ministerium.

Resp:

Resp: ad 1mum: Verum est, viduarum competens sustentatio occasio fuit, ut Diaconi eligerentur, sed non hæc unica ac præcipua causa fuit: ad Ministerium Sacrum applicatos fuiſse Diaconos, & Sacra Scriptura testatur, quæ refert ab illis Evangelium prædicatum, & neoconversos Baptisatos fuiſse, & unanimi consensu veteres Patres docent. S. Ignatius Martyr in Epist: ad Trallianos hæc habet. *Quid sunt Diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam, & immaculatam.* Quod ergo S. Hieronymus Diaconorum munus profanum & vilius nominaverit, ad eorum deprimendam arrogantiam, qua se etiam Præsbyteris præferendos eſse putabant, officium illorum Sacrum, & nobilius non negavit, in Epist: namqué ad Helliodorum in tertio Sacerdotii gradu Diaconos collocat, & in Dialogo adversùs Luciferianos docet, jubente Episcopo Diaconum Baptisma conferre poſse, atqué in eadem Epist: ad Evagrium scribit Diaconos eſse in Ecclesia id, quod Levitæ erant in veteri Synagoga.

Ad 2dum: Haud magni ponderis est auctoritas Concilii Trullani, quæ & à plerisqué reiecta est, quod tum in aliis, tum hac etiam in re ab antiquorum traditione deflexerit.

Quæres 5to: Diaconi suntne institutionis Divinæ?

Resp: Diaconi sunt institutionis Divinæ. Enimverò Apostoli Diaconos constituerunt nonnisi ex inspiratione Divina, nequé ritum eos instituendi per Orationem ac manuum impositionem usurpâſsent, nisi illum à Christo accepiſsent. Ac tandem, quomodo poterant Apostoli demandare Diaconis munus Sacrum & Evangelium prædicandi, & conversos ad Jesum Christum Baptisandi, nisi Christo id ipsis revelante, ac Spiritu Sancto docente. Quare S. Ignatius Martyr vir Apostolicus, qui primæva omnium optimè noverat, Epist: ad Philadelphos expreſsè docet. *Diaconos per Jesu Christi sententiam eſse designatos,* atqué Epist: ad Smyrn: dicit Diaconos venerandos eſse ut *Dei mandatum.*

Dices: S. Cyprianus in Epist: ad Rogatianum dicit Christum ipsum Apostolos elegiſse, Diaconos vero nonnisi ab Apostolis constitutos eſse.

Resp: S. Cyprianus hoc unum dicit, quod ad majorem Episcoporum, qui Apostolorum Succeſsores sunt, ostendendam dignitatem, tumidosqué compescendos Diaconos inserviebat, scilicet Christum ipsum Apostolos ele-

gisse, non autem Diaconos per se instituisse, collata nonnisi Apostolis facultate, ut ad suum Ministerium eos assumerent.

Quæres 6to: Utrum Diaconi sint Episcopis, atqué Præsbyteris inferiores?

Resp: Diaconi sunt Episcopis ac Præsbyteris inferiores. Enimverò omnes Sancti Patres, Diaconos, Episcopis & Præsbyteris inferiùs ponunt, in tertio scilicet Sacerdotii loco illos collocant. Quare cum in antiqua Ecclesia Diaconi ambitiosè sese Præsbyteris æquare voluerunt, Patres, & Concilia, maximè Carthag: 4tum. Arelatense, & Laodicenum, gravissimis decretis sanxerunt, ut Diaconi ita Præsbyterorum sicuti Episcoporum se Ministros esse noverint.

Quæres 7mo: Cæteri in Ecclesia usitati Ordines, quemadmodum Subdiaconi, Acolithi, Exorcistæ, & alii, utrum pertineant ad Ecclesiasticam Hierarchiam?

Resp: Episcoporum, Præsbyterorum, ac Diaconorum tantummodo Divina est institutio, ac proinde ii soli ad Ecclesiasticam Hierarchiam Divina ordinatione institutam pertinere dignoscuntur, reliqui verò omnes in Ecclesia modo usitati Ordines, quoniam institutionis sunt pure Ecclesiasticæ, ad Divinam Hierarchiam pertinere nequeunt, & id Urbanus 2dus Papa in Concilio Beneventano non ambiguè expressit dicens *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in Sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus, Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Præsbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia, super his solis præceptum Apostolicum habemus.*

Quæres 8vo: Ex his, quæ de Ecclesiæ institutione, ipsiusqué Hierarchia posita atqué probata sunt, quæ depromenda sit genuina veræ Christi Ecclesiæ notio?

Resp: Ex iis, quæ de Ecclesiæ institutione, ipsiusqué Sacra Hierarchia posita, atqué probata sunt, hæc genuina veræ Christi Ecclesiæ depromi debet notio, quod sit: *Cœtus hominum, præscripto à Christo modo, Deum colentium, unius, ejusdemqué fidei Christianæ professione, ac eorundem Sacramentorum participatione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè sub Romani Pontificis obedientia atqué subjectione existens.* Enim verò Christus Ecclesiam suam in terris fundavit, cælestem doctrinam hominibus tradidit, modum colendi Deum præscripsit, homines ad æternam beatitudinem præordinavit, ad

ad illam consequendam media afficacifsima, Sacramenta scilicet instituit, quæ sunt omnium Divinarum gratiarum fontes copiosifsimi, Pastores ac Rectores fidelium designavit, imprimis Petrum, cæterosqué Apostolos, ligandi, ac solvendi, remittendi, vel retinendi peccata potestatem illis dedit, docere, & baptisare omnes Gentes iufsit, ipsorum munus, ac officium, prærogativas illis concefsas, voluit ut ad eorum Succefsores transirent, à quibus usqué ad finem Mundi Ecclesia ab eo fundata regeretur, atqué gubernaretur. Hæc porrò omnia strictim complectitur allata Ecclesiæ Christi notio ac definitio. Genuina ergo est, atqué legitima.

CAPUT SECUNDUM

De notis, & Characteribus veræ Christi Ecclesiæ.

ARTICULUS Imus.

De Ecclesiæ notis generatim spectatis,

Quæres Imo: Quid sit Ecclesiæ nota?

Resp: Ecclesiæ nota, est character, sive proprietas quædam Ecclesiæ veræ specialius competens, quâ illa ab Ecclesiis falsis, ac spuriis, quæ nomine Christi gloriantur, secernitur, ac distinguitur. Cum enim extra veræ Ecclesiæ sinum nemo salvari potest, necefsè est, veram Christi Ecclesiam, notis ac characteribus splendidis fulgere, ut facilè pofsit à falsis ac spuriis secerni ac distingvi.

Quæres 2do: Præter veram Christi Ecclesiam, suntne aliæ spuriæ, ac falsæ Ecclesiæ?

Resp: Ab ipsomet Christiani nominis exordio, erant Hæreses, quæ veram Christi Ecclesiam dilacerantes, suas quoqué Sectas, Ecclesias Christi vocitari non erubuerunt, & quæ potius, ut scribit S. Joannes in Apocalipsi, erant Synagogæ Sathanæ, non Christi Ecclesiæ. Sed ultimis temporibus, Sæculo inquam 16to. Lutherus, Calvinus, Zwinglius, ambitioso prætextu reformandi Christi Ecclesiam, ab illa desciverunt, novas Sectas condiderunt, quas etiam Ecclesias Christi efse falso dixerunt. Lutherani Protestantium nomine, Calviniani, ac cæteri. Reforma-

matorum nomine denotantur. Eodem sæculo 16to Henricus 8vus Angliæ Rex, semetipsum Caput Ecclesiæ Anglicanæ constituit, ac deinceps ab Edvardo 6to nova Religionis doctrina invecta fuit, sicqué vetus vera Christi Ecclesia, in iis Regionibus depressa est. Quamobrem ut veram Christi Ecclesiam, à spuriis falsisqué facile quisqué discernere possit, notæ quædam fulgentes, ac illustres sunt omnino necessariæ.

Quæres 3tio: Quæ requiruntur, ut aliquid pro nota veram Ecclesiam denotante, assignetur?

Resp: Ut quidpiam pro nota veram Christi Ecclesiam denotante assignetur, tria sunt necessaria *1mo:* ut sit proprium veræ Christi Ecclesiæ, ipsiqué soli conveniat, si non sigillatim spectatum, at saltem cum cæteris collective consideratis, quæ pro notis veram Christi Ecclesiam designantibus assignari consveverunt, alias certo in cognitionem veræ Christi Ecclesiæ deducere non posset. *2do:* Ut sit notius, ac magis perspicuum ipsa Ecclesia quam significat, hæc enim est communis cuiuslibet signi conditio, ut sit notius re, quam significat. *3tio:* ut sit sensibile, omnibus obvium & cognitu facile non solum domesticis fidei, sed & extraneis, ut omnes ad Ecclesiam fidemqué perveniant.

Quæres 4to: Quot, & quæ assignantur notæ veram Christi Ecclesiam demonstrantes?

Resp: Acatholici, seu Protestantes, ac Reformati duas tantummodo proponere solent notas, quibus vera Christi Ecclesia facile dignosci, & à quibuslibet spuriis, ac falsis Ecclesiis discerni possit, scilicet puram Evangelii prædicationem, seu veritatem doctrinæ Christianæ, & legitimum Sacramentorum usum. Catholici verò omnes communi consensu quatuor statuunt veræ Christi Ecclesiæ notas, quas etiam Symbolum Concilii Constantinopolitani assignat, scilicet unitatem, Sanctitatem, Catholicitatem, & Apostolicitatem.

Quæres 5to. Veritas doctrinæ Christianæ, & legitimus Sacramentorum usus possuntné statui pro notis veram Christi Ecclesiam designantibus?

Resp: Quàmvis veritas doctrinæ Christianæ, & legitimus Sacramentorum usus in vera Christi Ecclesia omnino reperiri debeant, & sinè his ipsa esse ac consistere nequeat, hæc tamen pro notis assignari nequeunt, ut per ea vera Christi Ecclesia, à spuriis & falsis secernatur, atqué distingvatur. Enimverò veritatem doctrinæ Chri-

Christianæ, atqué legitimum Sacramentorum usum omnes Sectæ, Hæresesqué sibi, licèt falsò appropriarunt, atqué nunc etiam appropriant, & nisi constitutum fuerit, quæ sit vera Christi Ecclesia, deest medium, quô discerni posſit, quæ sit vera Christi doctrina, quis sit legitimus Sacramentorum usus, deest Judex qui hoc ultimatè, & infallibilitèr definiat. Et quidem *1mo:* omnes Sectæ, atqué hæreses, & veram Christi Doctrinam, & legitimum Sacramentorum usum se habere gloriabantur, atqué propterea se veram Christi Ecclesiam constituere affirmabant. Sic antiquitus Novatiani, Donatistæ prout testantur S. Cyprianus, & S. Augustinus & nunc etiam Calvinistæ, Lutherani, Sociniani, & aliiquàm plurimi. *2do:* Nisi constitutum fuerit, quæ sit vera Christi Ecclesia, nullum adest medium, quo certò determinari posſit, quæ sit vera Christi doctrina, quis legitimus Sacramentorum usus, deest Judex qui ultimatè, & infallibilitèr hæc dijudicare posſit. Quod enim erit istiusmodi medium? quis Judex? An Sacra Scriptura? An Spiritus privatus? Sed minimè.. Omnes Sectæ, omnesqué hæreses se Sacram Scripturam habere et illam optimè se intelligere arbitrantur, omnes se Spiritu Sancto præditas eſse affirmant, unusquisqué suô Spiritu privatô gloriatur. Nisi ergo prius constet quæ sit vera Christi Ecclesia, nequé de veritate doctrinæ Christianæ, nequé de legitimo Sacramentorum usu ullatenus constare potest. Nequeunt ergo ista pro notis statui, ut illis vera Christi Ecclesia à spuriis, & falsis secernatur. Et certè solius Ecclesiæ est determinare, ac dijudicare quæ vera sit Christi doctrina, quis legitimus Sacramentorum usus, quia illa est, ut docet Apostolus Paulus columna, & firmamentum veritatis, unde in Epist: ad Ephesios cap: 4to, sic loquitur. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus Ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Pastores itaqué ac Doctores Ecclesiæ determinare debent, quæ sit vera Christi doctrina, qui errores, quis legitimus Sacramentorum usus, qui profanus, ac ſacrilegus. Priùs ergo agnoscenda est vera Christi Ecclesia, priùs ipsa inveniri debet, ut ab illa discamus, & veram Christi doctrinam, & legitimum Sacramentorum usum habeamus. Tandem notæ veræ Christi Ecclesiæ de-

debent eſse quodammodo sensibiles, omnibus obviæ, & cognitu faciles. Porrò non ita est facile secernere quæ sit vera Christi doctrina, quis legitimus Sacramentorum usus, id obvium omnibus dici nequit, ad hoc siquidem ampla, & profunda omnino neceſsaria est scientia atqué eruditio divinarum rerum, examen ac diligentiſsima indagatio, cujus maior hominum pars capax non est. Quare nequé veritas doctrinæ Christianæ, nequé legitimus Sacramentorum usus poſsunt eſse notæ ad discernendam veram Christi Ecclesiam, à spuriis & falsis aptæ, ac idoneæ.

Quæres 6to: Quæ sunt igitur veræ Christi Ecclesiæ notæ.

Resp: Veræ Christi Ecclesiæ notæ, quibus illa facilé et certó á spurijs et falsis secerni. ac distingui possit, quatuor sunt, scilicet unitas, sanctitas, Catholicitas, et Apostolicitas.

ARTICULUS 2dus

De veræ Ecclesiæ notis, unitate, scilicet, et sanctitate.

Quæres 1mo. In quo consistat hæc unitas, quæ pro nota veræ Christi Ecclesiæ assignatur.

Resp: Unitas, quæ pro nota veræ Christi Ecclesiæ meritó assignatur, in tribus vel maximè consistit. *1mo*: in professione ejusdem fidei, omnia scilicet dogmata ab Ecclesia definita et ad credendum proposita, profitendo, atqué omnes errores, hæresesqué ab Ecclesia damnatas execrando *2do*: in participatione eorumdem Sacramentorum, iisdem omnibus á Christo institutis utendó Sacramentis, quæ Ecclesia tradit, et docet. *3tio:* in subiectione legitimis Pastoribus, maximè uni Ecclesiæ capiti, Romano Pantifici, qui centrum est unitatis totius Ecclesiæ:

Quæres 2do: Prædicta unitas estne proprius veræ Christi Ecclesiæ character, ac nota ipsius.

Resp: Prædicta unitas est proprius veræ Christi Ecclesiæ character ipsiusque nota. Hoc ex ipsa Ecclesiæ institutione manifestissimum est. Namque Christus Ecclesiam suam supra unam ædificavit petram, unum ovile constituit, cujus unus est Pastor. Quare assimilatá est Sagenæ ex omni genere piscium congreganti, Areæ in qua paleæ et grana in unum colliguntur, atque ipse Sal-

Salvator diram mortem subire voluit *ut Filios Dej, qui erant dispersi, congregaret in unum* ût ipse inquit Christus Joan Cap 11mo: nempe ad eandem Ecclesiam vocando omnes, quotquot ex Judæis, vel ex Gentilibus in ipsum erant credituri, neve bellis intestinis, atque dissidiis scinderetur, rogavit Patrem pro discipulis suis, ut sint unum ita, sicut ipse cum Patre unum est, Joan Cap. 17mo: Unde Apostolus Paulus in Epist: ad Ephes. Cap. 4to: graphice Ecclesiæ unitatem sic describit. *Unum corpus, et unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum Baptisma*: quare fideles ibidem hortatur servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis, sicut vocati in una spe vocationis. Hanc unitatem antiquissimi Sancti Patres et omnino veræ Christi Ecclesiæ necessariam esse docuerunt, et ipsi semper competere, atque adhærere affirmârunt. S. Jgnatius Martyr in Epistola ad Ephesios, ut in unitate immaculati permanerent, ipsos hortatur. S. Jræneus libro 1mo: adversùs Hæreses Cap. 10. dicit Ecclesiam per totum orbem diffusam ob fidei unitatem ita constitutam esse, ac si una Domus foret. Tertullianus libro de præscript: asserit dispersas ubique Ecclesias, unam efformare. Clemens Alexandrinus libro 7mo: Stromatum, Ecclesiam Christi unam nuncupat, quam conantur hæreses in multas discindere. Tandem S. Cyprianus, qui et integrum de unitate conscripsit librum sic inquit: *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur*: *quomodo Solis multi radij, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum*: et S. Optatus Milevitanus libro 1mo: sic loquitur. *Christus sponsus est unius Ecclesiæ, sicut in Canticis Canticorum ipse testatur, qui cum unam laudat, cæteras damnat.* Ex his ergo clarissimè apparet, unitatem esse veræ Christi Ecclesiæ proprium characterem, ipsiusque notam specialissimam.

Dices Nota veræ Christi Ecclesiæ debet esse illi propria, sensibilis, et ipsa notior. Porro hæc unitati, quam Ecclesiæ tribuimus non competunt, nequit ergo ipsius esse nota.

Resp: Unitas, quam pro nota veræ Christi Ecclesiæ statuimus, est ipsi propria, sensibilis, atque illa notior. Et quidem 1mo. est ipsi propria, Nulli siquidem Hæresi unitas convenire potest. Omnes namque mox ac exortæ sunt, in varias statim sectas divisæ sunt, unaquæque suum auctorem, ac institutorem habuit, dogmata sua, seu

poti-

potiùs errores continùo præformabant, doctrinam immutabant, quod et de modernis Hæresibus Reformatorum ac Protestantium verum est dicere, quemadmodum vel unus liber Variationum à celeberrimo Bossveto conscriptus, nos edocet. Jam veró vera Christi Ecclesia eodem semper institutore gloriabatur, Jesu Christo, eadem semper profitetur dogmata, eandem fidei, et morum tenebat doctrinam, ijsdem semper fideles perfruebantur Sacramentis, suis Pastoribus subiecti quorum non interrupta ab Apostolis usque perdurat successio. Unitas ergo soli veræ Christi competit Ecclesiæ 2do: est sensibilis. Eandem siquidem in vera Christi Ecclesia fidei et morum permanere doctrinam in ipsis Symbolis quæ in manibus, atque in ore omnium sunt, quisque etiam rudis legere potest; quæ fideles Sacramenta frequentant, occulis conspicitur, quibus Pastoribus subsunt, evidentissimé apparet. Est itaque prædicta unitas sensibilis. 3tio: tandem est ipsa Ecclesia longè notior, et scitu facilior. Cum enim unaquæque Hæresis, ac Secta quælibet dicat se veram esse Christi Ecclesiam, veram habere dostrinam, atque legitimun Sacramentorum usum, hæc non ita est facile dignoscere, ac diiudicare, quia non ita obvia, ac plana omnibus esse possunt, atquæ Ecclesia constanter unam eandemqué profiteatur fidei morumque doctrinam, jisdem semper utatur Sacramentis, ac quibus et qualibus subiaceat Pastoribus, notum apertumquè est omnibus. Quare unitas recté et meritó statuitur pro charactere, ac propria veræ Christi Ecclesiæ nota.

Quæres 3tio: Unitas quæ propriùs est veræ Christi Ecclesiæ character, ac ipsius nota, excluditne omnes omnino errores, ac hæreses ab Ecclesia damnatas?

Resp: Unitas, quæ propriùs est veræ Christi Ecclesiæ charac er, et nota, omnes prorsus excludit errores, hæresesqué ab Ecclesia damnatas. *Probat*: Ad Ephesios Cap: 4to: dicit Apostolus: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*. Porro nisi omnes errores, hæresesqué ab Ecclesia damnati, excludantur, atque rejiciantur, eadem ab omnibus fidei dogmata ab Ecclesia definita admittantur, non erit una omnium fides. Facta siquidem, ut volunt Protestantes ac Reformati, distinctione articulorum fidei in fundamentales, et non fundamentales, alius hæc dogmata, alius alia profitebitur, quod uni erit articulus fidei, alteri idem erit error, hæresisqué. Cûmqué hucusqué Protestantes, ac Reformati necdum inter se convenerint, qui sint articuli fidei

dei fundamentales, fieri facilé potest, ut in nullo fidei puncto fideles omnes secùm conveniant, nullum fidei subsistet Symbolum, nulla Religionis Christianæ confessio. Deficiet igitur unitàs fidei, atq: unusquisque sibi fidem, secundûm suum videre, ac velle constituet. Aut ergo nulla fides, aut una eademqué sit necesse est. Una autem atque eadem esse nequit nisi et eadem confiteamur dogmaque sata, et omnes jis adversantes condemnemus errores. Sané vel omnia confitenda sunt dogmata ab Ecclesia definita, erroresqué ab ipsa damnati respuendi sunt, vel nulla confitenda dogmata, omnes admitti debent hæreses erroresqué quicunque. Nulla siquidem esse, aut cogitari potest ratio, cur hæc dogmata credantur, illa respuantur, hi errores, hæresesqué admittantur, illæ damnentur. Par siquidem in omnibus, Dei, et Ecclesiæ intervenit auctoritas, quæ unicum est motivum dogmata credendi, errores respuendi. Porro dici nequit, atque hactenùs nemo dixit, licitum esse omnia pro libitu suo; hæc vel illa respuere fidei dogmata, errores, hæresesqué ab Ecclesia damnatas, admittere, vel rejicere, alias tota, atque integra rueret fides. Ergo restat, ad fidei, Ecclesiæqué unitatem conservandam, ut omnia prorsus dogmata ab Ecclesia definita, confiteamur, omnesqué contrarios errores, hærésesqué oppositas condemnemus.

Etverò nihil frequentiûs apud antiquos Sanctos Patres, quam in vera Christi Ecclesia vigere unitatem, ab eaque omnes excludi hæreses erroresqué damnatos. S. Jgnatius Martyr. Epist: ad Philadelph sic ait. *Si quis aliena sententia ambulat, hic non est Christi neque passionis particeps*: Clemens Alexand: libro 7mo: Stromatum, inquit. *Jn unius naturæ sortem coaptatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere, eaqué, quæ antiqua est, et Catholica, una est propter unitatem fidei*: et Origenes libro 1mo. in Job. hæc habet. *Ad dimicandum adversûs Ecclesiam cornua innumera omnes sectæ, atque hæreses faciunt, per quas universas adversus Ecclesiæ unitatem incessanter dimicant.* Jtaque omnes antiqui Sancti Patres, omnes semper Hæreses ab Ecclesia excluserunt, Hæreticorum Sectas Antichristi Synagogas esse dixerunt.

Et certè dixit Christus Math: cap: 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Christi ergo oraculo extra Ecclesiam fieri debent, ab illa rescindi, tamquam Ethnici & publicani reputandi sunt, qui

qui Ecclesiam non audiunt, ei pertinaciter resistunt, ac refragantur: tales porro ſunt omnes Hæretici, eos igitur sinu ſuo complecti, ac fovere Ecclesia nequit.

Quæres 4to: Ad unitatem veræ Christi Ecclesiæ conservandam, est né neceſsaria ſubiectio legitimis Pastoribus?

Resp: Omnino neceſsaria est, atque hac ſubjectione vera Christi Ecclesia, à ſpuriis & falsis dignoscitur, ac secernitur. Enimverò Christus cum unam ſuam in terris fundâſset Ecclesiam, statim, ut inquit Apostolus Paulus ad Ephesios cap: 4to dedit Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem corporis ſui, ut eorum ministerio unitas ſanctæ doctrinæ ab ipso traditæ perpetuô conservaretur, & non simus tamquam parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Unde ſuis discipulis mandavit ut sibi attenderent à falsis Prophetis, fures & latrones caverent, signa quoque posuit quibus boni, ac legitimi Pastores dignosci, & à Mercenariis etiam discerni debeant. Quare semper in Ecclesia à Christo constituti erant Pastores, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Ecclesiam Dei, ut inquit Paulus Apostolus, quorum munus & officium erat, ut ait Apostolus Petrus, pascere commiſsum sibi gregem, illorum à temporibus Apostolorum ſuccesſio maximi ſemper erat apud omnes, quare series ipſorum quam diligentiſsimè describebatur, & in ſcriniis Ecclesiarum conservabatur, atque ſola non interrupta, ab Apostolis incipiente legitimorum Pastorum ſucceſsione nonnulli Patres, veluti Irenæus, Tertullianus, veritatem Christi Ecclesiæ, contra Hæreticos evincebant, & S. Cyprianus Epist: 69. non aliter Ecclesiam definivit, quam, quod sit *plebs ſacerdoti adunata, & pastori ſuo grex adhærens*, atque in libro de unitate Ecclesiæ docet Christum non alio fine unum Petrum inter Apostolos elegiſse, nisi ad conservandam in Ecclesia ſua unitatem: *Ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate disposuit.* Cum itaque in Ecclesia Christi ad ipsius unitatem perpetuo conservandam Pastores instituti fuerint, eorum non interrupta ab Apostolis usque proveniens ſucceſsio, teſsera, atque nota veræ Christi Ecclesiæ fuerit, ſubjectio igitur legitimis Pastoribus, ad conservandam Ecclesiæ unitatem omnino neceſsaria est, & hac ſubjectione, veluti proprio charactere, ipsa ab Hæreticorum ſectis dignoscitur, atque ſecernitur.

Quæ-

Quæres 5to: Quod est unitatis Ecclesiasticæ centrum?

Resp: Centrum unitatis Ecclesiasticæ est Romana Ecclesia cui omnes adhærere, atque illi conjungi debent. Et id unanimi consensu docent Sancti Patres. S. Cyprianus Epist: 45. ait *Romanam Ecclesiam radicem eſse, ac matricem Ecclesiæ Catholicæ* & Epist: 55. dicit illam eſse *principalem Cathedram, unde unitas ſacerdotalis exorta est.* S. Irenæus libro 3tio adversùs hæreses, cap: 3tio sic inquit de Ecclesia Romana: *Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem neceſse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui ſunt undiquè fideles.* Et Optatus Milevitanus libro 2do contra Parmen: de ſede Romana hæc habet: *In qua una Cathedra unitas de omnibus ſervatur, ut jam Schismaticus, & peccator eſset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.* Cum itaque Ecclesia Romana radix sit ac mater Ecclesiæ, à qua unitas Sacerdotalis exoritur, & ad quam neceſse est omnem Ecclesiam convenire, atque qui contra hanc Cathedram alteram erigere & extollere præsumpserit, jam Schismaticus, & peccator est: Romana ergo Ecclesia in qua ut docet S. Augustinus ſemper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, unitatis Ecclesiasticæ centrum est, eique omnes adhærere, atque illi conjungi debent. Quare S. Hieronymus Epist: 14ta profanum illum reputat qui Cathedræ Romanæ conjunctus non est.

Quæres 6to: Unitas, quæ pro nota, atque proprio veræ Christi Ecclesiæ charactere statuitur, cui reipsa competit Ecclesiæ?

Resp: Soli Ecclesiæ Catholico-Romanæ ipsa competit. Enim verò unitas quæ est veræ Christi Ecclesiæ character in tribus consistit, nempe in identitate doctrinæ fidei, & morum, in participatione eorundem Sacramentorum, ac tandem in ſubjectione legitimis Pastoribus, ab Apostolis continua ſucceſsione deſcendentibus, maxime autem Romanis Pontificibus qui Petri veri sunt ſucceſsores. Porro hæc omnia ſoli tantummodo Ecclesiæ Catholico-Romanæ competunt. Et quidem *1mo* identitas doctrinæ fidei, & morum. Namque à temporibus Apostolorum usque huc, Ecclesia Catholico-Romana ſemper eamdem fidei & morum profitebatur doctrinam, quod manifestiſsimè apparet ex Symbolis, Catechesibus, fidei profeſsionibus. Eadem constanter confitebatur dogmata, contrarios errores, mox ac exorti ſunt ſemper damnavit, hæreses anathematisavit, Hæreticos è sinu ſuo ejecit, quod con-

constat ex Conciliis celebratis, Sanctorum Patrum operibus, atque ex tota Ecclesiastica historia. Unde meritò dixit S. Irenæus libro 3tio adversus Hæreses cap: 24. *Ecclesiæ prædicationem esse constantem, ubique & æqualiter perseverantem, & testimonium habentem à Prophetis; & Apostolis.*

2do: Eorundem Sacramentorum participatio. Et id manifestissimum est, è libris Ritualibus, antiquissimis Sacramentariis, in quibus eadem Sacramenta, quæ modò in Ecclesia Catholico-Romana fideles participant, describuntur, ritus, cæremoniæ in illorum administratione usitari solitæ recensentur.

3tio: Subjectio legitimis Pastoribus, ab Apostolis descendentibus, maximè Romano Pontifici, quod plùs quàm evidens est, totiqué orbi Christiano notissimum. Quare & nunc verum est, quod olim dixerat S. Irenæus libro 3tio adversùs Hæreses cap: 4to. *Habemus eos, qui ab Apostolis instituti sunt in Ecclesiis Episcopi, & successores eorum, usque ad nos,* scilicet ut docet Tertullianus, de Præscriptionibus: *Apostoli Ecclesias apud unamquamqué Civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & seminæ doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum.* Soli ergo Ecclesiæ Catholico-Romanæ illa competit unitas, quâ vera Christi Ecclesia veluti proprio charactere ab aliis spuriis, ac falsis discernitur

Objicies 1mo: Ecclesia Catholico-Romana non omni tempore eadem docuit, ac confitebatur, cum novos identidem condiderit fidei articulos. *2do:* variis quoque discinditur doctrinis, varia. & inter se diversa hodiedum docent Theologi, atque in diversas abeunt sententias.

Resp: ad 1mum. Doctrina Ecclesiæ Romano-Catholicæ in dogmatibus quæ fidem, & mores concernunt, semper eadem est, neque novos unquam fidei articulos Ecclesia condidit, sed tantùm dogmata, semper credita, & ab Hæreticis recenter impugnari cæpta, ex Scriptura, & Traditione stabilivit, confirmavit, & speciatim credenda proposuit. Sic Divinitas Filij Dei, aut Spiritûs Sancti, semper credita fuit, sed quia hanc Arius, & Macedonius impugnare cæpit, errores spargebant, ad hos conterendos, hæresesqué extingvendas Ecclesia speciatim ad credendum istiusmodi proposuit dogmata. Sed & quandoquè Ecclesia antiqua dogmata, obscuriùs cognita, propter exortas hæreses explicatius proposuit, & ad credendum fidelibus

bus

bus tradidit, veluti de una in Christo Divina Persona contra errorem Nestorii, de duplici distincta & inconfusa natura contra Eutychetem, de bina voluntate contra Monothelitas. Non nova ergo ab Ecclesia constituta ſunt dogmata, ſed contra novas Hæreses antiqua dogmata, explicatiûs & ſpeciatim ad credendum proposita ſunt. Præclarè id declaravit Vincentius Lirinensis in Commonit: cap: 32. dum ait. *Ecclesia quid unquam aliud Conciliorum decretis enixa est, nisi ut quod ante simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentiûs crederetur, quod antea lentiûs prædicabatur, hoc idem postea instantiûs prædicaretur, quod antea ſecuriûs colebatur, hoc idem postea ſollicitiûs excoleretur.*

Ad 2dum: Circa dogmata fidei & morum, ſummus est omnium Catholicorum consensus, nulla ſententiarum varietas, jam verò circa res indifferentes, quæ ad dogmata non pertinent, varietas opinionum non tollit unitatem doctrinæ, atque has varias in partes agitari permittit Ecclesia, quia fieri id potest illæsa fide. Unde S. Augustinus libro 2do de peccato origin: cap: 23. sic inquit. *In quibus ſalvâ fide, qua Christiani ſumus, aut ignoratur quid verum sit, aut aliter quam est, humana, & infirma ſuspicione conjicitur.*

Quæres 7mo: Hæc unitas, quæ est proprius veræ Christi Ecclesiæ character, potest ne aliquomodo competere Ecclesiis Protestantium, aut Reformatorum?

Resp: Nullo modo potest ipsis convenire. Et quidem *1mo*: Quod attinet unitatem doctrinæ, sive apud Protestantes, sive apud Reformatos, neque uniformis, neque constans unquam fuit. Lutherus, & Calvinus primi prædictarum Sectarum auctores, sibi ipsis in multis contradicebant, atque adversabantur, brevi illorum ſectæ, in varias, ac sibi contrarias factiones divisæ ſunt. Sed & ipsa Lutheri, ac Calvini doctrina, ita immutata est, ut ipsi harum ſectarum Magistri, ac Doctores candidè fatentur illam vix extare, aut inveniri poſse. At qualis sit doctrina Protestantium, ac Reformatorum, maximè elucet ex publicis illorum fidei Confeſsionibus, Catechesibus, atque libris Symbolicis, qui ſummam continent eorum doctrinæ. Porro publicæ fidei Confeſsiones toties apud ipsos immutatæ, correctæ, multa in illis addita, detracta, emendata. De illorum genuino ſenſu innumeræ quæstiones, controversiæ indecisæ, hucusqué indefinitæ. Catecheses, libriqué ſymbolici, varii, diversi, sibiqué contrarii,

rii, ab ipsis etiam ſectariis in multis articulis impugnati, & graviter notati: atque adeo inconstans, ac variabilis est doctrina Protestantium, atque Reformatorum, ut in qualibet natione, in quibus eorum ſectæ vigent, prorsus alia sit atque diversa fidei doctrina, & id manifestiſsimè apparet ex publicis fidei Confeſsionibus, Symbolis, atque Catechesibus quæ omnia pro diversitate Regionum ac Nationum, diversa, atque inter ſe contraria ſunt. Tandem non ſolùm apud Protestantes, & Reformatos, non est una, eademqué fidei doctrina, ſed neque eſse potest. Namque hæc una, eademqué fidei doctrina complectere debet articulos fidei ſaltem fundamentales, porro hucusque apud ipsos non est constitutum, quinam sint articuli fidei fundamentales, & qui minimè fundamentales. Quare quod alii tamquam dogma fidei fundamentale profitentur, alii ut indifferens sive credatur, sive non credatur, illud respuunt, ac rejiciunt, unde unus ex Protestantibus scripsit: *Quid ad ſalutem consequendam neceſsariò credendum sit, quisve error à ſalute excludat, is ſolus decernere potest, qui est ſalutis, & exitij Dominus.* Quare apud Protestantes, ac Reformatos, non ſolùm non est, ſed neque eſse potest doctrinæ unitas.

2do: Legitimus quoque Sacramentorum uſus Protestantium, atque Reformatorum Sectis non competit. Namque ex tota antiquitate constat apertiſsimè à temporibus Apostolorum fideles ſeptem frequentâſse Sacramenta, utpote à Christo in Ecclesia constituta, ſemperqué in Ecclesia fuiſse certos, determinatosqué atque ſpeciali consecratione destinatos, ut loquitur Paulus Apostolus 1ma ad Corinth: cap: 4to. *Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Porro apud Protestantes, atque Reformatos, neque ſeptem ſunt Sacramenta. neque ſpeciali consecratione determinati Ministri, illa perficiant, fidelibusqué administrent. Non est igitur apud Protestantes atque Reformatos legitimus Sacramentorum uſus.

3tio: Tandem non est apud Protestantes ac Reformatos ſubjectio legitimis Pastoribus, quia ſese à legitimis Pastoribus, qui in Catholico-Romana reperiuntur Ecclesia ſeparârunt, ipsi legitimos Pastores non habentes, Mercenarios, imo fures, & latrones sibi adsciverunt, à communione & ſubjectione Romani Pontificis perpetuò alieni, quem etiam stolidiſsima malitia Antichristum dicere non erubescunt. Legitimi certè Pastores, continuam ab ipsis Apostolis descendentem habere debent ſucceſsionem, ſuper

his namque ut docet Apostolus Paulus fundata est Ecclesiâ, hos Christus misit, quemadmodum & ipse à Patre Missus fuerat, ipsis præcepit docere & baptisare, cum iis, eorumqué successoribus promittens se permansurum usque ad consummationem sæculi. Porro nunquam Protestantes, ac Reformati ostendere valent Ministrorum, seu Pastorum suorum continuam ab Apostolis successionem, nam ultra Lutherum, ac Calvinum, qui primi harum Sectarum auctores fuerunt ascendere non possunt, non habent ergo legitimos Pastores, non subjacent uni supremo Pastori Romano Pontifici, non sunt ergo ovile Christi, quod unum est, unum supremum habens Pastorem. Meritò itaque provocamus Protestantes, ac Reformatos, quemadmodum sui temporis Hæreticos provocabat Tertullianus libro de Præscriptionibus cap: 32. ut suarum Ecclesiarum, Ministrorum, seu Pastorum ostendant, probentqué originem, *ita ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus* sive Minister, *aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, & antecessorem*, quod cum efficere nullo modo possint, non habent legitimos Pastores, non sunt Ecclesia Christi.

Dices Hæc varietas in doctrina apud Protestantes, et Reformatos, est in privatorum Doctorum diversis opinionibus, quæ unitatem doctrinæ, quam tota profitetur Secta, cætusqué universus, non tollit, quemadmodum diversitas opinionum, quas apud Catholicos propugnant Theologi non officit unitati fidei, quam Ecclesia Catholica profitetur.

Resp: Theologi Catholici in rebus indifferentibus, ad fidem minimé spectantibus, diversas sectantur opiniones, sed in fidei ac morum dogmatibus, concordissimi, ac unanimes sunt. Jam veró Doctores Protestantium ac Reformatorum in punctis eorum doctrinæ capitalibus summé discordes sunt, in statuendis libris Sacris inter se omnino dissident, multi auctoritatem librorum symbolicorum prorsus reiiciunt, et plura in Confessione Augustana recepta damnant. Fieri autem nequit, ut quæ spectatissimi Protestantium ac Reformatorum Doctores, in publicis cathedris, coram magno Auditorum confluxu docent, ac deprædicant, ad plebem usque non perveniant, atque inter rudes etiam non divulgentur: sed præter ipsis privatorum Doctorum opinionibus, ipsæ publicæ totius Sectæ confessiones, Symbolici libri, Catechese,

 quam

quam varii, diversi, sibiqué contrarii apud ipsos sunt, Ex his liquido apparet quam inconstans, variabilis, ac pro temporum, locorum, atque circumstantiarum diversitate, alia, atque alia sit Protestantium ac Reformatorum doctrina, ut planè aliud ipsi credant in Gallia, Helvetia, Anglia, aliud in Germania, Dania, Hungaria, Polonia, ſole igitur clariûs est, non eſse unam, neque constantem apud Protestantes ac Reformatos doctrinam.

Quœres 8vo. Sanctitas, quœ pro nota verœ Christi Ecclesiœ aſsignatur, in quo ipsa consistit?

Resp: Sanctitas, quæ pro nota veræ Christi Ecclesiæ ponitur, in his consistit, quod *1mo* sit à Christo, omnis ſanctitatis fonte, instituta, à Sanctis Apostolis propagata, tot Sanctorum Martyrum ſangvine uncta & roborata, innumerabilium Sanctorum, Sanctarumqué piiſsima vita, heroicis virtutibus decorata, tot Episcoporum, Pastorum, ac Sanctiſsimorum Patrum doctrina, zelo, pietate illustrata, tot miraculorum prodigiis, confirmata. *2do.* Quod habeat Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, Pastores, quos Christus ſemper in Ecclesia statuit ad consummationem Sanctorum, habet Episcopos, quos Spiritus Sanctus ponit, ac constituit regere Ecclesiam Dei, habet varia Spiritûs Sancti charismata, quæ Paulus Apostolus enumerat 1ma Corinth: cap: 12mo, ſcilicet gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetiam, discretionem Spirituum. Habet doctrinam morum puriſsimam & incontaminatam, Sacramenta Sancta, Sacrificium Sanctiſsimum, oblationem mundam, quæ in omni loco offertur Deo in odorem ſvavitatis, cultum Dei ſanctum ac laudabilem, ritus, cæremonias Sanctas. In his consistit Sanctitas veræ Christi Ecclesiæ, atque propter hæc Apostolus Paulus Epist: 1ma ad Corinth: cap: 2do Ecclesiam Corinthi à ſe fundatam, vocat Ecclesiam Dei, & fideles illius, ſanctificatos in Christo, & ſanctos. S. Petrus Apostolus Epist: 1ma cap: 9no omnes fideles appellat gentem ſanctam, Joannes quoqué in Apocalipsi cap: 21. Ecclesiam Christi, Civitatem ſanctam nuncupavit.

Quœres 9no. Istiusmodi Sanctitas cui Ecclesiœ competit?

Resp: Istiusmodi recensita Sanctitas ſoli Ecclesiæ Romano-Catholicæ competit. Ecclesiis ſpuriis sive Protestantium, sive Reformatorum competere nullatenus potest. *Probatur* hoc inductione. Namqué Ecclesia Romano-Catholica fundata est à Christo, ab Apostolis propagata,

gata. Ecclesiæ ſpuriæ fundatæ à Luthero, Calvino, ab eorum præcipuis Sectatoribus, Beza, Melanctone propagatæ. Ecclesia Romano-Catholica habet Martyres, innumerabiles Sanctos, qui miraculis floruerunt, quorum Deus ſanctitatem maximis prodigiis conteſtatus est. Ecclesiæ Protestantium, ac Reformatorum, nec unum talem è medio ſui oſtendere valent. Non habent illæ doctiſsimos, æquæ ac ſapientiſsimos Patres, non Episcopos, non legitimos Pastores, plurima Sacramenta rejecerunt, Sacrificium abrogârunt, ritus, cæremonias ſuſtulerunt, non miracula habent, non prodigia, non Spiritûs Sancti charismata, non denique puram morum doctrinam, neceſsitatem bonorum operum negant, conſilia Evangelica ſpernunt, jejunia, carnis macerationes in Evangelio collaudatas ſuſtulerunt. Igitur ſpuriæ Protestantium, ac Reformatorum Ecclesiæ non gaudent nota Sanctitatis, non ſunt itaqué veræ Christi Ecclesiæ. Sanctitas, quæ veræ Christi Ecclesiæ nota est, ac propriùs character ſoli Ecclesiæ Romano Catholicæ compètit. Sola ipsa vera est Christi Ecclesia.

Dices In Ecclesia Catholica multi ſunt mali, & peccatores. In Ecclesiis quoqué Protestantium ac Reformatorum pleriqué inveniuntur viri honesti, & probi.

Resp. Reipsa in Ecclesia Catholica reperiuntur mali, & peccatores, ſed hi ideo ſunt mali, & peccatores, quia Ecclesiæ moralem doctrinam non ſequuntur, legibus ipsius non obſequuntur, & hos ſemper Ecclesia redarguit, corripit, atqué corrigere, & emendare ſatagit. Quodsi omnes ſanctam morum Ecclesiæ doctrínâm ſequerentur, ejus ſanctiſsimis obtemperarent præceptis, procul dubio omnes Sancti efficerentur. Sed inter malos, & peccatores, Ecclesia Catholica tot peperit Sanctos, quorum ſanctitas miraculis, & prodigiis cohonestata est, cum Ecclesiæ Protestantium, ac Reformatorum, ne unum quidem è ſuis Sanctum oſtendere valent. Quod ſi aliqui inter illos sint, qui morum honestate, ac probitate appareant, hæc certam, ac indubitatam ſanctitatem illorum non reddunt, cum & inter Gentiles viri quidam probi, ac honesti eſse videbantur. Sed principia moralitatis, quæ Protestantes ac Reformati statuunt, maximè attendi debent, quæ omnem probitatem, honestatem, ſanctitatemqué longè ablegant. Præterquam enim, quod neceſsitatem bonorum operum ad conſequendam ſalutem negent, bonis operibus omne coram Deo meritum denegant, o-

mnia bona opera peccata esse dicunt, libertatem homini adimunt, fatali necessitati eum subjacere docent, ac per hoc omnem moralitatem è medio tollunt, virtutes perimunt, probitatem, sanctitatem suffocant.

ARTICULUS 3tius.

De cœteris veræ Christi Ecclesiæ notis.

Quœres 1mo: Quœ sint prœtereà veræ Christi Ecclesiæ notæ?

Resp: Duæ adhuc assignantur veræ Christi Ecclesiæ notæ, ac characteres ipsi proprii videlicet: Catholicitas & Apostolicitas. Nimirum vera Christi Ecclesia. 1mo: est & esse debet Catholica, seu universalis, per universum scilicet Mundum propagata, ac diffusa, in unitate ejusdem veræ fidei, & doctrinæ perpetuo perseverans. Unde S. Cyrillus Hierosol: Catech: 18va, quid sit esse Catholicum, ita exponit: *Catholica vocatur Ecclesia, quia per universum sit Orbem terrarum diffusa, à finibus terræ usquè ad extrema, & quia docet Catholicè, hoc est universaliter, & sine ullo defectu vel differentia omnia dogmata.* 2do: est, & esse debet Apostolica, quia à Christo fundata, per Sanctos Apostolos propagata, hucusquè conservatur, doctrinam ab ipsis traditam illibatam retinet, ac deniquè regitur, & gubernatur à Pastoribus, qui ab Apostolis originem, successionemquè non interruptam habent. Quare S. Paulus Epist: ad Ephes: cap: 2do omnes fideles dicit esse super ædificatos super fundamenta Apostolorum. *Non estis hospites, & advenæ, sed estis Cives Sanctorum, & domestici Dei, super ædificati, super fundamentum Apostolorum*: & Tertullianus de præscript: cap: 20. sic inquit: *Omne genus ad originem suam referatur necesse est, itaquè tot, ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.*

Quœres 2do: Utrùm Ecclesia Christi reipsa debuerat esse universalis, per totum orbem diffusa?

Resp: Vera Christi Ecclesia debet esse universalis, ac per totum orbem diffusa. Sic enim prædixerunt adhuc in Veteri Testamento Prophetæ, Jsaias cap: 2do inquit. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi,* & cap: 42. de Messia prædicit, quia ipse gentibus legem daturus

turus eſset. *Judicium gentibus proferet, legem ejus insulæ expectabunt.* Psalmista quoque regius de Christo prænuntiavit, quod ei omnes gentes in hæreditatem dandæ erant, & poſseſsio ipsius usqué ad fines terræ extendenda foret, quia ipse dominabitur à mari usqué ad mare, & à flumine usqué ad terminos orbis terræ, tandem quia ad ipsum convertentur universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ipsius universæ familiæ gentium. Undé Christus Apostolos suos in universum misit mundum, illi qué præcepit, ut omnes Gentes docerent, ac baptisarent. Atqué mox Christi Ecclesiam per orbem universum propagatam fuiſse, certum ac indubitatum est. S. Petrus in Epist: 1ma cap: 1mo: plures Asiæ minoris numerat populos, quibus Christum prædicaverat, S. Paulus á Jerusalem usqué ad Jllyricum, felici cum eventu Jesum annuntiavit, gratiasqué Deo agit scribens ad Romanoś cap: 1mo: quod illorum fides in universo orbe jam tunc nota eſset. S. Thomam Apostolum usqé ad Indos perveniſse, ibiqué Evangelium Jesu Christi prædicâſse, constans traditio nos edocet, qua de causa Paulus scripsit ad Roman. cap: 10. iam adimpletum fuiſse, quod David prædixerat, dicens: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quare manifestum est, Catholicitatem, seu universalitatem eſse veræ Christi Ecclesiæ notam, propriumqué ipsius characterem. Et certè, illud est propria veræ Ecclesiæ Christi nota, quo tamquam indubitato signo, semper secernebantur fideles ab Hæreticis, vera Christi Ecclesia à Synogis eorum distingvebatur. Porró per Catholicitatem semper ab Hæreticis fideles ſecernebantur, vera Christi Ecclesia à Synagogis eorum distingvebatur. Ita docet S. Augustinus libro de vera Religione cap: 7mo. S. Pacianus Epist: 1ma. Athanasius & alii. Quare S. Cyrillus Hierosol: Catech: 18va sic inquit. *Si veneris in Civitates, non tantum quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia. Hoc enim proprium nomen est Sanctæ huius, & Matris omnium nostrum, quæ est Sponsa Domini Nostri Jesu Christi.* Vera igitur Christi Ecclesia & Catholica, sive universalis omnino eſse debet, & hoc est ipsius character proprius, ac nota distinctiva.

Quæres 3tio: Catholicitas, sive universalitas cui Ecclesiæ convenit?

Resp: Soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ convenit; Ecclesiis Protestantium ac Reformatorum competere nequit. Enimverò Ecclesia Romano-Catholica á Christo supre-

pra Petram fundata est, adversùs eam portæ inferi prævalere non possunt, deficere ergo non potuit, hucusqué durat, ac persistit. Apostoli eam propagârunt, eorum doctrinam ipsa inviolabiliter conservat, ac retinet, in omnes orbis partes late ipsa diffunditur, et in Oriente apud Indas, Persas, Sinenses, Siamenses, in Ocidente apud utriusqué Americæ incolas, & in tota Europa, in cujus maiori parte florentissima existit, quamquam in quibusdam aliis partibus persecutionem patiatur. In meridie habuit olim illustrissimas Sedes, & licet nunc à Barbaris occupentur hæ Regiones, in iis tamen numerosissimos habet fideles. Ecclesia ergo Romano-Catholica universalis est.

Et verò Ecclesia, quam Sancti Patres dicunt esse Catholicam, ac veram Christi Ecclesiam, per totum orbem diffusam, est Ecclesia Romano-Catholica, Romano Pontifici communione strictissimè juncta, ipsi tamquam Supremo Pastori subiecta, ut legere est apud Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Optatum Milevitanum, Augustinum. Hæc porrò eadem nunc est Ecclesia Romano-Catholica, quæ tunc fuit, non defecit, non periit. Sedes Romana persistit, omnes totius Orbis Ecclesiæ communione, & subiectione illi conjunguntur. Est ergo Catholica, ac universalis.

Ecclesiæ verò Protestantium, ac Reformatorum, Catholicæ & universales non sunt. Nec enim semper fuerunt, ante Lutherum, & Calvinum non extiterunt: nequé ubiqué reperiuntur, præter Occidentem, alias Orbis partes, nonnisi leviter infecerunt, vix in Oriente cognoscuntur Lutherani, & Calvinistæ, & ubi cognoscuntur, tristem Hæreticorum notam sustinent.

Dices: Universalitas Ecclesiæ Romano-Catholicæ convenire nequit, non est illa in Anglia, Scotia, Provinciis fæderatis, Dania, Svecia, majori parte Germaniæ, vix occurrit apud Græcos, Armenos, Ægyptios, Abissinos.

Resp: In his omnibus enumeratis Regionibus innumeri sunt Catholici, qui fidem Romano-Catholicam profitentur. Præterêa ut Ecclesia Romano-Catholica verè universalis esse censeatur, sufficit ut in præcipuis mundi partibus, quantumlibet dissitis cultores habeat, & ut quavis Secta seorsim sumpta, longe numerosior, & diffusior sit. Quæ duo verissima sunt. Certê nulla est, nec cogitari potest proportio inter Lutheranismum, aut Calvinismum,

&

& inter Ecclesiam Romano-Catholicam, quæ quantum deperdit per hæreses, tantum lucratur per infidelium conversionem.

Quæres 4to: Apostolicitas estné propria veræ Christi Ecclesiæ nota?

Resp: Vera Christi Ecclesia est Apostolica, & Apostolicitas est proprius illius character, ac nota illius distinctiva. Enimverò Ecclesia Christi constructa est, ut inquit Apostolus Paulus super fundamentum Apostolorum, ipse dedit Apostolos ad consummationem Sanctorum, in opus Ministeri, illis præcepit docere omnes Gentes ac Baptisare, atqué sic Apostoli à Christo missi, ubiqué Evangelium prædicârunt, Ecclesias constituerunt, miraculis confirmârunt, ut inquit Marcus Evangelista cap: 16to. *Illi profecti prædicaverunt ubiqué Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Apostolos quoqué sui Successores reliquisse, quibus officium ac munus sibi à Christo commissum demandârunt indubitatum est. Ita docet Clemens Romanus, Tertullianus, & alii, ac re-ipsa Episcopos, Apostolorum Successores esse, universa docet traditio, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Vera ergo Christi Ecclesia Apostolica est, quia supra Apostolorum fundamentum, quorum primus Petrus, velut firmissima totius ædificii Spiritualis Petra, à Christo constructa est, ab Apostolis propagata, per Orbem diffusa, à Successoribus eorum perpetuò regitur, ac gubernatur. Undé Sancti Patres maximè Irenæus, Tertullianus, & alii communi sensu, eam tantummodo Ecclesiam pro vera Christi Ecclesia agnoverunt, quæ & originem ab Apostolis duceret, & ab Apostolorum Successoribus regeretur, atqué sui temporis Hæreticos ex hoc solo capite falsitatis convincunt, quod nequé originem suarum Ecclesiarum ab Apostolis descendentem ostendere poterant, nequé Apostolicos haberent Successores. Undé S. Optatus Milevitanus libro 2do contra Parmen: sic eos alloquebatur: *Vos, vestræ Cathedræ originem reddite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vindicare.* Propriùs itaqué veræ Christi Ecclesiæ character, ac nota distinctiva est, quod sit Apostolica.

Quæres 5to: Apostolicitas cui competit Ecclesiæ?

Resp: Apostolicitas soli Ecclesiæ Romano-Catholicæ competit, Ecclesiis Protestantium, aut Reformatorum convenire nequit. Enimverò Ecclesia à Christo constituta, serie non interrupta permanet, atque usqué ad consuma-

tio-

tionem sæculi perdurare ipsa debet, quoniam ejus institutor Christus Jesus, se cum ea, usqué ad consummationem Sæculorum permansurum spopondit. Porrò Ecclesia à Christo instituta, ab Apostolis propagata, ab illorum Succefsoribus gubernata, in sola Ecclesia Romano-Catholica hucusqué persistit. Antiquæ omnes hæreses, quæ sibi arrogantifsimè nomen Christi Ecclesiarum attribuebant, perierunt, licet florentifsimæ fuerunt, extinctæ sunt. Novarum Sectarum hæreses Lutheri, Calvini, recentes sunt, sæculo 16to cæperunt, ultra Lutherum, ac Calvinum suos Pastores ostendere nequeunt, nequé ab Apostolis originem suam descendentem ostendere valent, nequé Apostolicos Succefsores habent, imo Hæreses Apostolorum tempore exortas ac condemnatas renovant, ac multi eorum publicis in scriptis resuscitant. Cum è contra Ecclesia Romano-Catholica, doctrinæ Apostolicæ tenacifsima, omnes contrarias Hæreses damnaverit. Episcopi, à quibus ipsa gubernatur, Apostolorum veri Succefsores sunt, Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe fundata, ad nostram usqué ætatem, ordine continuò suos perpetuò habuit Episcopos, quorum communione universæ orbis Ecclesiæ gaudebant. Soli ergo Ecclesiæ Romano-Catholicæ Apostolicitas competit, sola verè Apostolica est, Ecclesiæ Protestantium, ac Reformatorum, non sunt Apostolicæ, sed Sectæ Lutheri, Calvini, quemadmodum ab ipso illarum exordio, ita & nunc vocitantur.

Quæres 6to: Quæ ergo vera est Christi Ecclesia?

Resp: Sola Ecclesia Romano-Catholica est vera Christi Ecclesia. Protestantium, ac Reformatorum Ecclesiæ spuriæ sunt, ac mendaces. *Probatur:* Vera Christi Ecclesia est una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Porró talis est sola Ecclesia Romano-Catholica, non veró Ecclesiæ Protestantium ac Reformatorum. Ergo ipsæ spuriæ ac mendaces sunt, sola Ecclesia Romano-Catholica vera est Christi Ecclesia. Et hanc solam veram efse Christi Ecclesiam agnoverunt omnes Sancti Patres quotquot à temporibus Apostolorum floruerunt, omnia, omnium Nationum Concilia generalia, ac particularia, in ea omnes Martyres sanguinem suum pro Christo effuderunt, omnes Sancti vitæ puritate, doctrinæ sublimitate, miraculorum gloria floruerunt. Sola ergo ipsa vera Christi est Ecclesia. Unde præclare S. Augustinus Libro contra Epistolam fundamenti cap: 4to: de Ecclesia Catholica sic inquit: *Multa sunt, quæ in ejus gremio, me justifsime teneant. Tenet*

Con-

Confeſsio populorum, atqué gentium, tenet auctoritas miraculorum, inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata, tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli usqué ad præsentem Episcopatum succeſsio Sacerdotum, tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, ista Ecclesia sola obtinuit.

Quæres 7mo: Utrùm extra veram Christi Ecclesiam, Romano-Catholicam ſalus æterna obtineri poſsit?

Resp: Extra veram Christi Ecclesiam, Romano-Catholicam, ſalus æterna obtineri nequit. Enimverò mittens Christus Apostolos ſuos in mundum univerſum, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ Marci cap: 16to dixit: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ad ſalutem ergo æternam consequendam oportet doctrinam Apostolicam profiteri, qui non credunt ea, quæ Apostoli prædicaverunt, & docuerunt, condemnabuntur. Porro doctrina Apostolorum in ſola vera Christi Ecclesia Romano-Catholica reperitur, extra illam errores, & hæreses ſunt. Ergo extra veram Christi Ecclesiam, Romano-Catholicam ſalus æterna obtineri nequit. Et id unanimiter docent antiqui Patres. Cyprianus libro de Unit: Ecclesiæ sic inquit. *Quisquis ab Ecclesia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſsis Ecclesiæ ſeparatur, nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi. Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Idem repetit S. Augustinus libro 4to de Symbolo ad Catechumenos cap: 13. Quare S. Cyprianus Ecclesiam Christi comparat arcæ Noe, docetqué ut quemadmodum quicunque extra Arcam Noe fuerunt aquas diluvii evadere non potuerunt, ita quoque ii, qui extra veram Christi Ecclesiam ſunt positi, naufragium ſalutis evadere nequeunt, nec illud effugere valent. Unde rursus S. Augustinus, Sermone ad Cæsariensis Ecclesiæ plebem sic ait. *Salutem non potest habere homo nisi in Ecclesia Catholica. Extra Ecclesiam Catholicam totum potest, præter ſalutem,* et in Concilio Carthaginensi 4to Canone 1mo inter illa de quibus ante Ordinationem interrogandus est Episcopus, hoc postremum ponitur, utrùm credat, *quod extra Ecclesiam nullus ſalvetur.*

Dices Durum est, quod tot Hæretici, Schismatici, qui ſunt extra Ecclesiam Romano-Catholicam in æternum pereant.

Resp: Et hoc durum eſse videtur, quod tot Genti-
les

les, Mahumetani, qui Deum verum ignorant, Christum non agnoscunt, baptisati non ſunt in æternum pereant, & tamen veriſsimum est, quia Christus æterna veritas dixit: Joan: cap: 3tio. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Ita quoque licet durum sit Hæreticos, & Schismaticos qui extra Christi Ecclesiam Romano-Catholicam ſunt, perire, veriſsimum tamen est, quia idem Christus dixit Mathei cap: 1mo: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.*

Quæres 8vo: Nonné ad ſalutem ſufficit, in Christum credere, in eo ſperare, & quamcunque tandem Christianam ſequi religionem, quamcumque tenere Ecclesiam?

Resp: Id ad ſalutem non ſufficit, ſed omnino neceſsarium est, & institutam à Christo ſequi religionem, & fundatam ab ipso tenere Ecclesiam. Enimverò, una est vera à Christo instituta Ecclesia, una vera ab ipso tradita doctrina. Neque enim ullo modo dici potest, tam diversas ſectas, quæ Christiano nomine censentur, ſeque doctrinam Christi profiteri gloriantur, à Christo institutas eſse, cum enim in ſubstantialibus etiam Religionis punctis, in principalibus doctrinæ Capitibus sibi omnino adversentur, & contradicant, ſequeretur Christum contradictoria docuiſse, sibi contraria, atque opposita instituiſse, quod sinè blasphemia cogitari nequit. Hinc evidentiſsimè ſequitur præter unam veram Christi Ecclesiam, quæ alia non est quam Romano Catholica, cæteras ſectas non eſse veras Christi Ecclesias, ſed spurias, non habere veram Christi doctrinam, ſed ementitam, & deceptricem. Porro & veram Christi Ecclesiam tenere, & veram Christi doctrinam profiteri ad ſalutem omnino neceſſarium est. Unde Joannes Apostolus Epistola 2da, ſcripsit. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non offert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Et Paulus Apostolus ad Galatas scribens cap: 1mo sic inquit. *Licet nos, aut Angelus de cælo Evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizavimus vobis anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Igitur sinè maximo ſalutis æternæ dispendio non est liberum quamcumque Christianam ſequi ſectam, ei adhærere, illius doctrinam profiteri. Sed una vera Christi tenenda est Ecclesia, vera ab ipso tradita confitenda doctrina. Et

Et verò adhuc Apostolorum tempore, multæ, & variæ exortæ ſunt ſectæ Simonianorum, Nicolaitarum, Ebionitarum, Carpocratianorum, Gnosticorum, & deinceps longè plures, Marcionistarum, Manichæorum, Donatistarum, Montanistarum, aliorumque. Porro relicta vera Christi Catholica Ecclesia, istiusmodi adhærere ſectis, crimen immane, ac maximum piaculum ſemper reputabatur. Unde ab Apostolis istiusmodi ſectarum Auctores, & Sequaces Antichristi, & Seductores, Filij Diaboli, inimici Crucis Christi vocitabantur, corrupti mente, circa fidem reprobi dicebantur, illos fugere, devitare fidelibus præcipiebant, quia ſubversi ſunt, proprio judicio condemnati. Sic Paulus instruit Titum cap: 3tio. *Hæreticum hominem post unam, & ſecundam correptionem devita. Sciens quia ſubversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Viri quoque Apostolici, antiqui Sancti Patres cætus Hæreticorum Synagogas Sathanæ, prostitutas Meretrices appellabant, ſuis ſcriptis eos exagitabant, Concilia ſemper eos damnabant, veri fideles universi eos execrabantur. Quodsi Apostolorum ævo, ac posterioribus Sæculis relicta vera Christi Catholica Ecclesia, alicui Hæreticorum Sectæ, Ebionitarum, Marcionistarum, Arianorum, Macedoniorum adhærere, illorum errores profiteri, crimen immane, ac maximum ſemper piaculum reputabatur, nunc quoque liberum, ac permiſsum eſse nequit, cui placitum fuerit ſectæ ſese adjungere sive Calvinistarum, sive Lutheranorum, sive Socinianorum, sive Anabaptistarum, maximè cum modernæ Hæreticorum ſectæ, præter recentes, quos excogitârunt errores, antiquas jam pridem damnatas Hæreses quam plurimas renovarunt, atque ab inferis revocârunt. Nulla quoque afferri potest ratio cur antiquis Hæreticorum ſectis adhærere nefas fuerit, modernis ſe adjungere liberum sit, cum & antiquæ Hæreticorum Sectæ, quemadmodum & præsentes, veram Christi Ecclesiam defeciſse fabulabantur, Christi nomine ipsæ gloriabantur, ſuam Sectam veram Christi eſse Ecclesiam comminiscebantur, ſe veram Christi doctrinam profiteri arbitrabantur. Attamen mentita est iniquitas sibi, perierunt, & extinctæ ſunt. Sinè maximo itaque piaculo, atque sinè evidenti periculo amittendæ æternæ ſalutis fieri nequit, ut cuicunque quisque Christianorum adhæreat Sectæ, ſed quicunque vult ſalvus eſse, veram Christi Ecclesiam, quæ Romano-Catholica est, ſequi omnino debet.

CA-

CAPUT TERTIUM

De Capite & Membris veræ Christi Ecclesiæ.

ARTICULUS 1mus

De Capite veræ Christi Ecclesiæ.

Quæres 1mo. Quod est Caput Ecclesiæ Christi?

Resp: Cum Ecclesia Christi corpus sit, habeatqué membra ſua, Caput quoqué, à quo totum corpus, omniaqué ipsius membra, & vivificentur, & regantur, habere debet. Porro duplex Caput Ecclesiæ aſsignatur, aliud ſupremum, & invisibile, aliud ſecundarium, ministeriale ac visibile.

Quæres 2do. Quod est caput Ecclesiæ ſupremum & invisibile?

Resp: Christus est Caput Ecclesiæ ſupremum, & invisibile. Sic enim inquit Paulus Apostolus Epist: ad Ephesios cap: 1mo. *Omnia ſubiecit ſub pedibus ejus, & ipsum dedit caput ſuper omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus.* & ad Coloſs: cap: 1mo. de Christo ait: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et quemadmodum vitis in palmites influit, ita Christus influit in omnia membra Corporis ſui mystici, quæ ſunt fideles in eum credentes, per ſubministrationem interioris gratiæ. Unde fideles omnes admonet Paulus Apostolus Epist: ad Ephesios cap: 4to dicens: *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus. Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubministrationis, ſecundùm operationem, in mensuram unius cujusque membri, argumentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.*

Quæres 3tio. Quod est ergo viſibile Caput Eccleſiæ Christi?

Resp: Visibile in terris Caput Christi Ecclesiæ, est Romanus Pontifex. Enimverò Christus Ecclesiæ ſuæ fundamentum Petrum constituit, oves & agnos pascere, fratres suos confirmare illi commisit, unde Concilia, & Sancti Patres universi eum Principem Apostolorum, primum ac maximum inter omnes, Ecclesiæ Pastorem, ac Caput appellant. Cùmqué prærogativæ Petri, quæ ipsi ratione Primatûs, quem in tota Christi Ecclesia obtinebat, conveni-

veniebant, ad ipsius Succeſsores Romanos ſcilicet Pontifices transierint, atqué ideo ipsi Primatum honoris, & jurisdictionis in universa Christi Ecclesia obtineant, rectè Romanus Pontifex caput Ecclesiæ dicitur, & est reipsa. Quare S. Athanasius in Epistola ad Felicem Papam sic inquit: *Romanos Præsules in ſummitatis arce à Deo constitutos fuiſse, atqué ut Ecclesiarum omnium curam haberent, juſsiſse.* Et Concilium Aquileiense Sæculo 4to celebratum, Romanam Ecclesiam vocat, *totius orbis Romani caput*, ac tandem in Concilio Florentino unanimi Græcorum, ac Latinorum Patrum concordi consensu definitum est, Romanum Pontificem eſse *verùm Christi Vicarium, totiusqué Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere.*

Quæres 4to. Utrum regimen Ecclesiæ penes ſolum sit Romanum Pontificem?

Resp: In regimine Ecclesiæ, Romanus Pontifex primus sit, primasqué habet partes, non tamen penes ipsum ſolum totum est Ecclesiæ regimen. Et quidem *1mo* Romanum Pontificem in regimine totius Ecclesiæ primum eſse, primasqué habere partes, certum, ac indubitatum est. Romano siquidem Pontifici tamquam Petri Succeſsori in universa Ecclesia competit Primatus honoris & jurisdictionis, ex quo omnino consequens est, illum in regimine Ecclesiæ honore, & potestate alios anteire, primasqué partes tenere. Unde Sancti Patres, Athanasius, Augustinus docent, Romanos Pontifices in ſummitatis arce in excelsiore fastigio positos eſse, & S. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos sic inquit: *Ecclesiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur Schismata, quot Sacerdotes.* Quemadmodum ergo Romanus Pontifex cæteris omnibus in Ecclesia dignitate, potestatequé præeminet, ita etiam in regimine Ecclesiæ primus inter omnes est, primasqué tenet partes.

2do. Non tamen ad ipsum ſolum totum pertinet regimen. Enimvero electionem S. Mathiæ Apostoli in locum Judæ proditoris, Petrus quidem primus indixit, ſed non ipse ſolus eam perfecit. Apostoli omnes duodecim, electionem septem Diaconorum, universæ fidelium multitudini proposuerunt, electis manus imposuerunt, super commiſsum ipsis opus, illos constituerunt. Cùm audiſsent Apostoli, quod Samaria recepiſset verbum Dei, miserant

ad

ad eos Petrum, & Joannem ut acciperent Spiritum Sanctum. Deniqué exorta de observandis Legalibus quæstione, non ſolus Petrus rem definivit, ſed *convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.* Primus quidem ſententiam tulit Petrus, ſed & Jacobus, & communi omnium ſuffragio decisio facta est. *Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* Statuta quoqué hujusce Concilij, ac præcepta Fidelibus data, non unius Petri, ſed omnium Apostolorum nomine inscribuntur. *Apostoli, et Seniores fratres, his, qui ſunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ fratribus ex Gentibus, ſalutem.* Sic omnia communi Apostolorum consilio, non unius Petri imperio fiunt. Quod vero ipse Petrus non habuit, illud ad ſuos Succeſsores Romanos Pontifices transmittere non potuit. Unde egregiè ad Eugenium Papam S. Bernardus libro 2do de consideratione sic inquit: *Nec ille* hoc est Petrus, *tibi dare potuit, quod non habuit, hoc dedit, ſollicitudinem ſupra Ecclesias, non dominationem.*

Et verô Romanorum Pontificum auctoritas Canonibus Ecclesiasticis est circumscripta, quod ipsi Romani Pontifices in genere confeſsi ſunt. Sic Julius 1mus Epist: ad Orientales inquit: *Id vero ad Synodi & Episcoporum, qui in Synodo Nicæna fuerunt, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio et cura, veluti Deo præsente egiſsent, à nobis ut vana, futiliaqué abrogarentur. Nos omnia ſecundùm Canonem facimus.* Zozimus in Epist: ad Episcopos Provinciæ Vienensis, & Narbon: sic ait: *Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel mutare, ne hujus quidem Sedis potest authoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxerê reverentiam.* Cælestinus 1mus Epist: ad Episcopos Illyrici, hæc habet: *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur, simus ſubjecti Canonibus, cum Canonum præcepta ſervamus.* Et hic fuit ſensus, hæc opinio omnium Romanorum Pontificum, qui per octo priora Sæcula floruerunt. Quare etiam in ſolemni jurejurando, quod in die ſuæ inaugurationis emittunt Romani Pontifices, ipsi obstringunt ſe ad religiosam Conciliorum, & Canonum observantiam, dum ait consecrandus Pontifex: *Profiteor, ſacros Canones, et ſacrorum Pontificum constituta custodire.* Quamquam ergo in Ecclesiæ regimine, primas ſemper partes habeat Romanus Pontifex, non tamen ad ipsum ſolum totum pertinet regimen.

Quæ-

Quæres 5to. Præter Romanum Pontificem ad quos insuper pertinet Ecclesiæ regimen?

Resp: Præter Romanum Pontificem regimen Ecclesiæ, etiam ad Episcopos pertinet. Namqué Episcopos à Spiritu Sancto positos eſse ad regendam Ecclesiam disertis verbis docet Paulus Apostolus Actorum cap: 20. ubi sic inquit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*, & Epist: 1ma ad Timoth: cap: 3tio dicit, Episcopi munus eſse Ecclesiæ Dei diligentem curam habere atqué ideo eum multis instruit, ut ſciat quomodo eum oporteat conversari in Ecclesia Dei, utpote illius Rector, ac Gubernator. S. Petrus etiam Episcopos admonet, Epist: 1ma cap: 5to. *Pascite, qui in vobis est, gregem Domini, non coacte, ſed ſpontanee ſecundùm Deum. Neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Munus ergo Episcoporum, atqué officium est pascere gregem Domini, præeſse in clero, quæ regiminis partes ſunt maximæ. Quare & Paulus Titum à ſe constitutum Episcopum exhortatur, ut Cretæ ab ipso relictus, ea, quæ desunt, corrigat, & per Civitates constituat Presbyteros. Unde S. Augustinus ſcribens ad Bonifacium Papam sic inquit: *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio, quamvis ipse in ea præemineas celsiore fastigio, ſpecula pastoralis.* Et certe ex tota antiquitate manifestiſsimum est, Episcopos in Conciliis controversias fidei definiviſse, ſubortas causas decidiſse, leges, canones, pro tota Ecclesia statuiſse, atqué in omnibus fidem ſpectantibus, graviora disciplinæ capita concernentibus, ſensus, judiciumqué Episcoporum requirebatur, hinc exortis hæresibus, controversiis enascentibus, Concilia Episcoporum congregabantur, omnia examinabantur, atqué decidebantur. Quæ omnia evincunt penes Episcopos etiam eſse regimen Ecclesiæ.

Quæres 6to: Quale ergo est Ecclesiæ regimen?

Resp: Ecclesiæ regimen non est purè Monarchicum, ſed Aristocratia temperatum. Et quidem *1mo*: non est purè Monarchicum. Tale siquidem regimen à Christo fuit reprobatum. Namque Mathæi cap: 20. occasione filiorum Zebedæi, quorum unus à dextris Christi in regno ejus, alter à sinistris ipsius ſedere percupiebat, sic Apostolos ſuos allocutus est Salvator. *Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, ſed quicunque*

voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Nec usquam regimen purè Monarchicum ab Apostolis, aut deinceps in Ecclesia Christi usurpatum fuit. Quare ipse Apostolorum Princeps, S. Petrus, sic Seniores Ecclesiæ, Episcopos videlicet, Epist: 1ma. cap: 5to admonet, & exhortatur. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Quæ verba non ad solos particulares Episcopos, sed & ad ipsum etiam Romanum Pontificem pertinere censuit S. Bernardus libro 2do de Consider: cap: 6to: sic Eugenium Papam alloquens. *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ii ergo tu, & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab utroque prohiberis.* Cum itaque neque Romano Pontifici, qui caput totius Ecclesiæ est, pura, & absoluta Monarchia competere queat, regimen Ecclesiæ pure Monarchicum esse nequit.

2do: Est ergo Aristocratia temperatum. Enimverò regimen Ecclesiæ est etiam penes Episcopos, sed quia ii Superiorem agnoscant, Romanum videlicet Pontificem, cui supra ipsos etiam ex Divina institutione, competit jurisdictio, proindequé unus est in Ecclesia primus, & summus, neque ergo regimen Ecclesiæ est purè Monarchicum, quia non est penes unum Romanum Pontificem, non est quoquè purè Aristocraticum, quia non est penes solos Episcopos, sed est Monarchicò Aristocraticum.

ARTICULUS 2dus.

De Membris Ecclesiæ Christi.

Quæres 1mo: Quid nomine Membrorum Ecclesiæ intelligi debeat?

Resp: Generatim membra Ecclesiæ ii intelliguntur, ex quibus Ecclesia constituitur, & coalescit. Cum vero Ecclesia sit cætus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum participatione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè Romani Pontificis persistens, inde facilè inferri potest, illos esse Christi Ecclesiæ membra, qui & eandem Christianam profitentur fidem, eadem participant Sacramen-

ta,

ta, ac legitimis Pastoribus, maximè Romano subsunt Pontifici. Ii ergo soli sunt in Ecclesia, ipsi aggregati, ac coniuncti, illi soli Ecclesiam, tamquam membra corpus constituunt. Ex his quoqué liquido constat, quinam extra Ecclesiam sint, neque pro illius membris reputari posint. Verum singulariter contravertitur de minimè prædestinatis, de peccatoribus, Hæreticis, Schismaticis, utrum ipsi sint in Ecclesia, an extra Ecclesiam constituantur.

Quæres 2do: An soli prædestinati sint Ecclesiæ membra?

Resp: Wiclefistæ, Lutherani, & alii moderni Hæretici docuerunt solos prædestinatos esse in Ecclesia, & ex ipsis tantummodo illam coalescere. Verùm in hoc turpiter errârunt, nequé enim soli prædestinati sunt Ecclesiæ membra, nequé ex solis prædestinatis coalescit Ecclesia. Enim verò Ecclesia in Sacris Scripturis comparatur Agro dominico Math: cap: 13tio in quo cum tritico, tribuli, sterilesqué avenæ nascuntur. Sagenæ misæ in mare & ex omni genere piscium tum bonorum, tum malorum congreganti. Decem Virginibus, Math: cap: 26to quarum quinque fatuæ, quinque prudentes erant. Convivio Math: cap: 22do in quo inventus est unus non habens vestem nuptialem. His videlicet Symbolis Christus Ecclesiam suam adumbrare voluit. Porrò ipso Christo interpretante, triticum, pisces boni, Virgines prudentes, electos significant, iam verò tribuli, pisces mali, Virgines fatuæ, homo vestem non habens nuptialem reprobos designant, unde jubetur ut Zizania in fasciculos ad comburendum colligatur, mali pisces foras mittuntur, coram fatuis Virginibus januæ clauduntur, & illis dicitur *Nescio vos*, non habens vestem nuptialem mittitur in tenebras exteriores. Non ergo ex solis prædestinatis electisqué conflatur Christi Ecclesia sed etiam reprobos illa comprehendit, unde toties dixit Christus: *Multi sunt vocati, pauci electi.* Et non solos prædestinatos esse membra Ecclesiæ, communis atquè constans fuit doctrina Sanctorum Patrum, Cypriani, Gregorii Nanzianzeni, Chrysostomi, Hieronymi, & aliorum.

Et verò Ecclesia Christi visibilis est. Sed quis sit prædestinatus, cum à nemine mortalium sciri posit, non ex solis igitur prædestinatis constat Ecclesia, alias & ipsa foret invisibilis, nequé ab ullo mortalium cognosci poset, quod implicat, & absurdum est. Certè multi prædestinati nunc sunt extra Ecclesiam positi, qui Dei auxiliante

gratiâ aut ex infidelitate vocabuntur, aut ex hæresi convertentur, undé Christus dixerat Joan: cap: 10. *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Et revera Paulus dum persequebatur Ecclesiam, non erat in illa, & tamen erat prædestinatus, ut ipsemet ait, ex ventre Matris suæ segregatus. Multi quoqué reprobi sunt actu in Ecclesia, quemadmodum Judas proditor, qui & Apostolatûs officium à Christo sibi collatum gefsit. Quare S. Augustinus Tract: 45. in Joannem sic inquit *Secundum præscientiam Dei, & prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intùs.* Non ergo soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ, nequé ex ipsis solis illa coalescit.

Dices: Ecclesia comparatur horto concluso, fonti signato, puteo aquarum viventium, quæ omnia propter electos, de Ecclesia dicta fuifse docet S. Augustinus. Præterea Ecclesia est Ovile, & istius Ovilis oves sunt soli prædestinati. Tandem Arca Noe fuit figura Ecclesiæ Christi. In Arca veró Noe non erant nisi illi qui ex aquis diluvii salvari debuerunt. Soli ergo prædestinati sunt in Ecclesia, reprobi veró quamvis videantur efse in Ecclesia, reipsa tamen in illa non sunt, undé de ipsis S. Joannes Apostolus Epist: 1ma cap: 2do sic inquit: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuifsent ex nobis, permansifsent utique nobiscum.*

Resp: Ecclesiam Christi considerari pofse vel quantum ad præsentem statum dum adhuc in terris militat, vel quantum ad statum futurum, qui finis ejus, & terminus est, dum jam in Cælis triumphat. Si secundum primum statum consideretur, potest Ecclesia militans vocari hortus conclusus, fons signatus, quia alienos, extraneos à fide, non baptisatos excludit, puteus aquarum viventium, omnibus, qui in ea sunt per Sacramentorum participationem aquas gratiarum abundè propinando, sed quemadmodum in horto etiam occluso vepres simul admixti reperiuntur cum floribus, spinæ cum rosis, ita quoqué in Ecclesia militante, Sancti & electi cum reprobis continentur, de eodem puteo & boni, & mali hauriunt aquas, & salvificæ aquæ non omnibus ad sanitatem conducunt, ex se optima medicina, non omnibus semper prodest ægrotis. Si veró Ecclesia consideretur secundùm statum futurum, dum in Cælis triumphat, & revera in ipsa soli electi continentur, & S. Augustinus dum in Ecclesia solos electos collocat, non de Ecclesia militante, sed de triumphante loquitur.

illa.

illamqué dicit nullam habere rugam, neqüé maculam, sic enim inquit Libro Retract: cap: 18vo. *Ubicunque commemorari Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quæ præparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa.*

Ecclesia Christi est Ovile, sed per Oves Christi non semper soli tantummodo intelligüntur electi, ac prædestinati, sed generatim omnes in Christum credentes, undé Salvator dixerat Petro: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos*: & quemadmodum in Ovili aliæ sunt oves sanæ, & sinè macula, aliæ ægrotæ, & maculosæ, sic in Ecclesia Christi sunt Sancti, electi, prædestinati, sed & peccatores, ac reprobi, unde & Ezechielis cap: 34. ubi oves Dei describuntur, aliæ sanæ, aliæ ægrotæ nominantur.

Arca Noe fuit quidem figura Ecclesiæ Christi quo ad aliqua, sed non quo ad omnia. In duobus autem maximè Arca Noe fuit figura Ecclesiæ Christi *1mo.* In eo, quod sicut extra Arcam nemo potuit salvus esse ab aquis diluvii, ita extra Ecclesiam nulli patet ad salutem aditus, atqué in hoc potissimum stare comparationem Arcæ cum Ecclesia docent Sancti Cyprianus, Hieronymus, Augustinus. *2do:* In eo quod sicut in Arca includebantur cujuscumqué generis animalia munda, & immunda, ita in Ecclesia continentur boni, & mali, prædestinati & reprobi. In aliis verò urgenda non est comparatio Arcæ cum Ecclesia, alias sequeretur omnes malos, immundos, peccatores, salvandos esse, quia immunda animalia pariter ac munda in Arca salvata sunt, & cum S. Petrus Epist: 1ma cap. 3tio Baptismum comparaverit Arcæ, sequeretur omnem Baptisatum esse prædestinatum, atquê salvum fieri, quas consecutiones nemo admittet: comparatio ergo Arcæ Noe cum Ecclesia Christi non in omnibus urgenda est.

Jam verò S. Joannes Apostolus, illos qui à fide recesserunt, ac propterêa ex Ecclesia exierunt, non dicit non fuisse è numero fidelium, non fuisse in Ecclesia, membraqué ipsius, quia de ipsis dicit, *prodierunt ex nobis*, fuerant ergo è corpore Ecclesiæ, à quo per suos errores recesserunt, sed tantummodo affirmat ipsos non fuisse è numero electorum, ac prædestinatorum, si enim ex illo numero fuissent procul dubio in Ecclesia permansissent.

Quæres 3tio Utrum ex solis justis, ac perfectis constet Ecclesia?

Resp: Non ex solis justis, ac perfectis constat Ec-

clesia Christi, sed etiam admixtos habet peccatores. Et id constat apertissimè ex variis figuris, ac parabolis quibus Christus Ecclesiæ suæ statum delineare voluit, scilicet Zizania & triticum, pisces boni & mali, Virgines prudentes, & fatuæ, demonstrant bonos, & malos in Ecclesia reperiri. Quemadmodum ergo non ex solis electis, ita nequé ex solis perfectis ipsa coalescit. Et certè Math: cap: 18. jubet Christus ad Ecclesiam peccatores deferri, qui privata correptione emendari nolunt, & si eam non audierint, ab ejus sinu removendos, ab Ecclesia autem excludi non potest, nisi qui in ea est. Paulus contentiones quæ in Ecclesiam Corinthiorum irrepserant graviter reprehendit, & coarguit, in Apocalypsi etiam Ecclesiarum Asiæ corripiuntur vitia, imo Sardensi Episcopo dicitur. *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es* cap: 3tio. Atqué perpetua hæc fuit Sanctorum Patrum doctrina, Ecclesiam Christi ex bonis, malisqué conflatam esse, horum instar sit Sanctus Augustinus, qui rem hanc plenè tractavit. Sic ille libro 3tio contra Petilianum cap: 12mo: *Homo sum de Ecclesia Christi, palea si malus, granum si bonus.*

Quæres 4to Hæretici suntné in Ecclesia?

Resp: Hæretici publici, qui ab Ecclesiæ communione palam ac manifestè recesserunt non sunt in Ecclesia, nequé membra ipsius censeri possunt E contrà ipsi adhuc Apostoli omnem fidelibus cum Hæreticis communicationem interdixerunt. *Si quis venit ad vos*, inquit S. Joannes Epist: 2da: *& hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis*, & Paulus Apostolus ipsum etiam Titum admonet ut Hæreticos fugiat, scribens ei cap: 3tio: *Hæreticum hominem, post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*, quia scilicet, ut idem docet Apostolus Epist: ad Timoth: 2da cap: 2do: *Sermo eorum ut cancer serpit, qui à veritate exciderunt, & subverterunt quorundam fidem.* Cum itaqué Hæretici secundùm Apostolorum mandatum omnibus modis vitandi, ac fugiendi sint, non solum in communi à fidelibus, sed & ab ipsis Pastoribus qualis erat Titus, consequens est illos omnino extra Ecclesiam esse, nequé ipsius membra reputari posse. Et hæc fuit vetustissimorum Patrum mens, atqué doctrina. S. Ignatius Martyr Epist: ad Smyrnæos aiebat de

Hæ-

Hæreticis, *oportet ab iis recedere, nec seorsim cum ipsis, nequé communiter loqui.* Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone inquit eos, etsi nomen Jesu Christi præsefe-rant, nequé Christianos eſse, nequé cum iis communican-dum. Tertullianos Libro de præscript: eos ùt corpus ab Ecclesia destinctum, segregatumqué agnoscit. Clemens Alexandrinus libro 7mo Stromatum, multas suo tempore Hæreticorum Sectas fuiſse ingemiscit, quas omnes affir-mat, à vera, antiqua, Catholica Ecclesia avulsas. Tandem Ecclesiæ Catholicæ in Synodis congregatæ perpetua con-svetudo fuit, in pertinaces Hæreticos fulmen anathematis vibrare, eosqué à sua communione separare.

Quæres 5to Ii, qui abiecta interiùs fide, in exter-na manent Ecclesiæ societate, suntne veræ Ecclesiæ mem-bra?

Resp: Qui abiecta interiùs fide, in externa tamen Ecclesiæ societate permanent, nec ab ea divelluntur, illi ad Ecclesiam pertinent, suntqué membra illius licètsi pu-trida, & emortua. Ii siquidem ita se habent quemadmo-dum peccatores. Porro peccatores etiam scelestiſsimi, sunt in Ecclesia, atqué illius membra. Ergo pari modó & illi, qui fidem interiùs abiecerunt erroribus ac infide-litate contaminati, in externa saltem Ecclesiæ societate permanent, ipsius membra eſse censentur, ad eamqué pertinere dignoscuntur.

Quæres 6to. Utrum Schismatici sint in Ecclesia?

Resp: Schismatici qui ab Ecclesiæ communione se-parati, aut etiam propter errores ab illius unitate seiun-cti sunt, non sunt in Ecclesia, sed extra illam. Eccle-sia namqué est unum ovile, unum corpus Christi. Sed hanc unitatem scindunt Schismatici, sunt ergo extra Ovi-le Christi, à corpore ipsius separati, non sunt Ecclesiæ membra, nequé cum ipsa coniuncti, sed ab ea absciſsi. Hinc S. Clemens Romanus Epist: 1ma ad Corinth: iis, qui seditionis fundamenta ponebant, scribit. *Discite aliis subiici, melius enim est in ovili Christi parvos, & in bona æstimatione reperiri, quam sibi videri aliis eminentiores, & extra ejus camellos foras eiici:* & S. Irenæus libro 4to cap: 33 ait. *Nulla ab eis tanta fieri potest correctio, quanta est Schismatis pernicies, judicabit autem Deus omnes eos, qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam.* S. Chrysostomus manui à corpore abscis-sæ Schismaticos comparat. Plura egregiè habent, Sancti Optatus, Basilius, Augustinus. Et vero juxta S. Cypri-

anum

anum Ecclesia est Plebs Sacerdoti adiuncta, grex Pastori suo adhærens, cum itaqué Schismatici ab obedientia, communione qué legitimorum Pastorum se subtrahant, palam fit, illos extra Ecclesiam eſse.

Quæres 7mo: Excommunicati suntné in Ecclesia?

Resp: Excommunicati non sunt in Ecclesia, sed ab ea præcisi. Enim vero Ecclesia veram habet à Christo sibi datam potestatem, rebelies cogere, eos à cætu suo excludere, hinc Christus Math: cap: 18. *Si Ecclesiam non audiérit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Porrò Ethnici, & Publicani non sunt de Ecclesia. Ergo nequé præcisi, sive Excommunicati, certê quemadmodum ii, qui ab Imperii civili societate expulsi sunt, ad eam non ampliùs pertinere existimantur, ita qui ab Ecclesiæ cætu excluduntur, eiusdem membra reputari nequeunt. Unde S. Augustinus libro de unitate Ecclesiæ cap: ultimo ait. *Excommunicari eſse visibiliter præcidi à corpore Ecclesiæ:* & libro de Corrept: & gratia cap: 15. inquit: *per Excommunicationem separari ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia.*

CAPUT QUARTUM

De potioribus Ecclesiæ Christi proprietatibus, ac privilegiis.

Quæres Quæ ſunt potiores Ecclesiæ Christi proprietates, atque privilegia?

Resp: Potiores Ecclesiæ proprietates atque privilegia ipsi a Christo conceſsa ſunt tria, ſcilicet visibilitas, indefectibilitas, atque in ſuis decisionibus infallibilitas.

ARTICULUS 1mus.

De visibilitate, & indefectibilitate Christi Ecclesiæ.

Quæres 1mo: Ecclesia Christi estné visibilis & omnibus conspicua?

Resp: Ecclesia Christi est visibilis, atque omnium oculis ſemper fuit conspicua. Et id prædixerunt Prophetæ. Isaias cap: 2do Ecclesiam Christi montis nomine prædicit

dicit, qui in vertice montium collocatus ab omnibus conspici poſsit, ad quam proinde omnes gentes confluere debebant. *Erit in noviſsimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Et Danielis cap: 2do: Lapis qui percuſsit statuam, dicitur *factus mons magnus*, & implevi*ſ*se universam terram. Tandem Pſalmo 28. Ecclesia Christi comparatur Soli qui omnibus conspicuus est: *In ſole posuit tabernaculum ſuum.* Quæ omnia de Christo & ipsius Ecclesia dicta, atquè prænuntiata fuiſse docent Sancti Hieronymus, & Augustinus. Unde Christus Ecclesiam ſuam velut grande ædificium ſuper petram fundaverat, quemadmodùm igitur ædificium ſupra petram extructum visibile est, ita quoque Ecclesia Christi omnibus conspicua est.

Et verò omnia quæ Christi Ecclesiam constituunt, visibilia, ſensibilia, atque omnibus conspicua ſunt. Doctrina fidei & morum, quæ omni creaturæ, etiam ut præcepit Christus, ſuper tecta prædicatur. Sacramenta quæ instituit Salvator, ab omnibus frequentari cernuntur. Ritus, cæremoniæ quibus Deo debitus præstatur cultus conspiciuntur. Pastores, Doctores, quos ut inquit Apostolus Paulus, poſuit Christus in opus ministerii, visibiles, & conspicui ſunt, unde illos Christus comparavit lucernæ ſupra candelabrum positæ, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Ipse omnium Pastorum Princeps, totius Ecclesiæ visibile caput Romanus Pontifex, quaqua versum claritatis, ac fulgoris ſui radios ſpargit, totus deniquè Christi fidelium cætus, ubique terrarum diffusus ſplendet, & clarescit. Cùmqué ex his coalescat Ecclesia, palam fit illam visibilem, ac maximè conspicuam eſse. Unde S. Augustinus Tractatu 1mo: in Epist: Joannis sic inquit: *Numquid non sic ostendimus Ecclesiam fratres mei, sicut quis digito ostendit lunam? Nonné aperta est? nonné tenuit omnes gentes? Nonné impletur quod ante tot annos promiſsum est Abrahœ, in semine ejus benedici omnes gentes? Ecce mons implens universam faciem terræ. Ecce Civitas de qua dictum est: non potest Civitas abscondi ſupra montem posita.*

Præterêa peccantes Ecclesiæ denuntiandi sunt, qui illam audire noluerit haberi debet tamquam ethnicus & publicanus. Petro præceptum est pascere oves, & agnos, Apostoli juſsi ſunt prædicare Evangelium omni Creaturæ, potestas ligandi, ac ſolvendi ipsis tradita est, Spiritus Sanctus

ctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, ipsa constituta est ùt columna, ac firmamentum veritatis, ipsi deniquè ſub periculo amittendæ æternæ ſalutis omnes ſe adjungere, & in illa stabiliter permanere tenentur: hæc autem omnia fieri atque perfici nequeunt, nisi Ecclesia visibilis, ac maximè conspicua omnibus sit.

Quæres 2do: Utrum hæc visibilis conspicuitas maximè competat Ecclesiæ Romano-Catholicæ?

Resp: Hæc visibilis conspicuitas ſoli Ecclesiæ Romano-Catholicæ convenit, nulli alteri competere potest. Sola namque Ecclesia Romano-Catholica, doctrinæ puritate, atque stabili unitate, Sacramentorum, Rituum ac totius Divini cultûs ſanctitate, Pastorum, ac Ministrorum eminenti dignitate, ordine, ſacra consecratione, Regiminis, legumqué præstantia, doctiſsimorum Patrum admirabili ſcientia, atque pietate, tot Sanctorum Sanctarumqué innumerabili multitudine, miraculorum denique ac prodigiorum gloria, ſemper, & ubique in toto orbe fulget, ſplendet, & clarescit. Hæc ab omnibus Hæreticorum Sectis dignoscitur, ſecernitur, ab infidelibus etiam honoratur. Hæreticarum verò Sectarum doctrina in antiquis Hæreticis prædamnata, cultus Divinus pauper, & ignobilis. Ministri sinè Divina vocatione, sinè consecratione, in nullo Ecclesiæ Romano-Catholicæ æquiparari poſsunt, imò in omnibus longe ab ipsa distant, ac inferiores ſunt. Hinc Sancti Patres Ecclesiam Romano-Catholicam, ſplendidam, ac fulgentem eſse docent. Sic Origenes Homil: 30. in Mathæum. *Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad Occidentem.* S. Cyprianus de unitate Ecclesiæ hæc habet: *Ecclesia Domini luce perfusa est, per totum orbem radios ſuos porrigit:* & S. Chrysostomus Homil: 4ta in Caput 6tum Isaiæ inquit. *Facilius est ſolem extingvi, quam Ecclesiam deleri.* Et certè in ipsis etiam Ethnicorum, atque Hæreticorum crudeliſsimis persecutionibus, florentiſsima ſemper fuit Ecclesia Romano-Catholica, persecutiones ſuperavit, hæreses devicit, in conversione tot Gentium ſplendidiſsima, in tot celebratis sive Generalibus, sive Provincialibus Conciliis fulgentiſsima, de tot erroribus, adversitatibus, calamitatibusqué ſemper triumphans, cum tot Hæreticorum Sectæ prostratæ, extinctæ perierint, continuò & nunc etiam ſcindantur, dilanientur. Claritas ergo, ſplendor, ac visibilis conspicuitas, ſoli Romano-Catholicæ competit Ecclesiæ.

Quæ-

Quæres 3tio: Utrum Ecclesia Christi perpetuo duratura sit?

Resp: Ecclesia Christi perpetuò duratura est, neque unquam usque ad finem mundi deficere potest. Et id patet evidentiſsimè ex ipsius Christi promiſsionibus Ecclesiæ ſuæ factis. Mathæi cap: 16. dicit Christus Petro: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Si portæ inferi adversùs eam prævalere non poterunt, non ergo ipsa deficere poterit, ſed durabit usque ad conſummationem ſæculi. Quare iterum Christus mittens Apostolos ſuos Math: cap: 28. ut docerent omnes gentes, dixit eis: *Ecce ego vobiscùm ſum omnibus diebus usque ad consummatiónem ſæculi:* quibus verbis duo ſpondet, & Apostolos in ſuis ſucceſsoribus usque ad consummationem Sæculi permansuros, ac proinde & Ecclesiam cujus ipsi Rectores, ac Pastores constituti erant duraturam, & ſe cum ipsis, atque Ecclesia ſua permansurum. Quemadmodum ergo Christus cum Ecclesia ſua usque ad conſummationem ſæculi permanebit, ita pariter Ecclesia ab ipso constituta usque ad finem mundi permanebit, neque deficere poterit. Et id unanimiter docent Sancti Patres, Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, cæteriqué omnes. Quare S. Alexander Alexandrinus Patriarcha in Epist: ad Alexandrum Constantinopolitanum, Ecclesiam dicit *inexpugnabilem, et victricem omnis impiæ factionis Hæreticorum*, & S. Ambrosius libro 2do de Abraham cap: 3tio de Ecclesia sic inquit: *Non ſubruitur, ſpectat aliorum naufragia, ipsa immobilis & exors periculi.*

Obijcies 1mo: Ecclesia Romana ab avita quinque priorum Sæculorum fide defecit, doctrina ipsius moderna, nullatenùs convenit cum doctrina illorum temporum. *2do* Quo tempore furebat in Catholicos Constantij persecutio, lapsis in errorem Episcopis fere ſexcentis, in Conciliis Ariminensi, & Seleuciensi, Ecclesia Romana prope extincta est, unde Hieronymus dixerat: miratus est orbis universus ſe eſse Arianum.

Resp: ad 1mum: Qualis fuerit fidei & morum doctrina Ecclesiæ Catholicæ prioribus quinque ſæculis, aliunde cognosci, & ſciri nequit quam ex Symbolis, Conciliis Generalibus, ac particularibus, Sanctorum Patrum, qui tunc floruerunt ſcriptis, Libris Ritualibus, Sacramentariis, Liturgiis utriusquè Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ, qui tunc ſcripti, & illis temporibus usitati fuerunt. Porro hæc doctri

ctrina si conferatur cum præsenti Romanæ Ecclesiæ doctrina omnino eadem est, eadem confitetur dogmata, quæ tunc credebantur, easdem damnat hæreses, quæ tunc anathematisabantur. Falsum igitur est, ac prorsus insulsum asserere Ecclesiam Romanam ab avita quinque priorum Sæculorum doctrina defecisse.

Ad 2dum: Tunc, cum maximè furebat in Catholicos Constantii persecutio, non est extincta Ecclesia, neque à vera defecit fide, Iis siquidem temporibus, non solùm Athanasius, sed fidelissimi ejus Collegæ, Gaius, Ammonius, Adelphus, Marcus, Paphnutius, aliiqué tam Africæ quam Ægypti Episcopi in fide Orthodoxa perstiterunt. Gregorius Hispaniarum Episcopus, Philo decus Lybiæ, ut scribit Hieronymus nunquam Arianæ impietati admixti sunt. Dracontius, Serapion Tumnensis, Eusebius Samosatenus, Cymatius Celesyriæ Episcopus, & Carterius pro fide exules, Catholica confessione clarissimè eluxerunt. Et præterêa quot Episcopi inferioris notæ, quos Arianus furor, dum celebrioribus subvertendis imcumberet, intactos in suis Sedibus reliquit. Præterêa statim à morte Constantij, integra Catholicorum Episcoporum in Oriente celebrata sunt Concilia, in quibus de lapsorum Antistitum receptione agebatur. In Occidente verò, Ecclesia Catholica non obstante quacunque Constantij immanitate, radios fidei suæ orthodoxæ in Orientem usque diffundebat, nam præter admirandos illos Episcopos Eusebium Vercellensem, Hilarium, Dyonisium Mediolanensem, constantia Episcoporum Germaniæ, Belgij, Aquitaniæ, Britanniæ mire effulsit, proùt testatur S. Hilarius. Ex quibus omnibus manifestûm efficitur, furente in Catholicos Constantij persecutione, fidem Orthodoxam immobilem permansisse, Quare dum S. Hieronymus scribit, postquam Patres Arimenenses, & Seleucienses, formulæ fidei ab Arianis sibi obtrusæ subscripserint, mundum admiratum esse, se esse Arianum, hoc ideo, quia illi numerosi Patres, cum sibi minimè perfidiæ Arianæ essent conscij, de impostura sibi imposita ingemuerunt, inde licètsi fidei orthodoxæ tenaces essent, pro hæreticis traducebantur.

ARTICULUS 2dus.

De infallibilitate Ecclesiæ Christi.

Quæres 1mo: In quibus Ecclesia Christi est infallibilis? *Rep:*

Resp: Ecclesia Christi, sive in Conciliis Generalibus congregata, sive per orbem dispersa, ſuo capiti, Romano Pontifici conjuncta, in omnibus fidei & morum definiendis controversiis est infallibilis. Et hanc Ecclesiæ prærogativam apertè docent Scripturæ Sacræ. Math: cap: 16to de Ecclesia ſua dicit Christus: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* & Math: cap: 28. Ecclesiæ Pastoribus Christus aſsistentiam ſuam appromisit: *Ego vobiscùm ſum usque ad consummationem ſæculi.* Unde Apostolus Paulus Epist: ad Ephesios cap: 4to docet, Christum dediſse Pastores, & Doctores, *ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum:* & Epist: 1ma ad Timoth: cap: 3tio Ecclesiam Dei vivi dicit eſse columnam & firmamentum veritatis. Jam verò si Ecclesia in ſuis definitionibus, fidem morèsqué ſpectantibus à veritate aberraret, de illa dici non poſset, quod perpetuâ gaudeat Christi aſsistentia, quod portæ inferi adversùs eam prævalere nequeant, quod sit columna, ac firmamentum veritatis, quod in ea poſuerit Christus Pastores ac Doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Est ergo Ecclesia sive in Conciliis Generalibus congregata, sive per orbem diſpersa, ſuo Capiti Romano Pontifici conjuncta, in fidei & morum controversiis definiendis infallibilis. Et id unanimi conſensu docent Sancti Patres, & Doctores omnium Sæculorum. S. Irenæus libro 5to contra Hæreses cap: 20. sic inquit: *Ecclesia prædicat veritatem & hæc est lucerna Christi bajulans lumen.* Lactantius libro 4to de vera Sapientia. cap: 30. vocat Ecclesiam *fontem veritatis, & domicilium fidei.* Et Augustinus in 1mam Epistolam ad Timoth: sic inquit de Ecclesia: *Non inclinabitur in ſæculum ſæculi. Ipsa est prædestinata columna, & firmamentum veritatis.*

Et certè cùm ſemper ab ipso Ecclesiæ initio variæ, ac novæ ferè continuò exortæ fuerint Hæreses, excitatæ controversiæ, fidem, aut mores ſpectantes, neceſsarius omnino fuit, harum controversiarum ſupremus aliquis judex, qui irreformabili, ac infallibili decreto ſuo eas decideret, ac finiret, cumquè & ſubsequentibus temporibus hæreses, ſchismata, variæqué enascebantur controversiæ, atque in posterum etiam enasci poſsint, ſemper istiusmodi ſupremus controversiarum judex est, & erit neceſsarius. Nullus verò alius eſse aut cogitari potest, nisi Ecclesia. Ergo in decidendis, definiendisqué fidei, & morum contro-

troversiis, judicium Ecclesiæ est & eſse debet irreformabile, ac infallibile, alias finis controversiarum nullus unquam eſset. Unde prima in Ecclesia Christi ſuborta controversia de Legalium observatione, statim convenit Ecclesia, rem decidit, ac definiit, ipsius Spiritûs Sancti infallibili judicio, ſuam corroborat definitionem. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Actor: cap: 15to.

Quæres 2do Quid ſentiendum sit de Romanorum Pontificum in materia fidei, aut morum factis definitionibus?

Resp: Romanorum Pontificum in materia fidei, & morum, ex ſensu & mente Ecclesiæ ſuæ factis dogmaticis definitionibus ex animo debetur obsequium, quamdiu universa non reclamat, nec contradicit Ecclesia. Enim veró certum, ac indubitatum est, Romanos Pontifices in procurandis Ecclesiæ negotiis, in ſopiendis ac decidendis fidei, ac morum controversiis, primas, ac præcipuas partes habere, quia ſcilicet ratione Primatûs quem in Ecclesia obtinent, cura, ac ſollicitudo omnium Ecclesiarum ad ipsos primario ſpectat, atque pertinet. Hinc in causa Paschatis Victor est primus, in causa Baptismi ab Hæreticis collati, Stephanus, in causa Mæchorum Zephirinus, in causa Donatistarum, Melchiades, Romani Pontifices. Pariter indisputabile est, Ecclesiam Romanam â recta fide deficere non poſse, neque errori ſubiacere. Quare Cyprianus Epist: 55. inquit. *Ad Romanos perfidia habere non potest acceſsum.* Irenæus autem docet in Ecclesia Romana conservatam ſemper fuiſse eam, quæ ab Apostolis est traditionem, & Augustinus, ût veluti ineluctabili judicio ſe adversùs Pelagianos tueretur, Sedis Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ definitionem eis opponit, libro 1mo contra Julianum cap: 4to ubi hæc habet: *Quid potuit Innocentius Africanis respondere Conciliis, nisi quod antiquitas, Apostolica Sedes, & Romana cum ceteris tenet Ecclesia:* Unde Concilium Trident: Seſs: 6ta de Baptismo. Can: 3tio Ecclesiam Romanam dicit eſse *omnium Ecclesiarum matrem, & Magistram:* & Clerus Gallicanus, in Conventu Melodunensi, vocat ipsam *Magistram, columnam, & firmamentum veritatis.* Cum itaque Romani Pontifices, in ſuis dogmaticis definitionibus, ex mente, & ſensu Ecclesiæ ſuæ latis à recta fide deficere atque errori ſubjacere nequeant, merito illorum decisionibus ex animo debetur obsequium, quamdiu universa non reclamat Ecclesia, nec ipsi contradicit, alias frustranea illorum foret ſollicitudo, ac cura, in vanum majores causæ, fidei

ſcili-

ſcilicet & morum recens excitatæ controverſiæ, juxta antiquiſsimum morem ad ipsos referri debent, ſuperfluum quoque est, tam ſplendidis, Magistræ, Matris, columnæ, firmamenti, cui omnis tuto inhæret veritas, Ecclesiam Romanam decorare titulis, indefectibilitatis, inerrantiæ cohonestare prærogativis. Meritò itaque Summus Pontifex Agatho, non ad Sedis ſuæ ostentationem, sed ad ſalutem publicam sic ad Imperatores ſcripsit: *Petri adnitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia, nunquam à veritatis via in qualibet erroris parte deflexa est, cujus authoritatem, utpote Apostolorum omnium Principis, ſemper omnis Catholica Christi Ecclesia, & universales Synodi fideliter complectentes in cunctis ſecutæ ſunt, omnesqué Venerabiles Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi.*

Et certè cum exortis religionis diſsidiis, illico constare non poſsit de ſensu totius Ecclesiæ, nequé ſemper Concilium Generale convocari queat, attamen istiusmodi controversias, quia pacem unitatemqué perturbant, quam celerrimè ſopire oporteat, neceſse omnino est, ut à Romano Pontifice, ſua ſaltem consulta Ecclesia, provisoriè dogmatica fiat definitio, cui ex animo omnes parere debeant.

Quæres 3tio. Quando Romani Pontificis definitio censeri debeat eſse Dogmatica?

Resp: Romani Pontificis definitio censeri debet dogmatica. *1mo.* quando ad omnes fideles ordinatur, & licetsi ad unum aliquem nominatim dirigatur, per totum tamen orbem Christianum diffunditur, ac vim publicæ legis obtinet, *2do.* cum in ea omnibus fidelibus quidpiam, tamquam de fide credendum proponitur. *3tio.* dum ex prævio maturo examine, Clero Romano ex more in Concilium advocato, ex ipsius voto, ſententiaquê, definitio profertur. Tales erant dogmaticæ Epistolæ Anastasij, Innocentij, Zosimi, Cælestini, Leonis & aliorum Romanorum Pontificum. Hæc verò tria si desint, aut si unum ſaltem eorum defuerit, privata erit Romani Pontificis ſententia, particularis opinio, non verò dogmatica definitio. Et hujusmodi privatam opinionem continebat Epistola Honorij Romani Pontificis ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham directa. Nec enim ad omnes fideles ſcripta fuerat, diu in Scriniis Ecclesiæ Constantinopolitanæ latuit, post quadraginta annos à morte Honorij inde extracta est, per multos annos tàm in Oriente, quàm in Occidente ignota fuit, nemini Romanorum nota, præterquam

quam Joanni Abbati, qui illam nomine Honorii scripserat, nullum in ea dogma ad credendum proponitur, solûm exitiosum de duplici in Christo voluntate silentium præcipitur. Privatam ergo nonnisi Honorij opinionem, œconomiamqué in se continebat.

Quæres 4to. Quodsi definitioni dogmaticæ Romani Pontificis, accesserit expressus, vel tacitus Ecclesiæ totius consensus, cujus tunc ipsa auctoritatis erit?

Resp: Erit auctoritatis irreformabilis, judicatum infallibile. Namqué Ecclesia etiam per orbem dispersa, suo capiti, Romano Pontifici juncta, infallibilis est. Ergo definitio dogmatica à Romano Pontifice emanata, cui accessit expressus, vel tacitus totius Ecclesiæ consensus, est authoritatis irreformabilis. Hinc factum est ut multæ Hæreses, solius Romani Pontificis judicio, consentiente, & acceptante Ecclesia damnatæ, ac proscriptæ fuerint. Sic Jovinianum unus Siricius Papa confoderat, unde ad ipsum sic scribit Ambrosius: *Recognovimus litteris Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias, dignus quem oves Domini audiant, & sequantur.*

Quæres 5to. Utrùm Ecclesiæ competat potestas decretorié pronunciandi de sensu Librorum, propositionum; illasqué censura notare?

Resp: Ecclesia usu constanti de sensu Librorum, ac propositionum decretoriè pronuntiavit, debitis censuris affecit. Habet ergo ad id concessam sibi à Christo datam potestatem. *Probatur* & quidem 1mo, Ecclesiam usu constanti de sensu, doctrina Librorum, Propositionumque decretoriè pronuntiâsse, censuris notâsse. Sic libros Origenis judicio irretractabili condemnavit & præeunte Justiniano Epistola ad Mennam, anathemate confixit: *Origeni, ejusqué doctrinæ, & ei omni qui eam ullo modo, quocunqué tempore tueri præsumit, Anathema.* Quod Synodus 5ta Generalis, 6ta, & 7ma confirmârunt. Libros quoqué & doctrinam Nestorij in Synodo Ephesina damnavit, in qua Actione 1ma Episcopi clamaverunt: *Omnes Nestorii Epistolam, & dogmata anathematisamus, impiam fidem Nestorij anathematisamus.* Tandem in 5ta Synodo Generali, famosa tria Capitula, hoc est Epistola, & Scripta, Theodori, Theodoreti, & Ibæ damnata sunt, & sub pæna anathematis omnibus fidelibus à Concilio injunctum est, ut latam susciperent censuram. Sed et subsequentibus Sæculis, Concilia Lateranense, Constantiense,

Basi-

Basileense, multas propositiones, illarumqué Auctores Wiclefum, Joannem Hus, Hieronymum de Praga, damnàrunt, Romani quoqué Pontifices, annuente, & applaudente universa Ecclesia plurimas propositiones Baij, Jansenij, Quesnelii confixerunt: Constanti ergo usu Ecclesia de sensu propositionum, librorum atqué Auctorum decretoriè pronuntiavit, censuris perstrinxit. *2do.* Habet igitur ad id concessam sibi á Christo potestatem. Certè Ecclesia errare non potest *in* quæstione juris. Porro erraret in jure si usurparet, & sibi attribueret potestatem de sensu librorum, propositionum, judicandi, quam reipsa à Christo non accepisset. Ergo illam indubitate habet, *ac* possidet.

Quæres 6to. In condemnandis propositionibus quem sensum respicit Ecclesia?

Resp: Propositiones de quibus Ecclesia judicium suum profert, atqué censura sua illas afficit, duobus præsertim modis spectari possunt. *1mo.* absolutè, & in se ipsis, independenter scilicet à sensu ab Auctore intento. *2do.* relativè ad sensum libri, unde propositiones extrahuntur, & Auctoris à quo prolatæ sunt. Jam verò dum censura afficitur propositio absolutè, & in se simpliciter considerata, tunc Ecclesia unice attendit ad obvium, naturalem, & usu communi receptum verborum sensum. Cum verò censura afficitur propositio ad sensum ab Auctore intentum, tunc non interna mens Scriptoris attenditur, de qua Ecclesia non judicat, sed spectatur sensus qui ex verbis, & tota doctrinæ seriè, ex libri textura, & conformatione, consilio, institutoqué Auctoris elicitur. Porro cum damnantur propositiones nulla facta mentione Auctorum, vel Librorum unde illæ extractæ fuerunt, censentur simpliciter, absolutè & in seipsis consideratæ damnari: si verò in censura propositionis Auctor ipsius designetur, liberqué unde ipsa desumpta est, indicetur, tunc non spectantur verba propositionis nude in se considerata, sed relativè ad mentem, & scopum Libri, aut Auctoris,

Quæres 7mo: Utrùm Ecclesia in Censura librorum, propositionumqué sit infallibilis?

Resp: Ecclesia in ferendis librorum, propositionumqué censuris errare nequit, ac proinde istiusmodi Ecclesiæ definitionibus obsequium ex animo debetur, nec sinè temeritate ipsis potest resisti. Enimverò in doctrina fidei & morum Ecclesia est infallibilis. Porrò quotiescunqué

agi-

agitur de sensu ac doctrina librorum, propositionumqué, semper agitur de doctrina fidei & morum, & sensus librorum, propositionumqué indivulsè cohæret doctrinæ fidei, & morum, nequé ipsa ullatenus decidi, ac definiri potest, nisi sensus propositionum, quibus illa enuntiatur, determinetur, quoniam non alia de causa quasdam Ecclesia damnat propositiones, nisi quia perversam, ac erroneam in se continent doctrinam. Quemadmodum ergo Ecclesia infallibilis est in dijudicanda doctrina fidei, & morum, ita quoqué in ferendis librorum, propositionumqué censuris, errare ipsa non poterit.

Certè dum Eccclesia Hæreses, erroresqué damnavit Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, & deinceps Wiclefistarum, cæterorumqué, illos ex eorum libris deprompsit, in propositionibus ab ipsis enuntiatis, contentos, confixit, quod facere non poterat, antequam priús certó & indubitate sensum illarum determinaſset; quod si in hoc poterat Ecclesia falli, atqué errare, fieri etiam poterat, ut tunc ipsa errores, hæresesqué damnaſset, quæ nullibi, & à nemine divulgabantur, quod planè ridiculum, & Ecclesiæ summe injuriosum est. Prætereâ propter doctrinæ perversitatem, in libris, Epistolis, sermonibus, propositionibus contentam, Ario, Nestorio, Eutycheti, cæterisqué Hæreticis, anathema in Conciliis Generalibus dictum est, eorum scripta, doctrina, sed & personæ damnatæ sunt, certó ergó, & infallibiliter Ecclesia illorum recognovit sensum. In his Ecclesiam potuiſse errare sinè summa temeritate, pariqué impietate affirmari nequit. Dum itaqué & ultimis temporibus agebatur de condemnandis erroribus, qui in libris Baii, Iansenii, Quesnelii divulgabantur, Ecclesia per Romanos Pontifices, omnibus seriô, & maturè discuſsis, ac ponderatis, extractas ex ipsorum libris propositiones damnavit, anathemate confixit, quis nisi sacrilege affirmare poterit, Ecclesiam in recognoscendo horum librorum doctrinæ sensu, Auctorum scopo, intento, deceptam fuiſse? Sanè nullus unquam extitit Hæreticus, qui in suis etiam scriptis errores suos variis æquivocationibus, ambiguis, atqué perplexis enuntiationibus non obtegeret, omnes illi, Sanctorum Patrum dicta perversè interpretari, & ad suos errores pertrahere conati sunt, maximè igitur Ecclesiæ interest, ut certò cognoscat Hæreticorum fallacias, deceptiones, æquivocationes, ac proinde poſsit indubitate sinè errore, & deceptione illorum, verè ab ipsis intentum, recognoscere sensum, alias

nihil

nihil quidquam ipsa contra Hæreticos definire, decidere posset.

Et verò Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis, idêoqué ut non simus tanquam parvuli fluctuantes, & ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, posuit Christus in Ecclesia sua Pastores, Doctores. Itaquê Ecclesia ex Christi promissionibus, in iis omnibus constituendis, decidendis, infallibilis est, quæ necessaria sunt ad conservandam unitatem doctrinæ fidei, & morum, ad stabiliendam pacem, ad evitandas rixas, contentiones. Porrò notum est, quot excitatæ sunt in Ecclesia turbæ, tumultus, contentiones, ratione librorum Origenis, & deinceps ratione trium Capitulorum in Synodo 5ta generali damnatorum, ac ultimo ex causa Librorum Baii, Jansenii, Quesnelii. Quisqué sanæ mentis, pacis, & charitatis amans, negare non poterit, opus omnino fuisse, ut quam cellerrimé illæ sopirentur, ac suffocarentur. Nullo vero alio modo sopiri, ac finiri poterant, quam irretractabili Ecclesiæ judicio, cui omnes ex animo obsequium exhibere tenebantur. Ergo in talibus controversiis judicium Ecclesiæ debet esse irretráctabile.

Dices 1mo: Si in ferendis censuris librorum, propositionumqué Ecclesia esset infallibilis, tunc fide Divina credere oporteret, hunc librum, hanc propositionem, istum, & non alium habere sensum, illum ab Auctore, Scriptore intentum fuisse. Hoc autem cum non sit revelatum, fide Divina credi nequit. 2do. Ecclesia mentem, sensumqué Auctoris scire nequit, falli ergo in hoc potest.

Resp: Ad 1mum: Sunt nonnulla, quæ quia revelata non sunt fide Divina credi nequeunt, sed fide Ecclesiastica firma, & inconcussa teneri debent, quia illa ab Ecclesia statuta, ac definita sunt, assistente sibi Spiritu Sancto, atqué ita providente, ut nec falli ipsa nec fallere possit. Sic inter alia adfuit Spiritus Sanctus, ne Ecclesia Scripturæ Sacræ versionem adoptaret pro legitima, quæ reipsa suo autographo conformis non esset, sic quoqué adest, ac providet Deus ne Ecclesia in Sanctorum Canonisatione aberret, ne scilicet, ut inquit Divus Thomas, damnabili errore scelestum hominem veneretur pro Sancto. Hæc proinde, nostram scilicet Vulgatam Scripturæ Sacræ versionem, suo autographo esse conformem, hunc illumqué Canonisatum esse vere Sanctum, quia non sunt revelata, fide Divina credi non possunt, sed fide Ecclesiastica, certò, & indubitanter teneri debent,

 quia

quia ab Ecclesia constituta, ac definita sunt, aſsistente ipsi Spiritu Sancto, ac providente ne à veritate aberraret. Pari modo dum Ecclesia de libris, propositionibusqué, maturo, ac serio adhibito examine, de illorum sensu, atqué doctrina, sua profert judicia, censuras, hæc quoniam indivulsè cum fidei morumqué doctrina connectuntur, atqué ad conservandam fidelium pacem unitatemqué multum conferunt, in iis decernendis, statuendisqué semper Spiritus Sanctus Ecclesiæ aſsistit, atqué continuo providet ne à vero aberret. Firma ergo & in concuſsa fide Ecclesiastica, quæ omni humana major est, hæc tenenda, atqué credenda sunt.

Ad 2dum: Mentem Auctoris, Scriptoris, purè internam, quæ soli Deo nota eſse potest, Ecclesia scire nequit, & de hac etiam ipsa non judicat, nihilqué decernit, sed sensum Auctoris, Scriptoris, externum, qui in libro, propositionequé continetur, ac manifestè se prodit, certó noscere potest, non enim hic opus est sensibus, hominum testimoniis, incertis coniecturis, sed sufficit diligens libri inspectio, doctrinæ, quæ in ipso continetur, cum immotis fidei regulis seria collatio, inde certum & irretractabile de libri Auctorisqué sensu, doctrina formatur judicium.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.




E R R A T A.

Pag:	*lin:*	*errata*	*corrige*
11.	23.	haud - -	aut
47.	33.	inscriptione -	inspectione
75.	28.	*post* evincitur -	*pone.*
77.	1.	utramqué cum Theodoro Mopsveteno	utrumque cum Theodoro Mopsvesteno.
Ead:	31.	ipse - -	imò
79.	44.	mala - -	male
82.	16.	suntnoscere -	sunt si noscere
86.	21.	notilissima - -	notissima
89.	18.	prædictione -	prædicatione
91.	22.	sua causa -	suæ causæ
96.	7.	eorum - -	earum
Ead:	9.	dedinato - -	declinato
100.	22.	AEtpyopum -	Æthyopum
101.	4.	eo - -	cum
Ead:	38.	quod - -	quos
108.	37.	de duobus - -	de duabus
109.	3.	*post* ignota -	*pone ,*
Ead:	40.	in fidei - -	in fide
110.	2.	scripta - -	scripto
113.	20.	de ipso - -	de ipsa
Ead:	22.	ad hominis -	ad hominem
115.	15.	alii alio adducti -	alius ab alio abducti
122.	1.	alia - -	aliæ
123.	44.	indubitum - -	indubitatum
127.	20.	quæ - - -	quibus
132.	25.	supperranduntur - -	superadduntur
Ead:	44.	faceris - -	feceris
139.	17.	quin - -	quia
142.	24.	veritatem - -	varietatem
150.	19.	immeidate - -	immediate
152.	19.	argumentum -	augmentum
157.	7.	sapientia prærequirantur	sequentia prærequiruntur
161.	29.	ratiocinandi -	vaticinandi
180.	14.	moralibus -	moralitas
Ead:	44.	ut quod - -	ut quid
187.	2.	veritatis - -	veracitatis
192.	44.	traditis - -	traditio
194.	18.	dederent - -	dederint
206.	21.	Græso - -	Græco
211.	28.	aquabilia - -	aquatilia
217.	30.	fæcundus - -	facundus


Pag:

Pag.	*lin:*	*errata*	*corrige*
219.	26.	Mahumedes -	Mahumedis
239.	42.	aqua - - -	aquæ
250.	32.	contuberit - -	contulerit
287.	7.	valuntas - -	voluntas
292.	19.	adeo - - -	odio
299.	23.	silvari - -	salvari
300.	14.	Hic - - -	Hæc
314.	30.	quæ - - -	qui
315.	4.	monentis - -	momentis
336.	22.	*operientur* - -	*aperientur*
351.	32.	renumerationis -	remunerationis
359.	11.	renumeratore -	remuneratore
362.	7.	ea - - -	ex
366.	2.	inquirant - -	inquinant
373.	3.	Lazaro - -	Latroni
376.	6.	concedo - -	concedi
388.	27.	operiosus - -	operis
390.	32.	exoravit - -	exaravit
393.	24.	sino - -	sinu
Ead:	28.	*notitionibus* - -	*notionibus*
399.	30.	Eilius - -	Filius
413.	33.	Sctiptura - - -	Scriptura
418.	32.	contines -	continet
420,	1.	natura propiam - -	natura propriam
428.	12.	ex sermone - -	ex semine
431:	23.	verturi - - -	venturi
458..	12.	admittuntur - -	faciunt
459.	4.	Trtnitatem - -	Trinitatem
538.	39.	senciatis - -	sauciatis
540.	42.	*votuntatis* - -	*voluntatis*
544.	23.	*valentis* - - -	*volentis*
545.	19.	*voleamus* - - -	*valeamus*
546.	43.	bonum - -	donum
555.	29.	Anrasicano - -	Arausicano
557.	42.	destinatis - -	declinatis
561.	4.	larginendas - -	largiendas
564.	6.	victix - -	victrix
567.	11.	*sordibus* - - -	*cordibus*
596.	15.	colladautur - -	collaudatur
602.	29.	hoc - -	hic
642.	32.	Pantifici - - -	Pontifici

Reliquos errores prudens & oculatus Lector animadvertere & corrigere poterit, præsertim commata & puncta sæpe non suis locis posita.







THEOLOGIAE
DOGMATICAE



TOM
I.